



• 2 - 3





ADAMS 2/2.3 U.3

Parke

Price now 10 Apres 21<sup>me</sup> Decembre







# Joannis Miltoni O P E R A O M N I A L A T I N A.

VIZ.

*Adams. 22.3.  
v. 3*

- I. Defensio pro Populo Anglicano, contra Claudii Salmasii Defensionem Regiam.
- II. Defensio secunda pro Populo Anglicano, contra Alexandrum Morum Ecclesiastant.
- III. Defensio pro se, cui adjungitur Joannis Philippi Responsio ad Apologiam Anonymi cuiusdam Tenebrionis pro Rege & Populo Anglicano Infantissimam.
- IV. Literæ Senatus Anglicani, nec non Cromwelli, &c. nomine ac jussu conscriptæ.
- V. Artis Logicæ Institutio ad Petri Rami methodum concinnata.
- VI. Epistolarum Familiarium liber unus, quibus accesserunt ejusdem, jam olim in Collegio adolescentis, Prolusiones quædam oratoriæ.

Nunc primùm junctim edita.

*1517  
2*

AMSTELODAMI,  
Anno M. DC. XC. VIII.

ANNO MDCXCIII.

A R E C

ANNO MDCXCIII.

N

ANNO MDCXCIII.

ADAMS

nr. 3

V3

ANNO MDCXCIII.

AMSTERDAMI

ANNO MDCXCIII.

## D E F E N S I O

Pro Populo Anglicano,

Contra *Claudii Anonymi, alias Salmasii,*  
Defensionem R E G I A M.

## P R A E F A T I O.

**T**Ametsi vereor, si in defendendo Populo Anglicano tam sim profus verborum, vacuus rerum, quām est plerisque visus in defensione regiā Salmasius, ne verbosissimi simul & ineptissimi defendantis nomen meritus esse videar ; tamen cūm in mediocri quavis materia tractandā nemo sibi adeò properandum esse existimet, quin exordio saltem aliquo pro dignitate suscepti à se operis uti soleat, id ego in re omnium fere maxima !dicenda si non omittam, neque nimis astrin gam, spero equidem, duas propemodùm res, quas magnopere vellem, asecuturum me esse ; alteram, et causæ huic nobilissimæ, & seculorum omnium memoriā dignissimæ nulla ex parte, quantum in me est, desim ; alteram, ut reprehensam in adversario futilitatem & redundantiam, devitasse tamen ipse nihilo minus judicer. Dicam enim res neque parvas neque vulgares ; regem potentissimum, oppressis legibus, religione afflictā, pro libidine regnantem, tandem à suo populo, qui servitutem longam servierat, bello vietum ; inde in custodiā traditum ; & cūm nullam omnino melius de se sperandi materiam vel dictis vel factis præberet, à summo demùm regni Concilio capite damnatum ; & pro ipsis Regiæ foribus securi percussum. Dicam etiam, quod ad levandos magna superstitione hominum animos multum contulerit, quo jure, præsertim apud nos, judicatum hoc atque peractum sit ; meoque cives fortissimos & integerimos, déque universis orbis terrarum civibus ac populis egregiè meritos ab improbissimis maledicorum, sive nostratiū, sive exterorum calumniis, tum imprimis ab hujus inanissimi Sophistæ maledictis, qui pro duce & coryphæo cæterorum se gerit, facile defendam. Quæ enim ullius regis alto folio, sedentis majestas unquam tanta eluxit, quanta tum Populi Anglicani effulgebat, cum excusâ illâ veteri superstitione, quæ diu invaluerat, ipsum regem, seu potius de rege hostem, qui solus mortalium impunitatem sibi divino jure vendicabat, suis legibus irretitum judicio perfundere, & quo is quemcunque alium supplicio affecisset, eodem sōtem ipsum afficere non vereretur ? At quid ego hæc tanquam populi facta prædico ? quæ ipsa per se penè vocem edunt, & præsentem ubique testantur Deum. Qui, quoties suæ sapientissimæ menti complacitum est, superbos & effrænatos reges, supra humanum modum se se attollentes, solet deturbare, & totâ saepē cum domo funditus evertit. Illius nos manifesto numine ad salutem & libertatem propè amissam subito erexit, illum ducem fecuti, & impressa passim divina vestigia venerantes, viam haud obscuram, sed illustrem, illius auspiciis commonstratam & patefactam ingressi sumus. Hæc ego omnia dignè satis explicare, & quod omnes fortasse gentes elegant atque artates, monumentis tradere, si diligentia solùm meâ, cuiusmodi cunque est, meis tantùm viribus sperem me posse, frustra sim. Quæ enim Oratio tam augusta atque magnifica, quod tam excellens ingenium huic oneri subeundo par esse queat, ut cūm illustrium virorum aut civitatum res gestas vix reperiatur tot seculis qui luculentè possit scribere, opinetur quisquam hæc, non hominum, sed omnipotentis planè Dei gloriose & mirabiliter facta ullis se verbis aut stylo assequi posse ? Quod quidem munus ut susciperem, tametsi

summi in republica nostrâ viri suâ authoritate persecerunt, mihiq[ue] hoc negotium datum esse voluerunt, ut quæ illi, Deo ductore, magnâ cum gloria gesfere, ea, quod certè proximum est, contra invidiam & obtricationem, quas in res ferrum & apparatus belli nihil potest, alio genere armorum defendererem; quorum ego quidem judicium magno mihi ornamento esse existimo, me scilicet eorum suffragiis eum esse p[ro]æ cæteris, qui hanc patriæ mæ fortissimis liberatoribus haud p[re]nitendam operam navarem, quin & ipse ab ineunte adolescentiâ iis eram studiis incensus, quæ me ad optima quæque si minùs facienda, at certè laudanda incitatum ferebant. His tamen diffisus adminiculis ad divinam opem recurro: Detinque opt. max. donorum omnium largitor[um] invoco, ut quām prosperè quāmque piè nostri illi ad libertatem clarissimi duces regios fastus, & dominatum impotentem acie fregerunt, dein memorabili tandem supplicio extinxerunt, quamque facili negotio nuper unus de multis ipsum regem veluti ab inferis resurgentem, inque illo libro post mortem edito novis argutiis, & verborum lenociniis populo se venditatem redarguit atque summovit, tam ego feliciter tamque vere declamatoris hujus exotici petulantiam & mendacia resellam atque discutiam. Qui alienigena cùm sit, & quamvis id millies neget, Grammaticus, non eâ stipe contentus quam hoc nomine metetur, magnus ardelio esse maluit; non reipublicæ solùm immisscere se ausus, sed alienæ; cum neque modestiar[um], neque judicium, neque aliud quicquam afferat, quod oporteret sancitum arbitrum, præter arrogantiā & Grammaticam. Et sancit hæc quæ jam Latinè utcunq[ue] scripsit, si inter Anglos, & nostro Sermoni protulisset, vix esset, credo, qui de responso laborandum esse judicaret; sed partim trita, & resputationibus jam crebris explosa negligeret, partim tyrranica & fœda, vilissimo quovis mancipio vix ferenda, quamvis alioqui regias secutus ipse partes, aversaretur. Nunc cùm inter exteris, & nostrarum rerum penitus ignatos grandi paginâ turgescat, sunt illi quidem qui res nostras perpetrāt intelligunt, edocendi; hic suo more ( quandoquidem tanta maledicendi aliis libidine fertur ) suo inquam more ac modo erit tractandus. Quod si quis miretur fortè, cur ergò tam diu intactum & ovantem, nostrōque omnium silen-  
tio Inflatum volitare passi simus, de aliis sancit nescio, de me audacter possum dicere, non mihi verba aut argumenta, quibus causam tuerer tam bonam, diu quærenda aut investiganda fuisse, si otium & valetudinem ( quæ quidem scribendi labore ferre possit ) nactus essem. Quā cum adhuc etiam tenui admodum utar, carptim hæc cogor, & intercisis penè singulis horis vix attingere, quæ continenti stylo atque studio persequi debuissim. Unde hoc si minùs dabitur, cives meos præstantissimos, patriæ conservatores digno laudum præconio celebrare, quorum immortalia facinora jam toto orbe claruerunt, defendere tamen, & ab hujus importuni literatoris insolentiâ, & professoriæ Linguae intemperiis vindicare haud mihi difficile futurum spero. Pessimè enim vel naturâ vel legibus comparatum foret si arguta servitus, libertas muta esset; & haberent tyranni qui pro se dicerent, non haberent qui tyrannos debellare possunt: Miserum esset, si hæc ipsa ratio, quo utimur Dei munere, non multo plura ad homines conservandos, liberandos, & quantum natura fert, inter se æquandos, quām ad opprimendos & sub unius imperio malè perdendos argumenta suppeditaret. Causam itaque pulcherrimam hac certâ fiduciâ læti aggrediamur; illinc fraudem, fallaciam, ignorantiam, atque barbariem; hinc lucem, veritatem, rationem, & seculorum omnium optimorum studia, atque doctrinam nobiscum stare.

Agè nunc jam, satis p[ro]fati, quoniam cum criticis res est, tam culti voluminis titulum imprimis videamus quid ait, *Defensio Regia pro Carolo I. ad Carolum II.* Magnum sancit p[ro]stas, O quisquis es! patrem defendis ad filium; mirum ni causam obtineas. Verū ego te falso alias sub nomine, nunc sub nullo latitantem, Salmasi, ad alia voco subsellia, ad alios judices, ubi tu illud euge & sopl[es], quod in palæstra tuâ literaria captare miserè soles, fortasse non audies. Sed cur ad regem filium defensio hæc regia? Non opus est tortore, confitem habemus reum. *Sumptibus* inquit *Regii*: O te venalem oratorem & sumptuosum! Siccine defensionem pro Carolo Patre, tuâ sententiâ, rege optimo, ad Carolum Filium Regem pauperrimum noluisti nisi sumptibus regiis? Sed veterator etiam haud irridiculus esse voluisti, qui *regiam defensionem* dixeris; non enim amplius tua quam vendidisti, sed legitimè jam *regia defensio* est; centenis nimirum Jacobæis emta, ingenti pretio ab egentissimo Rege. Non enim ignota

nota loquimur; novimus qui illos aureos domum attulit tuam, qui crumenam illam tessellis vitreis variatam, novimus qui te avaras manus porrigentem vidit, in speciem quidem ut Sacellatum Regis missum cum munere, re verâ ut ipsum munus amplectere; & unâ tantum mercede acceptâ totum penè regis ærarium exinanires. Sed eccum ipsum, crepant fores, prodit histrio in proscenium.

Date operam & cum silentio animadvertisite,  
Ut pernoscatis quid sibi Eunuchus velit.

Nam quicquidest, præter solitum cothurnatus incedit. *Horribilis nuper nuntius aures nostras atroci vulnere, sed magis mentes percunxit, de parricidio apud Anglos in persona regis sacrilegorum hominum nefariâ conspiratione admisso.* Profectò nuntius iste horribilis aut gladium multo longiore eo quem strinxit Petrus habuerit oportet, aut aures istæ auritissimæ fuerint, quas tam longinquò vulnere perculerit: nam aures non stolidas ne offendisse quidem potuit. Ecqua enim vobis sit injuria, ecquis vestrum læditur, si nos hostes & perduelles nostros, sive plebeios, sive nobiles, sive reges morte multamus? At ista mitte, Salmasi, quæ ad te nihil attingent: ego enim de te etiam *horribilem* habeo quem apportem *nuntium*; quique omnium Grammaticorum & Criticorum aures, modò teretes habent & doctas, atrociori vulnere si non perculerit, mirabor; *de parricidio apud Hollandos in persona Aristarchi, nefariâ Salmasi audaciâ admisso*: te magnum scilicet Criticum *sumptibus regis* conductum, ut defensionem Regiam scriberes, non solum putidissimo exordio, præficarum funebribus nugis & næniis simillimo nullius, non fatui, mentem miseratione permovisse, sed primâ statim clausulâ risum penè legentibus multiplici barbarismo concitasse. Quid enim, quæso, est *parricidium in persona Regis* admittere? quid *in persona Regis*? Quæ unquam latinitas sic locuta est? nisi aliquem nobis forte Pseudophilippum narras, qui personam Regis indutus, nescio quid parricidii apud Anglos patraverit; quod verbum verius opinione tua ex ore tibi excidisse puto. Tyrannus enim, quasi histrionalis quidam Rex, larva tantum & persona Regis, non verus rex est. Cæterum ob hujusmodi noxas Gallicolatinas, quibus passim scates, non tam mili, neque enim est otium, quam ipsis tuis Grammatistis poenas dabis; quibus ego te deridendum & vapulandum propino. Hoc multo atrocius; quod à summis magistratibus nostris de rege statutum est, id *sacrilegum hominum nefariâ conspiratione* admissum aës. Tûne furcifer potentissimi nuper regni, nunc reipub. eo potentioris acta & consulta sic nominas? quorum de factis ne Rex quidem ullus ut quicquam gravius pronunciaret, auct scriptum ederet, adduci adhuc potuit. Merito itaque amplissimi Ordines Hollandiæ, liberatorum olim patriæ vera progenies, defensionem hanc tyrannicam, populorum omnium libertati pestilentissimam edicto suo tenebris damnarunt; cuius & ipsum authorem omnis libera Civitas suis prohibere finibus, aut ejicere deberet: eaque præcipue quæ tam ingratum tamque teturum reipub. hostem suo stipendio alit; cuius ille reipub. haud secùs atque nostræ, fundamenta ipsa atque causas oppugnat; necnon utramque unâ & eâdem operâ labefactare & subruere conatur; præstantissimosque illic Libertatis Vindices nostrorum sub nomine maledictis proscindit. Reputate jam vobiscum Illustrissimi Foederatorum Ordines, & cum animis vestris cogitate, quis hunc regiæ potestatis assertorem ad scribendum impulerit, quis nuper apud vos regiè se gerere incooperit, quæ consilia, qui conatus, quæ turbæ denique per Hollandiam secutæ sint, quæ nunc escent, quâm vobis parata servitus, novûsque dominus erat, atque illa vestra tot annorum armis atque labotibus vindicata libertas, quâm propè extincta apud vos nunc foret, nisi opportunissimâ nuper temerarii juvenis morte respirasset. Sed pergit iste noster ampullari, & mirabiles tragedias fingere, *Quoscanque infandus hic parricidialis nimirum barbarisni Salmasiani rumor attigit, haud secùs ac si fulmine afflati essent, - derepente his arrestaque horrore coma & vox fancibns besit.* Quod nunc primitus auditum discant Physici, comas fulmine arrestas. Verum quis hoc nescit, viles & imbelles animos, magni cujuspam facinoris vel rumore obstupescere; quodque prius fuerunt, tum se maximè stipites indicare. Alii lacrymas non tenuerunt, mulierculæ credo aulicæ, aut si qui his molliores; inter quos & ipse Salmasius novâ quâdam metamorphosi Salmacis factus est; & fonte hoc suo lacrymarum fictilio, & nocte parato viriles animos emollire conatur. Moneo itaque, & cavere jubeo

— infamis ne quem male fortibus undis  
Salmacis enervet, — ne vir cùm venerit, exeat inde  
Semivir, & tactis subito mollescat in undis.

*Fortius verò inquit animati* (nam fortes puto & animosos ne nominare quidem nisi putidè potest) *tantà indignationis flammā exarserunt, ut vix se caperent.* Furirosos illos non flocci facimus; verà fortitudine suique compote istos minaces pellere, & in fugam vertere consuevimus. *Nemo certè non diras imprecatus est tanti sceleris authoribus.* Vox tamen, ut tu modò aiebas, *fansibus hastis;* atque hæsisset utinam in hunc usque diem, si de nostris duntaxat perlugis hoc vis intelligi, quod nos etiam pro comperto habemus, nihil illis frequentius in ore esse, quam diras & imprecations omnibus bonis abominandas quidem, non tamen metuendas. De aliis credibile vix est, cum supplicii de rege sumti fama illuc pervenisset, repertum in libero præsertim populo suisse ullum, tam ad servitutem natum, qui nos dicto læderet, aut factum nostrum criminis daret; immo porius omnes bonos omnia bona dixisse; quinetiam Deo gratias egisse, qui exemplum justitiae tam illustre & excelsum ediderit, quodque cæteris regibus tam salutari documento esse possit. Istos itaque feros ac ferreos cædem, nescio cuius miserabilem, ac mirabilem plorantes, cum suo tinnulo oratore, post regnum in orbe nomen natum notumque, frigidissimo, etiam atque etiam plorare jubemus. At quis interim è ludo ferè puer, aut è coenobio quovis fraterculus casum hunc regis non multo disertiùs, immo Latiniùs hoc oratore regio declamitasset? Verùm ego ineptior sim, si infantiam hujus & deliramenta hunc in modum toto volumine accuratè persequar; quod tamè libens facerem (quoniam superbiā & fastidio, ut ferunt, supra modum turget) ni mole tantum libri inconcinnā atque inconditā se protegeret, & veluti miles ille Terentianus post principia lateret: callido sanè consilio, ut defessus singula notando etiam acerrius quisque, tædio priùs conficeretur, quam omnia redargueret. Nunc ejus quoddam specimen dare hac veluti prolusione duntaxat volui; & cordatis lectoribus à principio statim degustandum hominem præbere, ut in hac paginæ unius promulside experiamur quam laute nos & luculenter cæteris ferculis excepturus sit; quantas ineptias atque infantias toto opere congesserit, qui tam densas, ubi minimè decuit, in ipsa fronte collocavit. Exinde multa garrientem, & scombris concionantem facile p̄t̄stereo; ad nostras autem res quod attinet, haud dubitamus quin ea, quæ autoritate Parlamenti scripta publicè & declarata sunt, apud omnes bonos & prudentes exteris plus ponderis habitura sint, quam unius impudentissimi homuncionis calumnia, & mendacia; qui ab exilibus nostris, patriæ hostibus, prælio conductus, quolibet eorum dictante quibus operam suam locaverat, aut rumuscum spargente, falsissima quæque corradere, & in chartam conjicere non dubitavit. Utque planè intelligent omnes quam non illi religio sit quidlibet scribere, verum an falsum, pium & impium, haud alias mihi testis adhibendus erit, quam ipse Salmasius. Scribit is in *Apparatus contra primatum Papæ, maximas esse causas cur Ecclesia redire ab episcopatu debeat ad Apostolicam Presbyterorum institutionem;* longè magis ex episcopatu *introductum in ecclesiam esse malum, quam illa schismata quæ priùs metuebantur:* Pestem illam quæ ex eo ecclesiæ invasit, totum ecclesiæ corpus miserabiliter tyrannide pessundedit; immo ipsos reges ac principes sub jugum misisse; Majorem in ecclesiam utilitatem redundaturam Hierarchiâ totâ extinctâ, quam solo capite Papâ, p. 169. Posse episcopatum cum Papatu tolli cum summo bono ecclesiæ; sublato episcopatu ruere ipsum Papatum, super illo utpote fundatum, p. 171. Cur removeri debeat, in illis regnis quæ jam Papati renunciârunt proprias habere causas. Cur ibi episcopatus retineatur se non videre; non integrum videri reformationem quæ hac in parte imperfecta sit; nihil afferri posse rationis aut cause probabilis cur sublato Papatu retineri debeat aut possit episcopatus, p. 197. Hæc & multò plura cùm ante annos quatuor scripserit, tantâ nunc vanitate & impudentiâ est, ut Parlamentum Angliæ graviter incusare hoc loco audeat, quod episcopatum non solum senatu ejiciendum, sed etiam penitus abjiciendum censuerint. Quid? quod ipsum etiam episcopatum suadet atque defendit, iisdem usus argumentis & rationibus, quas libro illo priore magno impetu confutaverat; necessarios nempe fuisse episcopos, & omnino retinendos, ne mille pestiferæ sectæ & hereses in Anglia pullularent. O vafrum & versipellem! adeóne te etiam in sacris non puduit desultorem agere, propè

propè dixeram, ecclesiam prodere; cuius tu ideo sanctissima instituta tanto strepitu asseruisse videris, ut quoties tibi commodum esset, eo majore cum infamia ea ipsa iudicari atque subvertere posses. Neminem hoc latet, cum regni Ordines, Ecclesiæ nostræ, ad exemplum cæterarum, reformandæ studio flagrantes, episcopatum funditù tollere statuissent, primò regem intercessisse, dein bellum nobis eâ potissimum causâ intulisse; quod ipsi tandem in perniciem vertit. I nunc & te defensorem regium esse gloriare, qui ut regem gnaviter defendas, susceptam à temetipso ecclesiæ causam nunc palam prodis atque oppugnas: cuius gravissima quidem censurâ esses notandus. De forma autem reipub. nostræ, quoniam tu Professor triobolaris & extraneus remotis capsulis atque scriniis tuis nugarum refertissimus, quas melius in ordinem redigere poteras, in aliena repub. satagere & odiosus esse mavis, sic breviter tibi, vel cuvis potius te prudentiori respondeo; eam formam esse quam nostra tempora atque dissidia ferunt; non qualis optanda esset, sed qualem obstinata improborum civium discordia esse patitur. Quæ autem Respub. factionibus laborat, atque armis se tuetur, si sanæ & integræ tantum partis rationem habet, cæteros sive plebeios sive optimates præterit aut excludit, satis profectò æqua est; quamvis regem & proceres, suis ipsa malis edocta, amplius nolit. Concilium autem illud *supremum* quod insectaris, atque etiam Concilii Præsidem, næ tu ridiculus es; Concilium enim illud, quod somnias, non est supremum, sed Parlamenti autoritate ad certum duntaxat tempus constitutum, quadraginta virorum ex suo ferè numero, quorum quilibet cæterorum suffragiis præses esse potest. Semper autem hoc usitissimum fuit, ut Parliamentum, qui noster Senatus est, delectos ex suorum numero pauciores, quoties visum erat, constituerit: iis unum in locum ubivis conveniendi, & veluti minoris cuiusdam habendi Senatus potestas delata est. Iisdem res sæpe gravissimæ, quo celerius & majori cum silentio transigerentur, commissæ atque creditæ; Classis, exercitus, ærarii cura aut procuratio, quævis denique pacis aut belli munia. Hoc sive concilium nominetur, sive quid aliud, verbo fortè novum, re antiquum est; & sine quo nulla omnino Respub. rectè administrari potest. De regis autem supplicio, & rerum apud nos conversione mitte vociferari, mitte virus illud tuum acerbitatis evomere; donec ista *quâ lege, quo jure, quo judicio facta* sint, te licet repugnante, singulis capitibus ostendam, & pedem conferam. Si tamen instas *quo jure, quâ lege, eâ, inquam, lege* quam Deus ipse & natura sanxit, ut omnia quæ Respub. salutaria essent, legitima & justa haberentur. Sic olim sapientes tuî similibus responderunt. *Leges per tot annos ratas refixisse* nos criminari; bonâsne an malas non dicis, nec si dices audiendus essem, nam nostræ leges Ole quid ad te? Utinam plures refixissent tum leges tum leguleios; rectius sanè & rei Christianæ & populo consuluisserint. Frendes quod *hac, Manii, terra filii, vix domi nobiles, vix suis noti licere sibi crediderint.* Meminisses quæ te non solum libri sacri, sed etiam Lyricus doceat.

— Valet ima summis  
Mutare, & insignem attenuat Deus  
Obscura promens —

Sic etiam habeto; eorum quos tu vix nobiles esse aïs, alios nulli vestrarum partium vel generis nobilitate cedere; alios ex se natos per industriam atque virtutem ad veram nobilitatem iter affectare, & cum nobilissimis quibusque posse conferri; se autem malle *filios terræ* dici, modò suæ, & domi strenuè facere, quam sine terrâ & lare fumos vendendo, quod tu facis, homo nihil & stramineus eques, in aliena terra dominorum nutu & stipendio famem tolerare: ab ista, mihi crede, peregrinatione ad agnatos potius & gentiles deducendus, nisi hoc unum saperes, quod frivolas quasdam prælectiones & nugamenta scis tantâ mercede apud exterios effutire. Reprehendis quod magistratus nostri *colluviem omnium Sectarum recipiant*; quid ni recipiant? quos ecclesiæ est è coetu fidelium ejicere, non magistratum è civitate pellere; siquidem in leges civiles non peccant. Primò homines ut tutò ac liberè sine vi atque injuriis vitam agerent, convenere in civitatem; ut sanctè & religiosè, in Ecclesiam; illa leges, hæc disciplinam habet suam, planè diversam: Hinc toto orbe Christiano per tot annos bellum ex bello feritur, quod Magistratus & Ecclesia inter-

ter se officia confundunt. Quapropter & Papisticam minimè toleramus; neque enim eam tam esse religionem intelligimus, quām obtentu religionis tyrannidem pontificiam civilis potentiae spoliis ornatam, quæ contra ipsum Christi institutum ad se rapuit. *Independentes*, quales à te solo singuntur, nulli apud nos unquam visi; præter eos duntaxat qui cùm classes & synodos supra Ecclesiam quamque singularem esse non agnoscant, eas omnes velut Hierarchiæ particulas quasdam, aut certè truncum ipsum, eradicandas esse tecum sentiunt. Hinc nomen Independentium apud Vulgus obtinuit. Quod restat video te id agere, ut regum omnium & Monarcharum non invidiam solum, sed etiam bellum atrocissimum in nos concites. Olim Rex Mithridates, quamvis causâ dissimili, omnes reges in Romanos concitabat, eadem propè calumniatus; Romanis consilium esse, omnia regna subvertere, iis nulla humana neque divina obstat, à principio nihil nisi partum armis habuisse, latrones, regnorum maximè hostes. Hæc Mithridates regi Afraci: Te verò in illa tua exedra infinitissimè rhetoricanem quæ fiducia provexit, ut ad bellum hortando, & licet nolis videri, *classicum canendo*, ullum vel inter pueros regem commovere te posse animum induceres, isto præsertim ore tam exili & rancidulo, ut nemures quidem Homericos, te buccinatore, bellum unquam ranunculis illaturos tuisse credam? Tantum abest ut metuam quid tu belli nobis aut periculi, homo ignavissime, apud exterros reges istâ tua rabida & insulsâ simul facundiâ conflare possis: qui ad illos, acsi regum capita quasi pilas habeamus, de cronicis quasi trocho ludamus, sceptra imperialia non plures faciamus quām bacula morionum capitata, lusoriè sanè nos defers. At tu interea, stultissimum caput, morionis ipse baculo dignissimus es, qui reges ac principes tam puerilibus argumentis ad bellum suaderi putas. Omnes deinde populos inclamas, dicto audientes tu, sat scio, minimè futuros. Hibernorum etiam conseleratam illam ac barbarem colluviem regiis partibus in auxilium vocas. Quod unicum indicio esse potest quām scelestus sis & vixcos, quām omnes penè mortales impietate, audaciâ, & furore superes, qui devotæ gentis fidem atque opem implorare non dubitas, cuius ab impia societate tot civium innocentissimorum sanguine persusâ etiam rex ipse aut abhorruit semper, aut abhorrire se simulavit. Et quam ille perfidiâ, quam ille crudelitatem occultare, quantum potuit, atque ab se longè amovere summo studio contendit, eam tu, bipedium nequissime, quo minus ultrò atque palam suscipias, neque Deum neque homines vereris. Agedum; Hibernis igitur fautoribus ac sociis ad defensionem regis jam te accinge. Caves imprimis quod cauto mehercule opus erat, ne quis te Tullio fortasse aut Demostheni omnem eloquentiæ laudem præceptum ire suspicaretur; & prædicis, *oratorio more non tibi agendum videri*. Næ tu haud stulte sapi; id quod non potes, non videtur tibi esse agendum; oratoriè autem ut tu ageres quis, qui te satîs novit, unquam exspectavit? qui nihil elaboratè, nihil distinctè, nihil quod, sapiat, in lucem emittere aut soles aut potes; sed veluti Crispinus alter, aut Tzertzes ille græculus, modò ut multum scribas, quām recte non laboras; neque si labores, valeas. Agetur, inquis, *hæc causa toto orbe audiens, & quasi ad judicandum sedente*. Id adeò nobis pergratum est, ut adversarium non cerebrosum & imperitum, qualis tu es, sed cordatum & intelligentem dari: jam nobis optemus. Perorans planè tragicus es, immo Ajax ipse Lorarius: *Horum ego injustitiam, impietatem, perfidiam, crudelitatem, proclamabo cœlo & terra, ipsosque authores convictos posteris tradam, reosque peragam*. O Flosculos! Tûne igitur sine sale, sine genio proclamator & rabula, bonis authoribus divexandis tantum aut transcribendis natus, quicquam de tuo quod vivat producere te putas posse? quem unâ cum scriptis tuis futilissimis abrèptum ætas, mihi crede, proxima oblivioni mandabit. Nisi si defensio hæc regia suo fortasse responso aliquid debitura est, si neglecta jam pridem & consoluta, in manus iterum sumatur. Idque ego ab Illustrissimis Hollandiæ Ordinibus peterem, ut eam è fisco protinus dimissam, neque enim Thesaurus est, pervagari, quò velit, finant. Si enim quâ vanitate, insciâ, falsitate reserta sit, planum omnibus fecero, quò latius excurrit, eo arctius, meâ quidem sententiâ, supprimitur. Jam nos quemadmodum reos peragat, videamus.

## C. A. P. I.

**Q**uoniam tibi vano homini & ventoso multum hinc forsitan superbiæ, Salmasi, multum spiritus accessit, magnæ scilicet Britanniaæ regem fidei defensorem esse, te verò regis, ego quidem & illum regi titulum, & hunc tibi jure pari ac merito concedam: Cum sanè rex fides, tu regem sic defenderis, ut causam uterque suam evertisse potius videatur. Quod cum passim infra, tum hoc primo capite ostendam. Dixeras tu quidem præfationis paginâ duodecimâ, *Ornari pigmentis rhetoricis tam bonam & justam causam non debere: Nam simpliciter rem, ut gesta est, narrare, regem defendere est.* Quando igitur toto hoc capite in quo narrationem illam simplicem futuram pollicitus eras, neque rem simpliciter, ut gesta est, narras, neque non pigmentis, quantum in eo genere consequi potes rhetoricis ornas, profectò vel tuo iudicio si standum esset causa regia neque bona neque justa erit. Quanquam hoc caye tibi sumas quod dat nemo, posse te quicquam rhetoricè narrare; qui neque oratoris, neque historici, immò ne cauſſidici quidem partes narrando sustinere potes; sed quasi circulator quispiam, arte circumforaneâ, magnam de te in procēmio, velut in posterum diem, exspectationem concitabas; non tam ut rem promissam tum demùm narrares, quām ut pigmenta illa misera, & ampullas fuso refertas lectoribus quām plurimis divenderes. Nam *de facto dicturus tot novitatum monſtris te circundari ac terrori ſentis, ut quid priuum exequaris, quid deinde, quid poſtremo, nescias.* Hoccine est simpliciter narrare? Dicam quod res est, tot tuorum ipse mendaciorum monſtris, priuum terrori te ſentis, deinde tot nugis, tot ineptiis levissimum illud caput non circundari ſolum, sed circumagi, *ut quid priuum, quid deinde, quid poſtremo dicendum ullo tempore fit, non modò nunc nescias, sed nunquam antea non nesciveris.* Inter difficultates qua occurruunt ad exprimendam tam incredibilis flagitii immanitatem hoc unum facile dictu ſuppetit, quod iterum iterumque repeti debet, nempe ſolem ipsum atrocissim factum nunquam adspexisse alterum. Multa ſol aſpexit, bone magister, quæ Bernardus non vidit. Solem autem iterum atque iterum reperas licebit, id tu quidem prudenter feceris, quod non noſtra flagitia, ſed defenſionis tuae frigus vehementiſſime poſtulabit. Regum, inquis, *origo cum ſole novo coepit.* Dii te, Damasippe, dæque ſolſtitio donent, quo te calfacias, qui ne pedem ſine ſole; nequias fortaffe te umbraticum doctorem eſſe dicat. At hercle etiam in tenebris es, qui jus patrium à regio non diſtinguis: Et cùm reges Patriæ Patres nominaveris, eā statim metaphorā persuafſe credis, ut quicquid de patre non negaverim, id continuo de rege verum eſſe concedam. Pater & rex diuersiſſima ſunt. Pater nos genuit; at non rex nos, ſed nos regem creavimus. Patrem natura dedit populo, regem ipſe populus dedit ſibi; non ergo propter regem populus, ſed propter populum rex eſt; ferimus patrem, morosum etiam & durum, ferimus & regem; ſed ne patrem quidem ferimus tyrrannum. Pater ſi filium interficit, capite pœnas dabit: Cur non item rex eādem juſtiſſimā lege tenebitur, ſi populum, id eſt filios ſuos, perdiuerit, præſertim cum pater, ut ne pater ſit, efficere non poſſit, rex facilē poſſit, ut neque pater ſit neque rex. Quod ſi *de facti qualitate,* quod aīs, *indē estimandum eſt,* tibi dico, peregrine, & rebus noſtriſ alieniſſime, teſtis oculatus & indigena tibi dico; nos regem neque bonum, neque juſtum, neque clementem, neque religiſum, neque piūm, neque pacificum, ſed hostem prope decennalem; nec parentem patriæ, ſed vaſtatorem de medio ſuſtuliffe. Solles hec fieri, fateris, inficias enim ire non audes, ſed non à reformatis, regi reformato. Si quidem reformatus is dici potheſt, qui scriptis ad Papam literis, Sanctissimum appellaverat Patrem, qui Papistis æquior ſemper quām Orthodoxis fuīt. Talis cùm fuerit, ne ſuſt quidem familie primus à reformatis eſt de medio ſublatus. Quid? ejus avia Maria nonne à reformatis exuto regno ſolum vertere coacta eſt, ſupplicio demùm capitis affecta, ne Scotis quidem reformatis aegrè ferentibus? Immo ſi operam contuliffe dicam, haud mentiar. In tantâ autem regum reformatorum paucitate, nihil hujusmodi accidiffe, ut eorum aliquis morte plecteretur, non eſt quod miremur. Licere autem regem nequam, ſive tyrrannum regno pellere, vel ſupplicio quovis, prout meritus eſit, punire etiam ſummiſorum ſententiā Theologorum, qui ipſi reformandæ ecclesiæ authores ſueſe; aude tu modò negare. Concedis quām plurimos reges non ſiccâ morte periiffes,

periisse, hunc *gladio*, illum *veneno*, alium squalore *carceris*, aut *laqueo*. Omnim-  
 um tamen hoc tibi miserrium videtur, & monstri quiddam simile, regem in  
 judicium adduci, *causam capitum dicere coactum, condemnatum, securi percussum*. Dic  
 mihi, homo insipientissime, annon humanius, annon æquius, annon ad leges  
 omnium civitatum accommodatus est, cujuscunque criminis reum in judicio si-  
 stere, suī defendendi copiam facere, lege condemnatum ad mortem haud im-  
 meritam ducere, itā ut damnato vel poenitendi, vel se colligendi spatiū detur,  
 quām statim ut prehensus est, indētā causa pecudis in modum mactare? Quo-  
 tusquisque est reorum qui si optio detur, non illo potiū quām hoc modo puniri  
 se maluerit? Quæ ratio igitur animadvertiscendi in civem moderatior est habita,  
 cur non eadem in regem quoque moderatior, & vel ipsi regi acceptior fuisse  
 existimanda est? Tu secretō, & sine arbitris extinctum regem malebas, vel ut  
 exempli tam boni salubritate omnis memoria carerer, vel ut facti tam præclarí  
 conscientia defugisse lucem, aut leges atque ipsam justitiam minimè sibi amicam  
 habuisse videberet. Exaggeras deinde rem, quod neque per tumultum aut fa-  
 tionem optimatum, aut rebellium furorem, sive militum sive populi; non odio,  
 non metu, non studio dominandi, non cæco animi impetu, sed consilio & ra-  
 tione meditatum diu facinus peregerint. O meritō quidem te ex jurisconsulto  
 Grammaticum! qui ab accidentibus causæ, ut loquuntur, quæ per se nihil va-  
 lent, vituperationes instituis, cum nondum docueris illud facinus in vicio an in  
 laude ponendum sit? Jam vide quām in te facile incurram. Si pulchrum &  
 decorum fuit, eò magis laudandi quod nullis affectibus occupati, solius honestatis  
 causā fecerint; si arduum & grave, quod non cæco impetu, sed consilio & ra-  
 tione. Quanquam ego hæc divino potiū instinctu gesta esse crediderim; quo-  
 ties memoriam repeto; quām inopinato animorum ardore, quanto consensu totius  
 exercitus, cui magna pars populi se adjunxerat, ab omnibus penè regni provin-  
 ciis unā voce regem ipsum suorum omnium malorum authorem ad supplicium  
 deposcebat. Quicquid erat, sive magistratum sive populum spectes, nulli un-  
 quam excelsiore animo, &, quod etiam adversarii fagentur, sedatiore, tam egre-  
 gium facinus & vel heroicis ætatis dignum aggressi sunt: Quo non leges tan-  
 tum & judicia, dehinc mortalibus ex æquo restituta, sed ipsam justitiam nobili-  
 tarunt, sique ipsâ illustriorem dehinc, sique ipsâ majorem post hoc insigne judi-  
 cium reddidere. Jam tertiam prope hujus capitum paginam exantlavimus, nec  
 tamen illa simplex narratio, quam promisit, usquam appareat. Queritur nos  
 docere, *quoties rex molestè & odiosè regnat, impunè pessè regno exxi: Ab hac, inquit, doctrina inducti, si mille rebus meliorem regem habuissent, non ei vitam conservassent.*  
 Spestate hominis acumen; nam istuc aveo ex te scire, quo pacto hoc sequitur,  
 nisi tu nobis concesseris, nostro rege mille rebus meliorem molestè & odiosè  
 regnare; unde in eum deductus es locum, ut hunc quem defendis, iis regibus  
 qui molestè & odiosè regnant mille rebus deteriorem facias; id est tyrrannorum  
 omnium fortasse immanissimum. Macti estote reges tam strenuo defensore.  
 Nunc narrare incipit. *Torserunt eum variis crucibus.* Dic quibus. *De carcere in*  
*carcerem traduxerunt.* Nec injuriā, quippe ex tyrranno hostem bello captum.  
*Custodiis saepe mutatis:* Ne ipsæ mutarent fideim. *Libertatis interdum spe ostensā,*  
*interdum & restitutionis per pactionem.* Vide quām non antea meditatum nobis fuerit,  
 quām non tempora & modos diu captavimus regis abdicandi. Quas res ab eo  
 tum propemodum victore multo antè postulavimus, quæ nisi concederentur, nulla  
 libertas, nulla salus populo speranda erat, easdem à captivo suppliciter, haud  
 semel, immò ter & amplius petivimus; toties repulsam accepimus. Cum nulla  
 de rege spes reliqua esset, fit Parlamenti consultum illud nobile, nequa deinceps  
 ad regem postulata mitterentur; non ex quo is tyrranus esse, sed ex quo insana-  
 bilis esse coepit. Postea tamen quidam ex Senatorum numero nova sibi consilia  
 capientes, & idoneum tempus nacti, conditiones iterum regi ferendas decernunt;  
 pari sanè scelere atq; dementiā ac Romanus olim Senatus, reclamante Marco Tul-  
 liō & cum eo bonis omnibus, legatos decrevit ad Antonium: pari etiam eventu, nisi  
 Deo immortalī visum aliter fuisset, illos in servitutem tradere, nos in libertatem  
 vindicare. Nam cùm rex nihilo plus quām antea concessisset, quod ad firmam pa-  
 cem & compositionem reverā spectaret, illi tamen satisfactum sibi à Rege esse sta-  
 tuunt. Pars itaque sanior, cùm se réisque publicam prodi videret, fidem fortissimi,  
 & semper reipub. fidissimi exercitū implorat. In quo mihi quidem hoc solum  
 occurrit quod nolim dicere, nostras legiones rectiora sensisse quām patres  
 conscriptos: Et salutem reipub. armis attulisse, quam illi suis suffragiis propè  
 damna-

damnaverant. Multa deinde flebiliter narrat, verum tam inscitè, ut luctare emendicare, non commovere videatur. Dolet, quod eo modo, quo nullus unquam, rex supplicium capitum passus sit : Cum saepius affirmaverit, nullum unquam regem supplicium capitum omnino esse passum. Tunc, fatue, modum cum modo confere soles, ubi factum cum facto quod conferas non habes? *Supplicium*, inquit, *capitis passus est, ut latro, ut sceleris, ut parricida, ut proditor, ut tyrannus*. Hoc cine est regem defendere, an sententiam de rege ferre, eam sanè quæ à nobis lata est, multò severiorem? Quis te tam subito pellexit ut nobiscum pronuntias? *Queritur personatos carnifices regi caput amputasse*. Quid hoc homine facias? questus est suprà *de parricidio in persona regis admisso*, nunc in persona carnificis admissum queritur. Quid reliqua percurram, partim falsissima, partim frivola *de pugnis & caecibus militum gregariorum, & licentiâ spectandi cadaveris quatuor solidis taxatâ*, quæ frigidissimi literatoris inscitiam & pusillitatem animi clamitant; legentem certè neminem pilo tristiorum reddere possunt: Satius mehercule suisset Carolo filio, quemvis ex eo balatronum grege conduxisse, qui ad coronam in triviis elegidia cantant, quam oratorem hunc, lucificabilem dicam, an perridiculum deplorando patris infortunio adhibuisse; tam insipidum & insulsum, ut ne ex lacrymis quidem ejus mica salis exiguisima possit exprimi. Narrare jam desit; & quid deinde agat, dictu sanè difficile est; adeò lutulentus & enormis fluit; nunc fremit, nunc oscitat, nullum quidlibet garriendi modum sibi statuit, vel decies eadem repetendi, quæ ne semel quidem dicta non fordescerent. Et certè nescio, an blateronis cuiuspiam extemporales quælibet nugae, quas ille uno pede stans versiculis fortè effuderit, non digniores multo sint quæ chartâ illinantis; adeò indignissimas esse reor quibus sejò respondeatur. Prætereo quod regem *religionis protectorem* laudat, qui ecclesiæ bellum intulit, ut episcopos religionis hostes & tyrannos in ecclesia retineret. *Puritatem autem religionis* qui potuit is conservare, ab impurissimis episcoporum traditionibus & cærementis ipse sub jugum missus? *Sectarum* verò, quibus tu sacrilegos suos cætus tenendi licentiam aës dari, quam ipsa Hollandia non dat, errores velim enumeres: Interim nemo te magis sacrilegus, qui perpetuò maledicendi pessimam omnium licentiam tibi sumis. *Non poterant gravius rempubl. ledere quam ejus dominum tollendo*. Disce verna, disce mastigia, nisi dominum tollis, tollis rempublicam: Privata res est, non publica quæ dominum habet. *At pastores facinus eorum abominantes cum summa iniustiâ persequuntur*. Pastores illos nequis fortè nesciat quales sint, breviter dicam; iidem sunt qui regi resistendum armis esse, & verbo & scriptis docuerunt; qui omnes tanquam Merozum indesinenter execrari non destiterunt, quotquot huic bello aut arma, aut pecuniam, aut vires non suppeditâssent; quod illi non contra regem, sed contra tyranum Saule quovis aut Achabo, immo Neronem ipso Neroniorem susceptum esse in concionibus sacris vaticinabantur. Sublati episcopis & sacerdotibus quos Pluralistarum & non residentium nomine insectari vehementissime solebant, in eorum amplissima sacerdotia, hic bina, ille tria, quam ocyssimè irruerant: Unde suos greges quam turpiter negligant pastores isti merito egregii nemo non videt. Nullus pudor, nulla numinis reverentia dementes cupiditate & furiatis cohibere potuit, donec pessimo ecclesiæ publico eadem ipsi infamia flagrarent, quam paulò ante sacerdotibus inusserant. Nunc quod avaritia eorum nondum satiata est, quod, inquies ambitione animus turbas concire, pacem odisse consuevit, in Magistratus qui nunc sunt, id quod prius in regem fecerant, seditione concionari non desinunt; regem scilicet pium crudeliter sublatum; quem modò ipsi diris omnibus devotum, omni authoritate regi spoliandum, & bello sacro persequendum, in manus Parlamento, quasi divinitus, tradiderant; sectas scilicet non extirpari, quod certè à magistratis postulare perabsurdum est, qui avaritiam & ambitionem, quæ duæ in ecclesia hæreses perniciofissimæ sunt, ex ipsorum ordine pastorum ac tribu, nullo adhuc modo aut ratione extirpare valuerunt. Quas illi sectas apud nos insectantur, obscuras esse scio, quas ipsi sequuntur, famosas, & ecclesiæ Dei longè periculosiores; quarum principes Simon ille Magus & Diotrephe fuere. Hos tamen, nequissimi cum sint, adeò non persequimur, ut factiosis, & res novas quotidie molientibus nimium indulgeamus.. Offendit jam te Gallum & errabundum, quod Angli suis molossis, quæ tua canina facundia est, ferociores, nullam *legitimi successoris & hæredis regni*, nullam *natu minimi*, nullam *reginae Bohemiae* rationem habuerint. Tute respondebis tibi, non ego. *Ubi reipubl. forma mutatur ex monarchicâ in aliam, non datur successio inter differentis regiminis curatores.*

Apparat. de primatu. *Minima, inquis, regni unius pars hæc omnia per tria regna effecit : & digni quidem, si hoc verum esset, quibus in cæteros imperium sit, viris in foeminas.* *Isti sunt qui regimen regni antiquum in alium qui à pluribus tyrannis teneatur, mutare præsumperunt ; rectè quidem illi & feliciter, quos tu reprehendere non potes, quin simul foedissimè barbarus & solœcetus sis, non moribus solùm, sed syntaxis etiam, grammaticorum opprobrium.* *Angli maculam hanc nunquam deleverint.* Immò tu, licet omnium literatorum litura ipse sis, & verè macula, Anglorum tamen famam & sempiternam gloriam nunquam valueris commaculare. Qui tantâ animi magnitudine, quantâ omni memoriâ vix audita est, non hostes tantùm armatos, sed hostiles intùs, id est superstitiones vulgi opiniones eluctati atque supergressi, Liberatorum cognomen posthac per omnes gentes in commune sibi pepererunt : populariter id ausi, quod apud alias nationes heroicæ tantùm virtutis esse existimatur. *Reformati & antiqui christiani* quid lac in parte fecerint, aut facturi essent, tum respondebimus, cùm de jure tecum suo loco agetur ; ne tuo vitio laboremus, qui gerrones omnes & Battos loquacitate vincis. Quæreris quid sis in nostra causâ *Jesuitis* responsurus. Tuas res age transfuga, pudeat te facinorum tuorum, quando ecclesiastam tui pudet ; qui primatum Papæ, & episcopos tam jauctor modò & ferociter adortus, nunc episcoporum assecla factus es. Fateris aliquos reformatorum, quos non nominas (ego tamen nominabo, quoniam tu eos *Jesuitis* longè peiores esse aïs, Lutherum nempe, Zuinglium, Calvinum, Bucerum, Paræum cum aliis multis) docuisse, avarendum esse tyrannum : *Quis autem sit tyranus ad judicium sapientium & doctorum se retulisse ?* *Isti vero qui ? an sapientes, an docti, an virtute nobiles, an nobilitate illustres.* Liceat, quæsto, populo, qui servitutis jugum in cervicibus grave sentit, tam sapienti esse, tam docto, tamque nobili, ut sciat quid tyranno suo faciendum sit, etiam si neque exteros, neque grammaticos sciscitatum mittat. Tyrannum autem suisse hunc non Angliae solùm & Scotiæ Parlamenta cùm verbis tum factis disertissimis declaraverunt, sed totus ferè utriusque regni populus assentitus est ; donec episcoporum technis & fraudibus in duas postea factiones discessit. Quid si Deus, quemadmodum eos qui lucis evangelicæ participes fiant, ita eos qui decreta ejus in reges hujus mundi potentissimos exequantur, non multos sapientes aut doctos, non multos potentes, non multos nobiles esse voluit ? Ut per eos qui non sunt aboleret eos qui sunt ; ut ne glorietur caro coram eo. Tu quis es qui oblatras ? An doctus ? Qui spicilegia, qui lexica & glossaria ad senectutem usque trivisse potius videris, quam autores bonos cum iudicio aut fructu perlegisse ? Unde nil præter codices, & varias lectiones, & luxatum & mendosum, crepas ; doctrinæ solidioris ne guttulam quidem hausisse te ostendis. An tu sapiens ? Qui de minutis minutissimis rixari & menaciorum bella gerere soles, qui nunc astronomi, nunc medicis in sua arte credendis imperitus ipse & iudis convictia dicis ; qui, si quis tibi voculæ unius aut literulæ in exemplari quovis abs te restitutæ gloriolam præripere conaretur, igni & aqua, si posses, illi interdiceres ? Et tamen stomacharis, & tamen ringeris, quòd omnes te Grammaticum appellant. Hamondum nuper regis hujus Sacellani imprimis dilectissimum in libro quodam nugatorio nebulonem palam appellas, quòd is te grammaticum appellavisset : Idem, credo, es es ipsi regi convictum facturus, & defensionem hanc totam retractatus, si Sacellani sui de te iudicium approbatæ audivisses. Jam vide quām te Anglorum unus, quos tu fanaticos, indectos, obscuros, improbos vocitare audes, contemnam & ludibrio habeam (nam nationem ipsam Anglicanam de te quicquam publicè cogitare curculiunculo, indignissimum eset) qui sursùm, deorsùm, quoquoversùm versatus & volutatus, nihil nisi grammaticus es : Immo ac si deo cuilibet votum ipso Mida stultius nuncupâstè, quicquid attractas, nisi cùm solœcismos facis, Grammatica est. Quisquis igitur de face illa plebis, quam tu exagitas (illos enim verè optimates nostros, quorum sapientiam, virtutem, & nobilitatem facta inclyta satis testantur, non sic de honestabo, ut te illis, aut tibi illos componere velim) quisquis, inquam, de face illi plebis hoc tantummodo sibi persuaserit, non esse te regibus natum, sed deo & patriæ, multò sanè te doctior, multò sapientior, multo probior, & ad omnem vitam utilior existimandus erit. Nam doctus ille sine literis, tu literatus sine doctrina ; qui tot linguas calles, tot volumina percurris, tot scribis, & tamen pecus es.

## C A P. II.

**Q**uod argumentum pro se *indubiatum* esse, superiore capite perorans dixerat Salmasius, rem ita se habere ut creditur, cum omnes unanimiter idem de eis sentiant; quod tamen is de falso falsissime affirmabat, id ego nunc, de jure regio disceptaturus, potero in ipsum verissime affirmare. Cum enim regem definiat, cuius *suprema est in regno potestas, nulli alii nisi deo obnoxia, cui quod libet licet, qui legibus solutus est*, siquidem id definiri dicendum est, quod infinitum in terris ponitur, evincam ego contraria, non meis tantum, sed vel ipsius testimoniis, & rationibus, nullam gentem aut populum, qui quidem ullo numero sit, nam omnem penetrare barbariem necesse non est; nullam, inquam, gentem istiusmodi jura aut potestatem regi concessisse, ut *legibus solutus esset, ut quod libet liceret, ut omnes judicaret, à nemine judicaretur*; nec verò ullum cuiuscunque gentis tam servili ingenio existisse puto, praeter unum Salinasi, qui tyrannorum immania quaque flagitia regum jura esse asseverarit. Eorum plerique apud nos, qui regi maximè favebant, ab hac tam turpi sententiâ semper abhorruere, quinetiam iple, nondum pretio corruptus, his de rebus longè aliter sensisse aliis jampridem scriptis facile reprehenditur. Adeò ut hæc non ab homine libero in libera civitate, nedum in Repub. nobilissimâ, & Batavorum Academiâ celeberrimâ, sed in ergastulo quovis aut catastâ, tam servili vernilitate scripta esse videantur. Etenim, si quicquid regi libet, id jure regio licitum erit, quod tertiarius ille Antoninus Caracalla ab Julia nevercâ per incestum edocitus non statim ausus est credere, nemo profectò est aut unquam fuit, qui tyrannus dici debeat. Cum enim divina omnia atque humana jura violavit, nihil tam minùs rex, jure regio insons erit. Quid enim peccavit homo aequissimus? Jure suo usus est in suos. Nihil rex tam horrendum, tam crudele, tamque furiosum committere in suos potest, quod præter jus regium fieri quipiam possit queri aut expostulare. *Hoc tu jus regium à jure gentium, vel potius naturali originem habere statuis, bellua?* Quid enim hominem te dicam, qui in omne hominum genus, adeò iniquus & inhumanus es? quique omnem gentem humanam deo simillimam sic deprimere atque projicere conaris, ut quos nunc superstitione, nunc scelus aut ignavia quorundam, aut denique perfidia tam feros atque immites dominos gentibus impo-  
suit, eos à natura matre mitissimâ comparatos atque impositos esse doceas? Quâ tu nefariâ doctrinâ multo jam ferociores factos, non solum ad proterendos omnes mortales, & posthac miseriorem in modum conculcandos immittis, sed jure naturali, jure regio, ipsis etiam populi legibus in populum armare, quo nihil simul stultius & sceleratus esse potest, contendis. Dignus profectò qui contra atque olim Dionysius ex grammatico tyrannus ipse sis; non quo tibi in alium quemvis detur illa regia licentia male faciendi, sed illa altera male pereundi: Quâ solâ, ut inclusus ille Capreis Tiberius à temetipso perditus quotidie te sentias perire. Verum jus illud regium paulò accuratiùs quale sit consideremus. *Sic Oriens totus, inquis, judicavit sic Occidens.* Non reponam tibi quod Aristoteles & Marcus Cicero, authores, si qui alii, cordatissimi, ille in Politicis, hic in oratione de Provinciis scripsit, Gentes Asiaticas facile servitutem pati, Judæos autem & Syros servituti natos fuisse. Fateor paucos ferè libertatem velle, aut eâ posse uti, solos nempe sapientes, & magnanimos; pars longè maxima justos dominos mavult, sed tamen justos; injustos & intolerabiles ferendi neque Deus unquam universo generi humano tam infensus fuit, neque ullus unquam populus tam ab omni spe & consilio derelictus, ut necessitatem hanc atque legem omnium durissimam in se atque in suos liberos ultro statueret. Profers imprimis *verba regis in Ecclesiaste sapientiâ clari.* Nos itaque ad legem Dei provocamus, de rege posterius videbimus; cuius exinde sententiam rectius intelligemus. Audiatur ipse Deus, Deut. 17. *Cum ingressus fueris in terram, quam Jehovah Deus dat tibi, & dices statuam super me Regem sicut omnes gentes quae sunt circa me: Quod ego omnes velim etiam atque etiam animadvertant, teste hic ipso Deo, penes populos omnes ac nationes arbitrium semper fuisse, vel eâ, quae placeret, formâ reipub. utendi, vel hanc in aliam mutandi: De Hebreis differt hoc dicit Deus, de reliquis haud abnuit: deinde formam reipub. monarchiâ perfectiorem, ut sunt res humanæ, siue populi magis ex usu deo visam esse: Cum hanc ipse formam instituerit; monarchiam non nisi ferò petentiibus,*

bus, idque ægrè concederet. Siā regem planè vellent, ut ostenderet Deus id se liberum Populo reliquise, ab uno an à pluribus respub. administraretur, modò justè, regi etiam futuro leges constituit, quibus cautum erat, ut no multiplicet sibi equos, ne uxores, ne dixitias; ut intelligeret nihil sibi in alios licere, qui nihil de se statueré extra legem potuit. Iussus itaque est omnia legis illius præcepta, etiam suâ manu perscribere; perscripta observare; ne efferatur animus ejus præ fratribus suis. Ex quo perspicuum est, regem aequè ac populum istis legibus astrictum fuisse. In hanc ferme sententiam scriptit Josephus, legum suæ gentis interpres idoneus, in suâ repub. versatissimus, mille aliis tenebriobus Rabbinis anteponendus. Antiquat. lib. 4. Αγετοκρατία πέρι της κατάστασος, &c. Optimum est, inquit, optimatum regimen; nec vos alium reipub. statum requiratis; satis enim est Deum habere præsidem. Attamen si tanta vos regis cupido ceperit, plus legibus & Deo tribuat is quam sit sapientia; prohibeat autem, si potentior fieri studet, quam rebus vestris expedit. Hæc & plura Josephus in istum Deuteronomii locum. Alter Philo Judæus, gravis author, Josephi coætaneus, legis Mosaïcae studiosissimus, in quam universam diffusâ commentatione scripsit, cum in libro de creatione Principis hoc caput legis interpretatur, non alio pacto regem legibus solvit, atque hostis quilibet solitus legibus dici possit, τὸς ἔχοντος τὴν ἀρχὴν, &c. qui, inquit, ad perniciem & detrimentum populi magnam sibi acquirunt potentiam, non reges sed hostes appellandi sunt; et facientes, qua hostes nullâ pace reconciliandi faciunt; nam qui per speciem gubernandi faciunt injuriam, apertis hostib[us] pejores sunt; hos enim facile est propulsare, illorum autem malitia hand facile detegitur. Deteſti igitur quid obstat quo minus hostium loco habendi sint? Sic libro secundo Allegoriarum Legis, rex & tyrannus contraria sunt; & deinde rex non imperat tantum, sed paret. Vera sunt ista, dicet aliquis, regem oportet quidem leges, ut qui maximè, obſervare; verum si lecus fecerit, quâ lege puniendus? eadem, inquam, lege quâ ceteri, exceptiones enim nullas reperio. Sed nec de Sacerdotibus, sed nec de iisimis quidem magistratibus puniendis lex uilla scribitur; qui omnes, cum de iis puniendis nulla lex scripta sit, pari certe jure & ratione posseat impunitatem scelerum omnium sibi vendicare; quam tamen neque coru[m] quisquam vendicavit, neque ullum iis arbitror idcirco esse daturum. Hactenus ex ipso Dei lege didicimus iegem legibus obtemperare debuisse; nec se præ ceteris efferre, qui etiam fratres ejus sunt. Nunc an quid aliud Ecclesiastes moneat videamus. Cap. 8. ver. 1, &c. Mandatum regis obſerva; vel propter juramentum Dei, ne perturbare à facie ejus abito, ne perfidio in re malâ, num quicquid volet faciet. Ubi verbum regis, ibi dominatio, & quis dicat ei quid facis? Satis constat Ecclesiasten hoc in loco non synedrio magnô, non senatu, sed privato cuique præcepta dat. Jubet mandata sua obſervare, vel propter juramentum Dei; at quis jurat regi, nisi rex vicissim in leges divinas atque patrias juraus sit? Sic Reubenitæ & Gaditæ obedientiam suam Jehosu[m] pollicentur, Jof. 1. Ut dielio audiētes Moi suimus, ita erimus tibi, modo ut Deus tecum sit, quemadmodum fuit cum Aiese. Conditionem vides expressam; Alioquin ipsum audi Ecclesiasten, cap. 9. Verba sapientum submissa potius audienda esse, quam clamorem dominantis inter stolidos. Quid porro monet? Ne perfidio in re malâ, ram quicquid volet faciet, in malos nimirum faciet autoritate legum armatus, nam leniter aut severè agere, prout volet, potest. Nihil hic tyrannicum sonat, nihil quod vir bonus extimescat. Ubi verbum regis ibi dominatio, & quis dicat ei quid facis? Et tamen legitimus qui regi dixerit non solum quid fecisti, sed etiam stulte fecisti, 1 Sam. 13. At Samuel extraordinarius. Tuum tibi regero, licet infra dictum pag. 49. quid, inquis, extraordinarium in Saue & Davide? itidem ego, quid, inquam, in Samuel? Propheta fuit: sunt & illi hodie, qui ejus exemplo faciunt; ex voluntate enim Dei vel expressâ vel tacitâ agunt: quod etiam ipse infra concedis, pag. 50. Prudenter igitur Ecclesiastes hoc in loco monet privatos, ne cum rege contendant: nam etiam cum divite, cum potenti quovis, ut plurimum, damnoſa contentio est. Quid ergo? an optimates, an omnes reliqui magistratus, an populus universus quoties delirare libet regi, ne hiscere quidem audebunt? an stolido, impio, furenti, bonis omnibus perniciem machinant non obſtabunt, non obviam ibunt, ne divina omnia atque humana pervertere occupet, ne ripinis, ne incendiis, ne cedibus per omnes regni fines graviteretur ita legibus solitus, ut quod libet licet? O de Cappadocis eques catalis! quem omnis libera natio (si unquam post hoc in natione libera pedem ponere audebis) aut in ultimas terras

terras veluti portentum exportandum ejicere, aut servitatis candidatum dedere in pistrinum debebit, et lege atque omni, ut si te inde exemerit, ipsa sub aliquo tyranno, eoque stultissimo, pro te molat. Quid enim poterit dici, aut ab aliis dictum peti tam truculentum, aut ridiculum, quod in te non cadat? Perge modò: Israëlitæ regem à Deo petentes eodem jure se ab eo gubernari velle dixerunt, quo omnes aliae nationes, que hoc regimine utebantur. At Orientis reges summo jure, & potestate non circumscripsi regnabant, teste Virgilio.

— Regem non sic Aegyptiis & ingens  
Lydia, nec populi Parthorum, & Medus Hydaspes  
Observant.—

Priùm quid nostrâ refert qualem sibi regem Israëlitæ voluerint, præsertim Deo irato, non solum quod regem vellent ad exemplum gentium, & non suæ legis, sed planè quod vellent regem? Deinde regem injustum, aut legibus solutum petivisse credibile non est, qui Samuëlis filios legibus obstrictos ferre non potuerunt, & ab eorum tantum avaritia ad regem consugerunt. Postremò quod ex Virgilio recitas, non probat reges Orientis absolutâ potestate regnasse; Apes enim illæ Virgilianæ, quæ vel Aegyptiis & Medis observantiores regum sunt, teste tamen eodem Poëta — *Magnis agitant sub legibus ævum.* —

Non ergò sub regibus omni lege solutis. At vide quām tibi minimè velim male; cum plerique te nebulonem esse judicent, ostendam te personam tantum nebulonis mutuam sumplisse. In Apparatu ad primatum Papæ doctores quosdam Tridentinos exemplo Apium utsos aīs, ut monarchiam Papæ probarent: ab his tu pari malitiâ hoc mutuum cepisti. Quod illis itaque respondisti cūm probus essem, jam factus nebulo tute respondebis tibi, tuaque tibi manu personam nebulonis detrahes. *Apium respub. est; atque ita Physici appellant: Regem habent, sed innocuum; duktor est potius quam tyrannus, non verberat, non velicit, non necat apes subditas.* Minimè igitur mirum, si ita observant. Istan mehercule apes mala ave tibi tactio erat; Tridentinæ enim licet sint, facum te esse indicant. Aristoteles autem, rerum politicarum scriptor diligenter, monarchiæ genus Asiaticæ, quod & barbaricum vocat, *κτυόμενον*, id est, secundum legem suisst affirmat. Pol. 3. immo cum monarchiæ quinque species enumeret, quatuor secundum legem, & suffragante populo suisst scribit, tyrannicas autem, quod iis tanta potestas, volente licet populo, data erat; regnum vero Laconicum maximè regnum videri, quod non omnia penes regem erant. Quinta, quām is παραστατεῖσιν vocat, & ad quām solam id refert quod tu regum omnium jus esse scribis, ut ad libitum regnent, ubinam gentium, aut quo tempore unquam obtinuerit non dicit: nec aliam ob caussam fecisse mentionem ejus videtur, quām ut absurdam, injustam, & maximè tyrannicam esse demonstraret. Samuelem aīs, cūm eos ab eligendo rege deterret, *jus illis regium exposuisse.* Unde haustum, à lege Dei? at illa lex jus regium, ut vidimus, longe aliud exhibuit: an ab ipso Deo per Samuelem loquente? at improbat, vituperavit, vitio dedit: non igitur jus regium divinitus datum, sed morem regnandi pravissimum, superbiâ regum & dominandi libidine aneptrum exposuit propheta; nec quid debebant reges, sed quid volebant facere; rationem enim regis populo indicavit, sicut antea rationem sacerdotum Eliadarum eodem verbo (quod tu p. 33. Hebraico etiam solocismo נָבָתְּךָ וְכָאַתָּה) suprà indicaverat. C. 2. ratio sacerdotum istorum cum populo hic erat, v. 13. impia videlicet, odiosa, & tyrannica: ratio itaque illa nequaquam jus erat sed injuria. Sic etiam patres antiqui hunc locum exposuerunt; unus mihi erit multorum instar, Sulpitius Severus, Hieronymi æqualis, eique charus, & Augustini judicio vir doctrinâ & sapientiâ pollens. Is in historia sacra Samuelem ait dominationem regiam, & superba imperia populo exponere. Sanè jus regium non est dominatio & superbia; sed jus atque imperium regium, teste Sallustio, conservandæ libertatis atque augendæ reipub. caussâ datum, in superbiam dominationemque se convertit. Idem Theologi omnes Orthodoxi, idem jurisconsulti, idem rabbini plerique, ut ex Sichardo didicisse potuisti, de explicatione hujus loci sentiunt; ne Rabinorum enim quisquam jus regis absolutum isto loco tractari dixit. Ipse infra cap. 5. pag. 106. non Alexandrinum Clementem solum, sed omnes hic quereris errare, te unum ex omnibus rem acu tetigisse: Jam vero cuius vel impudentiæ est vel fœcordiæ, contra

tra omnes, præsertim orthodoxos, mores regum ab ipso Deo damnatissimos in jus regium convertere; & honesta juris præscriptione defendere: cum jus tamen illud in rapinis, injuriis, violentiis, contumelii sæpius consistere fatearis. An quisquam sic *sui juris* unquam fuit, ut rapere, agere, prosternere, permiscere omnia sibi liceret? an Latini, quod affirmas, hæc *suo jure ab aliquo fieri unquam dixerunt?* Dixerat apud Sallustium C. Meminius tribunus Plebis, in superbiam & impunita flagitia nobilitatis invectus, *impune qualibet facere, id est, regem esse;* Arrisit hoc tibi, & statim in lucro ponis, nequicquam sanè, si paulum evigilaveris. An jus hic regium afferuit? annon plebis ignaviam potius increpuit, quæ nobiles impunè dominari sineret, eoque mores regios jam rursus pateretur, quos jure suo majores illorum cum rege ipso finibus expulerant. Marcum Tullium saltem consuluisses; is te & Sallustium, & Samuel etiam rectius interpretari docuisset. Qui pro C. Rabirio *nemo*, inquit, *nostrum ignorat consuetudinem regiam;* *regum sunt hæc imperia, animadverte & dicto pare;* aliaque hujusmodi ex Poëtis ibidem recitat, quæ non jus, sed *consuetudinem regiam* vocat, eaque legere & spectare nos ait debere, non *ut delectemur solùm, sed ut cavere etiam & effugere discamus.* Vides quām te male multaverit Sallustius, quem tyrannis inimicissimum, juris tyranici patronum attulisse te putabas. Nutare, mihi crede, & suum sibi occasum accelerare jus regium videtur, dum ruentis in modum tenuissima quæque sic arripit, sequere sustinere iis testibus atque exemplis conatur, quæ tardius fortasse alioqui ruiturum vehementius proturbant. *Summum,* inquis, *jus summa injuria est, id in regibus maxime locum habet qui cùm summo jure utuntur, ea faciunt in quibus Samuel dicit jus regis esse positum.* Misericordia jus; quod tu jam ad extrema perductus, nisi per summam injuriam defendere ulterius non potes! *Summum jus id dicitur, cùm quis formulas legum sectatur, singulis penè literis immoratur, æquitatem non servat;* aut scriptum jus callide nimis & malitiosè interpretatur, ex quo illud proverbium Cicero ortum esse ait. *Cùm autem jus omne de fonte justitiae manare certum sit, impius sis necesse est, qui regem injustum esse, iniqum, violentum, raptorum esse, & quales esse solebant qui pessimi erant, jus regis esse dicis, idque prophetam populo insinuasse.* Quod enim jus summum aut remissum, scriptum aut non scriptum ad maleficia perpetranda esse potest? Id ne tibi de aliis concedere, de rege pernegare in mentem veniat, habeo quem tibi opponam, & puto regem, qui istiulmodi jus regium & sibi & Deo invisum esse profitetur: Psal. 94. *an consociaretur tibi solium ærumnarum, formantis molestiam per statutum.* Noli igitur Deo hanc atrocissimam injuriam facere, quæsi regum pravitates & nefaria facinora jus esse regium doceret, qui etiam hoc nomine societatem cum improbis regibus se detestari docet, quod molestiam & ærumnas omnes populo juris regii titulo creare soleant. Noli Prophetam Dei falsò insimulare; quem, tu dum juris regii isto loco doctorem habere putas, non verum nobis affers Samuelem; sed, ut benefica illa, inanem umbram evocas; quamvis & illum ab inferis Samuelem non adeò mendacem fuisse credam, quin illud quod tu jus regium vocas, impotentiam potius tyranicam dicturus fuisset. Jus datum sceleri legimus, tûque licentia jure concessa reges minus bonos uti consueverisse aïs. At jus hoc ad perniciem humani generis abs te introductum non esse à Deo datum probavimus; restat ut sit à Diabolo; quod infrâ clariùs liquebit. *Hæc, inquis, licentia dat posse, si velis;* & authorem hujus juris habere Ciceronem præte fers. Nunquam ægrè facio ut testimonia tua recitem, tuis enim ipse testibus confiscere te soles. Audi igitur verba Ciceronis in quartâ Philipp. *Quæcausa justior est belli gerendi, quām servitutis depulso? in qua etiam si non sit molestus dominus, tamen est miserrimum posse si velit, posse vi scilicet;* nam de jure si loqueretur, repugnantia diceret, & ex justa belli causa injustam faceret. Non est igitur jus regium quod tu describis, sed injuria, sed vis, & violentia regum. Transis ab regia licentiâ ad privatam: *licet privato mentiri, licet ingrato esse.* Licet & regibus; quid inde efficis? licet ergò regibus impunè rapere, occidere, stuprare? Quid interest ad injuriæ gravitatem rex an latro, an aliunde hostis populum occidat, diripiatur, in servitutem agat? eodem certè jure, & hunc & illum humanæ societatis inimicum, & pestem propulsare, atque ulcisci debemus; immo regem eo justius quod is tot beneficiis & honoribus nostris auctus commissam sibi sub juramento publicam salutem prodat. Concedis postremò leges dari à Mose, secundum quas rex ille quandoque eligendus imperare debebat, quamvis diversas ab illo jure quod Samuel proposit.

Quod cum assertione tua dupliciter pugnat ; cùm enim regem legem omnino solutum posueris, nunc obstrictum dicis : dein jus juri contrarium potius & Samuélis, quod est absurdum. At serui, inquit Propheta, vos regi. Ut servos fuisse non abnuerim, non jure tamen regio servi fuerunt, sed regum fortasse plurimorum usurpatione & injustitiâ. Illam enim petitio-  
num obstinatam non jure regio, sed suo merito in pñnam illis cessuram Pro-  
phetæ præmonuit. At verò si regi legibus soluto quicquid libet licuerit, pro-  
vidèt se longè plus quam dominus erit, populus infra omnium servorum in-  
famus plus quam infimus. Servus enim vel alienigena legem Dei vindicem  
in jure solum in dominum habebat ; populus universus, libera nimirum gens, vin-  
dicem in terris neminem, nullam legem habebit, quò lñsus, afflictus & spolia-  
tus confugiat : à servitute regum Ægyptiorum ideo liberatus, ut uni ex fra-  
tribus suis duriore si libeat servitute opprimendus traderetur. Quod cum neque  
divinæ legi nec rationi consentaneum sit, dubium nemini esse potest, quin  
Propheta mores enarraverit, non jus regum ; neque mores prorsus regum om-  
nium, sed plurimorum. Descendis ad rabbinos, duosque adducis eâdem, quâ  
priùs, infelicitate: nam caput illud de rege in quo R. Joses jus regium aiebat  
continei, Deuteronomii esse, non Samuélis manifestum est. Samuélis enim  
ad terrorem duntaxat populo injiciendum pertinere rectissimè quidem & con-  
tra te dixit R. Judas. Perniciosum enim est id jus nominari atque doceri quod  
injustitia planè est, nisi abusivè forsitan jus nominetur. Quo etiam pertinet  
versus 18. Et exclamabis die illa propter regem vestrum, sed non exaudiet vos  
Jehovah ; obstinatos nimirum ista pœna manebat, qui regem nolente Deo dari  
sibi voluerunt. Quanquam ista verba non prohibent, quo minus & vota &  
quidvis aliud tentare potuerint. Si enim clamare ad Deum contra regem po-  
pulo licebat, licebat procul dubio omnam etiam aliam inire rationem honestam  
sese a tyrannide expediendi. Quis enim quovis malo cum premitur, sic ad  
Deum clamat ut cætera omnia quæ officii sunt sui negligat, ad otiosas tantum  
preces devolutus ? Verum utcunque sit, quid hoc ad jus regium, quid ad jus  
nostrum ? qui regem nec invito Deo unquam petivimus, nec ipso dante acce-  
pimus, sed jure gentium usi, nec jubente Deo nec vetante, nostris legibus con-  
stituimus. Quæ cùm ita se habeant, non video quamobrem nobis laudi atque  
virtuti tribuendum non sit, regem abjecisse ; quandoquidem Israëlitis criminis  
est datum regem petisse. Quod etiam res ipsa comprobavit ; nos enim qui  
regem, cùm haberemus, deprecati sumus, tandem exauditus Deus liberavit ;  
illos, qui cùm non haberent, à Deo efflagitabant, servire jussit ; donec Baby-  
lone redeuntes ad pristinum reipub. statum reversi sunt. Ludum Talmudicum  
deinde aperis ; quin & hoc finistro augurio tentatum. Dum enim regem non  
judicari cupis ostendere, ostendis ex Codice Sanhedrim regem nec judicari nec  
judicare ; quod cum petitione istius populi pugnat, qui ideo regem petebant, ut  
judicaret : id frustrà resarcire studes ; intelligi nempe id de regibus Post-babylo-  
nicis debere. At ecce tibi Maimonides, qui hanc inter reges Israëlitas & Judeos  
differemus imponit : Davidis enim posteros iudicare & iudicari ; Israëlitis neutrum con-  
cedit. Occurris tibi, tecum enim litigas, aut cum Rabbinis tuis ; meam rem agis.  
Hoc primis in regibus locum non habuisse, quia dictum est v. 17. vos eritis ei servi :  
consuetudine scilicet, non jure ; aut si jure, pœnas petendi regis, quamvis non sub  
hoc sortè vel sub illo, at sub plerisque luebant, quod nos non attingit. Tibi  
verò adversario opus non est, adeò semper tibi adversaris. Narras enim pro  
me, ut primò Aristobulus, post Jannæus cognomento Alexander, jus illud re-  
gium, non à synedrio juris custode, & interprete acceperint, sed paulatim sibi  
assumperint, & senatu renitente usurpaverint : quorum in gratiam bella illa  
fabula de primoribus synedrii à Gabriele exanimatis adinventa est, jusque hoc  
magnificum, quo niti maximè videris, regem scilicet non iudicari, ex illa fabula  
pli quam anili, utpote rabbinicâ, conflatum esse fateris. Reges autem Hebra-  
eorum iudicari posse, atque etiam ad verbera damnari fusè docet Sichardus ex libris  
Rabbinicis, cui tu hæc omnia debes, & tamen obstrepare non erubescis.  
Quin immo legimus ipsum Saulem cum filio Jonathane fortis judicium atque  
etiam capitale subiisse, suóque ipsum edicto paruisse. Uzzias quoque à sacer-  
dotibus templo deturbatus, lepræ judicio, tanquam unus è populo, se submisit,  
rèxque esse desiit. Quid si templo excedere, quid si magistratu abire, & se-  
orsim habitare noluisset, jus illud regium legibus solutum sibi assertisset, an  
passuros fuisse censes Judæos, & sacerdotes templum contaminari, leges violari,  
populum

populum universum contagione periclitari? In leprosum ergo regem vigebunt leges, in tyrannum nihil poterunt? Ecquis tam demens, aut stultus est, ut existimet, cum rex morbosus ne populum contagione lœdar, cautum atque proximum legibus sit, si rex impius, iniquus, crudelis populum diripiatur, excruciet, occidat, rempub. funditus evertat, nullum his malis longè gravioribus remedium legibus repertum esse? Verum exemplum ullius regis afferri non potest, qui judicium capitum subierit in jus vocatus. Ad illud Sichardus haud absurdè respondet, perinde esle, ac si quis ad hunc modum dissenseret. Cæsar nunquam citatus est coram Electore; ergo si Palatinus diem Cæsari dixerit, non tenetur Cæsar in judicio respescere. Cum tamen doceat Bulla aurea Carolum quartum se & successores suos huic cognitioni subjecisse. Quid in corrupto populi statu regibus adeò indultum fuisse miramur, ubi tot privati aut opibus suis aut gratia imputantem vel gravissimorum scelerum assequuntur? Illud autem *αὐτὸν δὲ οὐρανον*, id est, à nomine pendere, nulli mortalium rationem reddere, quod tu regiae Majestatis maximè proprium esse ais, Aristoteles Polit. 4. c. 10. maximè tyrannicum, & in libera natione minimè ferendum esse affirmat. Tu vero Antonium tyrannum immannissimum, Romanæ reipub. eversorem, idoneum sanè authorem producis, non esse justum reposci à Rege factorum suorum rationem; & tamen Herodem cædis reum ad causam dicendam in Parthos proficisciens accersivit ad se Antonius: & animadversurus etiam in regem fuisse creditur, nisi rex eum auro corrupisset. Ita ab eodem fonte profluxit regiae potestatis Antoniani assertio, & tua regia defensio. At non sine ratione, inquis, nam reges ab alio non habent quod regnant, sed soli deo acceptum referant. Dic sodes quinam? Nam istiusmodi reges exstitisse unaquam, nego. Primus enim Saul, nisi populus refragante etiam deo regem volueret, nunquam rex fuisset; & quamvis rex renuntiatus esset Milpæ, vixit tamen penè privatus, armentum patris secutus, donec Gilgale rex à populo secundum creatus est. Quid David? quamvis unctus à Deo, nonne iterum unctus est ab Iudeis Chebrone, deinde ab omnibus Hebreis, pacto tamen prius foedere? 2 Sam. 5. 1 Chron. 11. foedus autem obligat reges, & intra certos fines continet. Sedit Salomon, inquis, super solium Domini. & cunctis placuit, 1 Paralip. 29. ergo & placuisse populo aliquid erat. Constituit Jehoiadas regem Joasum, foedus tamen eodem tempore pepigit inter regem & populum. 2 Reg. 11. Hoc reges, necnon & reliquos Davidis posteros & à deo & à populo constitutos fateor; ceteros omnes, ubicunque gentium, à populo tantum constitutos esse affirmo; tu ostende constitutos esse à deo; nisi eâ solum ratione quâ omnia cum maxima tūm minima à deo fieri & constitui dicuntur. Solium itaque Davidis peculiari quodam jure solium Jehovæ dicitur; solium aliorum regum non alio, atque cætera omnia, Jehovæ sunt. Quod tu ex eodem capite didicisse potuisti, v. 11, 12. tua sunt omnia in cælo & in terra, tuum est, Jehova, regnum; Divitiae & gloria à facie tua sunt, vis & potentia, &c. Diciturque hoc toties, non ut intumescant reges, sed ut moneantur, quamvis deos se esse putent, deum tamen supra se esse, cui debent omnia. Unde illa Eſenorum & Poetarum doctrina, reges non sine deo, & ab Iove esse facile intelligitur; omnes enim homines à deo itidem sumus, deique genus. Jus igitur hoc universum dei, non tollit jus populi; quo minus omnes cæteri reges, non à deo nominati, regnum suum soli populo acceptum referant; cui propterea rationem reddere tenentur. Quod, quanquam Vulgus assentari regibus solet, ipsi tamen reges sive boni, ut Homerius ille Sarpedon, sive mali, ut illi apud Lyricum tyranni, agnoscunt.

Γλævæ tiv διν νῷ πεπιμέθα μάλιστε, &c.

Glouce cur nos maximo honore afficimur  
In Lycia, omnes autem nos tanquam deos intuentur.

Ipse sibi respondet; quia virtute cæteris prælucemus: Quare fortiter pugnemus, inquit, ne Lycii nobis ignaviam objiciant: Quâ voce & honores regios à populo acceptos, & bellicæ administrationis rationem populo reddendam esse innuit. Mali autem reges, ut metum populo incutiant, deum imperii regii authorem palam prædicant: Tacitis autem votis nullum numen præter Fortunam venerantur. Juxta illud Horatii:

Te Dacus asper, te profugi Scythæ;  
 Regumque matres barbarorum, &  
 Purpurei metuant tyranni;  
 Injurioso ne pede proruas  
 Stantem columnam, neu populus frequens  
 Ad arma cœlantes, ad arma  
 Concitet, imperiumque frangat.

Si ergo reges hodie per deum regnant, etiam populi per deum in libertatem se vindicant, quandoquidem omnia à deo & per deum fiunt. Utrumque etiam æquè testatur Scriptura, & reges per eum regnare, & per eum solio dejici; cùm tamen id utrumque longè sèpius à populo fieri perspiciamus, quām à deo. Jus itaque populi pariter ac regis, quicquid est, à deo est. Populus ubique sine deo manifesto regem creavit, potest eodem jure suo regem rejicere. Tyrannum sanè tollere quām constituere divinus est; plūsque dei cernitur in populo quoties injustum abdicat regem, quām in rege qui innocentem opprimit populum. Immo reges noxios deo authore judicat populus: Hoc enim ipso honore dilectos suos decoravit deus, Psal. 149. ut Christum regem suum laudibus celebrantes gentium reges, quales sub evangelio sunt omnes tyranni, vinculis cōcerent, inque eos jus scriptum exercerent, qui jure omni scripto atque legibus solutos se esse gloriabantur. Ne quis tam stolidè, ne quis tam impie credat tanti esse apud deum reges, ferè mortalium ignavissimos, ut eorum nutu orbis terrarum totus pendeat & gubernetur; eorum ut gratiâ, præque illis, divinum, ut ita dicam, hominum genus eodem quo bruta & vilissima quæque animalia loco atque numero habendum sit. Agè nunc, ne nihil enim agas, M. Aurelium, quasi tyrannis farentem, in medium profers; at satius tibi fuit Marcum Aurelium non attigisse. Ille an deum de principibus solum judicare dixerit nescio. Xiphilinus certè quem citas de αὐταρχίᾳ loquitur; οὐδὲ αὐταρχίας οὐδὲ μόνον οὐδὲ τινεῖται αὐταρχίᾳ. Autαρχίᾳ autem monarchiæ synonymum illic esse non assentior; eoque minus quo sèpius præcedentia lego; nam quī cohæreat, aut quid sibi velit aliena illa sententia subito insititia, qui legerit miretur; præsertim cùm Marcus Aurelius Imperatorum optimus, non aliter cum populo egerit, ut Capitolinus tradit, quām est actum sub civitate liberâ; jus autem populi quin supremum tunc fuerit nemo dubitat. Idem Thraseam, Helvidium, Catonem, Dionem, Brutum tyrannidas omnes, aut istam gloriam æmulantes coluisse, sibique reipublicæ formam proposuisse in qua æquis legibus, parique jure omnia administrarentur, in primo libro de vita sua proficeret: In quarto, non se, sed legem, dominum esse. Agnovit etiam omnia Senatus populique esse: Nos, inquit, adeò nihil proprium habemus, ut in vestris ædibus habitemus. Hæc Xiphilinus. Tantum absuit ut quicquam jure regio sibi arrogaret. Moriens, filium suum regnaturum eâ lege Romanis commendavit, si dignus esset: Jus itaque illud regnandi absolutum atque fictarium, tanquam à deo per manus traditum, illam denique αὐταρχίᾳ, præ se non tulit. Plena tamen omnia Gracorum & Latinorum monumenta esse aīs: At nulquam visa; plena Judæorum, & tamen addis Judæos in plerisque regia potestati minus equos fuisse: Immò Græcos & Latinos multo minus Tyrannis equos & reperiisti & reperies; multo minus Judæos, si liber ille Samuelis in quo is 1 Sam. 10. jus regni descripserat, exstaret; quem librum Doctores Hebræorum à regibus discerptum aut combustum esse tradiderunt, quo impuniūs tyrannidem in suos exercebat. Circumspice jam numquid captare possis: Occurrit tibi rex David postremò torquendus, Psal. 17. à facie tuâ judicium meum prodeat: Ergo, inquit Barnachmoni, nullus judicat regem nisi deus. Et tamen similius veri videtur, Davidem hæc scripsisse, cùm à Saule vexatus, ne Jonathanis quidem judicium, quamvis jam tum unctus à deo, detrectabat; si est in me iniqüitas, tu me affice morte, inquit, 1 Sam. 20. deinde ut quivis alias ab hominibus falsò accusatus, ad judicium dei provocat; id sequentia declarant, tui oculi vident que recta sunt, cùm exploraveris cor meum, &c. Quid hoc ad judicium regium, aut forense? Sanè jus regium illi maximè labefactant atque destruunt, qui fundamentis tam fallacibus niti, atque exædificari produnt. En tritum illud tandem, & aulicorum nostratrum argumentum palmarium. Tibi soli peccavi, Psal. 51. 6. quasi verò rex David in moerore & lacrymis poenitentiam agens, sordidatus & squallidus in terra jacens, misericordiam à deo suppliciter petens, quicquam de jure regio

regio cogitaverit hæc loquutus ; cùm se vix jure mancipii dignum esse arbitratur. An omnem dei populum, fratres suos usque adeò præ se contempsit, ut cædibus, adulteriis, rapinis peccare in eos non se posse censeret ? Absit à rege tam sancto tanta superbia, tamque foeda ignoratio vel sui vel proximi. *Tibi* igitur *soli peccavi* procul dubio intelligendum est, tibi præcipue. Ut cunque sit, profecto verba psallentis, & sententiæ affectibus plenæ haudquaque sunt ad jus explicandum accommodatae, aut eò trahendæ. At non est in jus vocatus, nec coram synedrio causam capit is dixit. Esto ; qui enim potuit id resciri, quod adeò sine arbitris, & secreto peractum fuit, ut per aliquot fortasse annos (cujusmodi aulæ arcana sunt) vix unus aut alter conscius fuisse videatur ? 2 Sam. 12. *Tu hoc claram fecisti.* Deinde quid si in privatis etiam puniendis cessaret synedrium ? An quis inde puniendos non esse argumentabitur ? Sed ratio obscura non est ; ipse se condemnaverat, v. 5. *Reus capit is vir ille qui fecit hoc* ; cui statim subiicit propheta, *tu vir ille es* ; prophetæ etiam judicio capit is reus. Veruntamen deus pro suo jure atque in Davidem eximiâ clementiâ, & peccato absolvit regem, & ipsa mortis sententiâ, quam is in semetipsum pronuntiaverat, v. 13. *Non es meriturus.* Nunc in advocatum nescio quem sanguinarium debaccharis, & in eo totus es ut perorationem ejus resellas : De qua ipse viderit ; ego quod propositum mihi est, id ago ut quām paucissimis absolvam. Quædam tamen præterire non possum ; primum, insignes repugnantias tuas : Qui p. 30. hæc habes ; *Israëlite non deprecantur in iustum regem, violentum, raptorem, & quales esse solerent qui pessimi.* At p. 42. Advocatum vellicas quod Israëlitæ tyrannum petiſſe arguerat. An de fumo inquis in flammam ire precipites maluerunt, id est saevitiam pessimorum tyrannorum experiri potius quām judices malos pati quibus jam assueverant. Illic Hebræos maluisse aīs tyrannos quām judices, hic judices maluisse quām tyrannos ; & nihil minus quām tyrannum voluisse. De tuo igitur respondebit tibi Advocatus, juxta enim te omnis rex jure tyrannus est. Quod sequitur bene habet, *authoritatem in populo maximum tunc fuisse, quod judices repudiârunt, regem optârunt.* Memineris, cùm hoc ego à te reposcam. Negas deum iratum Israëlitæ regem tanquam tyrannum aut pœnam attribuisse, sed ut rem salutarem & bonam. Quod tamen facile refellitur. Cur enim exclamarent propter regem illum quem elegerant, nisi quod res mala erat imperium regium ; non quidem per se, sed quod plerunque, sicut Propheta hic moneret, in superbiam & dominationem se convertit ? Si adhuc non satisfacio, agnosce jam tua, syngrapham agnosce tuam & erubescere. Apparat ad primatum, *Iratus deus regem illis dedit offensus eorum peccatis, quod deum habere regem renassent.* Ita Ecclesia quasi in pœnam ejus delitti, quod à puro dei cultu desicerat, in unius mortalis monarchæ plusquam regium dominatum data est. Tua igitur similitudo si sibi constat, aut dedit deus regem Israëlitæ in pœnam, & tanquam rem malam, aut dedit Papam ecclesiae in bonum & tanquam rem bonam. Quid hoc homine levius, quid insanius ? Quis huic in re minimâ fidem habeat, qui tantis in rebus quid afferat, & mox neget, nihil pensi habet ? Affirmas p. 29. *regem legibus solutum esse apud omnes Gentes, sic Oriens judicavit, sic Occidens.* At p. 43. *omnes reges Orientis κατενόμον, & legitimos fuisse ; immo Ägypti reges in maximis minimisque rebus legibus obstrictos, cùm initio capit is hoc te probaturum pollicitus sis, omnes reges solutos legibus esse, leges dare, non accipere.* Evidem non irascor tibi ; aut enim insanis, aut stas à nobis. Hoc certè oppugnare est, non defendere, hoc regem est ludos facere. Sin minus, Catullianum profecto illud in te aptissimè quadrat, sed inversum ; nam quanto quis unquam optimus poëta fuit, tanto tu pessimus omnium patronus. Certè nisi stupor ille quo Advocatum esse demersum aīs, te potius obcæcavit, jam tute obbrutuisse te senties. Nunc omnibus quoque gentium regibus leges datas fuisse fateris ; non tamen ut iis tenerentur, judiciorum metu & pœna capit is. Quod nequedum ex scripturâ, neque ex ullo authore fide digno ostendisti. Tu igitur paucis accipe : leges civiles iis dare qui legibus non tenentur, stultum & ridiculum est ; omnes alios punire, uni duntaxat omnium scelerum impunitatem dare, cùm lex neminem excipiat, iniquissimum est. Quæ duo in sapientes legum latores minimè cadunt, multò minus in deum. Ut omnes autem videant te nullo modo ex Hebræorum scriptis id probare, quod probandum hoc capite susceperas, esse ex magistris tuâ sponte confiteris, qui negant alium suis majoribus regem agnoscendum fuisse præter Deum, datum autem in pœnam fuisse. Quorum ego in sententiam pedibus eo. Non decet enim, neque dignum est regem esse, nisi qui cæteris omnibus longè antecellit ; ubi multi sunt æquales, ut sunt in omni civitate plurimi, imperium ex æquo atque per vices dandum esse arbitror :

arbitror: æquali, aut plerunque deteriori, ac sæpiissime stulto servire omnes, quis non indignissimum putet? Nec ad commendationem regalis imperii plus facit, quod Christus à regibus originem duxit, quam facit ad pessimorum regum commendationem, Christum eos habuisse nepotem. Rex est Messias: agnoscimus, gaudemus, & quam citissimè veniat oramus; dignus enim est, nec ei quicquam similis aut secundus; interim regia gubernatio commissa indignis & immerentibus, ut plerunque fieri solet, plus mali quam boni attulisse humano generi rectè existimatur. Nec continuò sequitur omnes reges tyrannos esse. Verùm ita esto: do tibi hoc, nè me nimis tenacem putas; utere tu jam dato. Hec duo sequuntur, inquis, Deus ipse rex fuerit tyrannorum densus, & quidem tyrannus ipse maximus. Horum alterum si non sequitur, sequitur profectò illud quod toto libro tuo semper ferè sequitur, te non scripturæ solùm, sed tibimet perpetuò contradicere, ut qui proxima periodo suprà dixeras, unum Deum regem esse omnium rerum, quas & ipse creavit. Creavit autem & tyrannos & Dæmonas; eorum itaque rex vel tuà ipsius sententiâ. In alterum despuiimus, & blasphemum illud tibi os obturatum volumus, qui Deum affirmes tyrannum esse maximum, si tyrannorum, quod ipse saepius dicis, Rex & Dominus dicatur. Sed nec rem regiam multò plus adjuvas, dum ostendis, Mosen etiam cum summa potestate regem fuisse. Nam fuerit sanè, vel quis alius, dummodò is sic qui res nostras, quemadmodum Moses, ad Deum referre possit. Exod. 18. 19. Verùm neque Mosi, quamquam is Dei quasi solidalis fuit, licuit in Dei populo quicquid libuit facere. Quid enim ille? Venit ad me hic populus, inquit, ad consulendum Deum; non ergo ad mandata Mosis accipienda. Tum suscipit Jethro, esto tu pro hoc populo erga deum, & commonefasias eos de legibus dei. Et Moses, Deut. 4. 5. docui vos statuta & iudicia, quemadmodum præcepit mihi Deus. Unde fidelis dicitur in totâ domo dei. Num. 12. Rex itaque Jehova tum populi fuit; Moses veluti interpres tantum Jehovæ regis. Impium igitur & sacrilegium te esse oportet, qui summam hanc potestatem à Deo ad hominem injussus ausis transferre, quam ipse Moses non summam sed vicariam tantum & intermedium sub præsenti numine obtinuit. Accedit etiam cumulus ad improbitatem tuam, quod Mosen hic summâ potestate regem fuisse dicas; cùm in apparatu ad primatum, p. 230. Eum in commune cum LXX senioribus populum rexisse, & primum populi non dominum fuisse dixeris. Si igitur rex fuit, ut erat certè, & regum optimus, idque sicut ipse aïs, cum potestate planè summâ & regia, nec tamen dominus, neque solus populum regebat, vel te authore, necessariò sequitur reges, quamvis summâ potestate præditos, jure tamen regio atque summo, non esse dominos, neque solos populum regere debere; quantò maius ad libitum suum? Jam verò quâ impudentiâ Dei mandatum ementiris, de rege statim atque ingressi essent terram sanctam sibi constituendo. Deut. 17. suppressis enim veterotorie quod præcedit, si dixeris, statuam super me regem; tûque memento quid à te jam reposcam; cùm dixeris p. 42. liberrimâ tunc potestate populus erat prædictus. Nunc iterum fanaticus an profanus esse velis, ipse videris. Deus, inquis, cùm tanto ante determinaverit regium regimen instituendum tanquam optimum populi illius regendi statum, quomodo hoc conciliabuntur? Propheta repugnavit, Deus sic egit cum propheta, ut quasi nolle. Vider se illaqueatum, videt se impeditum: Jam attendite quanta cum malitiâ adversus prophetam, impierate adversus Deum, expedire se quererat: cogitandum in his est, inquit, Samuelem esse cuius filii populum tunc judicabant, eos populus repudiabat ob corrupta iudicia; Samuel igitur noluit filios suos à populo rejici; Deus ut gratificaretur propheta suo, innuit non valde sibi placere, quod populus desideraret. Dic uno verbo improbe, quod per ambages dicis; Samuel populo fucum fecit, Samuels Deus. Non advocatus ergò, sed tu ceritus ille & lymphaticus es, qui modò ut regem honores, nil Deum revereris. Isne tibi Samuel videtur, qui saluti aut charitati patriæ filiorum avaritiam & ambitionem præposuerit, qui populo recta & salutaria pertenti, tam callido consilio, tamque vafro illuserit, falso pro veris docuerit? Isne tibi Deus, qui in re tam turpi cuivis gratificare, aut cum populo simulacrum ageret? Aut ergò jus regium non erat quod Propheta populo exposuit, aut jus illud, teste Deo & prophetâ, malum, molestum, violentum, inutile, sumptuosum reipub. erat; aut denique, quod nefas est dicere, & Deus & Propheta populo verba dare voluerunt. Passim enim testatur Deus valde sibi displicuisse quod regem petissent. Ver. 7. Non te sed me s'reverunt, ne regnum super ipsis, secundum illa facta quibus dereliquerunt me & co-luerunt

Inerunt deos alienos : acsi species quædam idolatriæ videretur regem petere, qui adorari se, & honores propè divinos tribui sibi postulat. Sanè qui supra omnes leges terrenum sibi dominum imponit, propè est ut sibi Deum statuat alienum ; Deum utique haud sæpe rationabilem, sed profligatâ sæpiùs ratione brutum, & belluinum. Sic 1 Sam. 10. 19. *Vos sprevistis Deum vestrum qui ipse servat vos ab omnibus malis, & angustiis vestris, cum dixistis ei, regem præpones nobis.* & cap. 12. 12. *Vos regem petistis, cum Jehovah sit rex vester.* & ver. 17. *Videte malum vestrum magnum esse coram Jehovah petendo vobis regem.* Et conemptum Hosea de rege, 13. 10, 11. *Ubi rex tuus, ubinam est ? servet te jam in civitatibus tuis. Ubi vindices tui ? quoniam dixisti, da mihi regem & procères : dedi tibi regem in ira mea.* Hinc Gideon ille Heros rege major, *Non dominabor in vos, neque filius meus in vos dominabitur, sed dominabitur in vos Jehovah,* Jud. 8. planè ac si simul docuissest, non hominis esse dominari in homines, sed filius Dei. Hinc Hebraeorum rempublicam, in qua Deus principatum solus tenuit, Νεοεγγλιον vocat Josephus contra Apionem Grammaticum Ægyptium & maledicuum tui similem. Populus denique relipiscens apud Isaiam 26. 13. calamitosum hoc sibi suisse queritur, quod alios præter Deum Dominos habuerat. Indicio sunt hæc omnia regem irato Deo Iraelitis suisse datum. In bistoria tyranni Abimelechi quis est cui non risum moveas ? de quo dicitur, cum is partim saxo à muliere, partim armigeri gladio interfactus fuerit, reddidit Deus malum Abimelechi. Hac, inquis, historia potentissime adstruit Deum solum regum judicem esse & vindicem : immo tyrannorum, nebulonum, nothorum, si hoc valebit : quicunque per fas aut nefas tyrannidem occupaverit, is jus regium statim in populum adeptus erit, poenas effugit, confessum arma magistraturi de manibus fluent, nullare deinceps populus non audebit. Verum quid si magnus aliquis latro hoc modo in bello periret, an Deus ergo solus latronum vindex ? Quid si carnificis manu lege damnatus, an ideo minus illi Deus malum reddidisset ? Ne judices quidem eorum unquam legisti lege postulatos ; tamen in optimatum statu vel principem, si quid committat, posse ac debere judicari, ultrò fateris pag. 47. cur non item tyrannus in regno ? quia Deus reddidit malum Abimelechi. Ac reddidit quoque mulier illa, reddidit etiam armiger, in quos ille ambos jus regium habere præ te tulit. Quid si reddidisset magistratus, annon is idcirco Dei gladium gerit, ut malum malis reddat ? Ab hoc potentissimo de morte Abimelechi arguimento ad verborum contumelias more suo te convertit ; nil nisi cœnum & lutum ore funditat ; cum eorum quæ promisit se probaturum, nihil vel ex sacris libris, vel ex rabbinicis probaverit. Nam neque regem legibus solutum esse, nec cur puniri, si delinquat solus mortalium non debeat, quicquam ostendit. Immo suis ipse testibus se induit, & sententiam suæ contrariam esse veriorem suomet ipse opere demonstrat. Cumque argumentis parvum proficiat, criminationibus atrocissimis omnium in nos odium excitare conatur, quasi rege optimo & innocentissimo crudeliter sublato. An Solomon, inquit, melior rex Carolo primo fuit ? Sunt, ut verum fatear, qui patrem ejus Jacobum cum Solomone comparare non dubitârunt, & natalibus quidem anteferre. Solomon Davidis filius ; is primò Saulis musicus erat ; Jacobus Darpii comitis filius, qui Davidem musicum, reginæ uxoris thalamos nocte ingressum, cum ostio pessulum obcidisse deprehendit, haud multò post interfecit, ut narrat Buchananus. Nataibus ergo illustrior Jacobus, & secundus Solomon sæpe dictus, quamvis Davidis musici filius an fuerit, dubium fit. At Carolum conferre cum Solomone qui tibi in mentem venire potuerit non video. Quem enim tu Carolum tot laudibus tollis, ejus pervicaciam, avaritiam, crudelitatem, & sævum in omnes pios atque bonos dominatum, ejus bella, incendia, rapinas, & miserorum civium cædes innumeræ, dum hæc scribo, Carolus ipse filius in illa publicæ poenitentiaz sedeculâ apud Scotos coram populo confiteretur atque deplorat : immo tuum illud regium jus ejurat. Verum si parallelis tantopere delectaris, Carolum cum Solomone conferamus. Solomon à meritissimo fratris supplicio regnum auspicatus est : Carolus à patris funere ; non dico à nece, quamvis indicia veneni omnia in corpore patris mortui conspecta sint ; ista enim suspicio in Bucchingamio constitit ; quem tamen Carolus, & regis interfectorum & sui patris, non solum in comitiis omni culpa exemit, sed ne omnino res ea Senatus cognitioni subjiceretur, comitia dissolvit. Solomon gravissimis tributis populum pressit : at ille in templum Dei, & ædificia publica impedit, Carolus in luxum. Solomon à plurimis uxoribus ad Idolorum cultum pellectus est, hic ab unâ. Pellectus in fraudem Solomon, pellexisse

pellexisse alios non legitur ; hic alios, non solum uberrimis corruptæ Ecclesiæ præmiis pellexit, sed etiam edictis & canonibus ecclesiasticis coegerit, ut invisa reformatis omnibus altaria statuerent, & pictos in pariete crucifixos altaribus imminentes adorarent. At non est ideo Solomon à populo capit is damnatus. Nec inde, inquam, sequitur damnari à populo non debuisse ; multa enim incidere potuerunt, cur id tum expedire populo non videretur. Populus certè quid sui juris esset haud multo post & verbis & factis patefecit : cum Solomonis filium decem tribus expulerunt ; & nisi mature se in fugam conjecisset, etiam lapidibus regem tantummodo minacem obruituros tuisse credibile est,

## C A P. III.

Cum satis jam disputatum atque conclusum sit, reges Mosicos ex praescrito Dei omnibus obstrictos legibus pariter cum populo tuisse, nullas legum exceptiones prescriptas inveniri, ut reges quod vellet impunè possent, aut ut à populo puniri ne possint, Deum proinde vindictam de his tribunalí suo reservasse falsissimum esse; sine authore, sine ratione dictum ; videamus an id suadeat Evangelium, quod dissuasit lex, non imperavit : videamus an Evangelium, cívinum illud libertatis præconium, nos in servitutem addicat regibus & tyranis, quorum ab impotenti imperio etiam servitutis cuiusdam magistra lex vetus populum Dei liberavit. Primum argumentum ducis à persona Christi, quem quis nescit non privati solum, sed etiam servi personam ideo sumpsisse, ut nos liberi essemus. Neque hoc de interna tantum libertate intelligendum est, non de civili ; quam enim aliena sunt ista quæ Maria, mater Christi, ejus in adventu cecinit, superbo dissipavit cogitatione cordis ipsorum, detraxit dynastas è thronis, humiles evexit, si adventus ejus tyrannos potius in solio stabiliret Christianos omnes eorum sævissimo imperio subjiceret. Ipse sub tyrannis nascendo, serviendo, patiendo, omnem honestam libertatem nobis acquisivit : ut posse servitutem, si necesse est, æquo animo pati, sic posse ad libertatem honestè aspirare non abstulit Christus, sed majorem in modum dedit. Hinc Paulus, Cor. 7. non de evangelica solum, sed de civili libertate sic statuit. *Servus vocatus es? ne sit tibi cura; sin autem potes liber fieri, potius utere; pretio empti effisi; ne estote servi hominum.* Frustra igitur ab exemplo Christi ad servitutem nos hortaris, qui suæ servitutis pretio libertatem nobis etiam civilem confirmavit. Et formam quidem servi nostrâ vice suscepit, animum vero liberatoris nunquam non retinuit : unde jus regium quid sit, longè aliter docuisse ostendam, atque tu doces ; qui non regii, sed tyrannici juris, idque in republicâ novus professor, si qua gens tyrannum sive hæreditarium, sive adventitium, sive fortuitum sortita erit, eam non solum necessitate, sed etiam religione servam esse statuis. Tuis autem, ut soleo, in te utar testimonii. Interrogavit Petrum Christus, cum ab eo coactores quidam Galilæi didrachma exigebant, Mat. 17. à quibus acciperent reges terræ tributa sive censum, à filiis suis, an ab alienis? respondet ei Petrus, ab alienis. Ergo, inquit Christus, liberi sunt filii; sed ne offendamus illos, da iis pro me & pro te. Variè hic locus interpretes exercet, cuinam persolverentur hæc didrachma, alii sacerdotibus in sanctuarium, alii Cæsari: ego quidem Herodi persoluta, interverso Sanctuarii reditu, sentio fuisse. Varia enim ab Herode & filiis ejus exacta tributa, ab Agrippa tandem remissa narrat Josephus. Hoc autem tributum per se exiguum, multis aliis adjunctum, grave erat : gravia autem fuerint oportet de quibus hic Christus loquitur, alioqui, in republica etiam, pauperes capite censi fuerunt. Hinc itaque Christus Herodis injustitiam arguendi, cuius sub ditione erat, occasionem cepit. Qui, cum cæteri reges terræ (siquidem patriæ parentes dici se cupiant) non filii, id est civibus suis, sed alienis, bello nempe subactis, graviora tributa imperare soleant, hic contra non alienos, sed filios oppimeret. Utcunque sit, sive filios hic, cives regum proprios, sive filios Dei, id est fideles & in universum christianos intelligi concedas, ut intelligit Augustinus, certissimum est, si filius fuit Petrus, & proinde liber, nos etiam authore Christo liberos esse; vel ut cives, vel ut christianos : non esse ergo juris regii à filiis & liberis tributa graviora exigere. Testatur enim Christus persolvisse se, non quod deberet, sed

sed ne illos offendendo qui exigebant, negotium sibi privatus exhiberet : Cum officium ac munus longissimè diversum in illo vita: sue curriculo explendum sibi esset. Dum igitur negat Christus jus regium esse, graviora vestigalia liberis imponere, certè spoliare, diripere, occidere, excruciare proprios cives, & præsertim Christianos, jus esse regium multo evidenter negat. Hunc in modum de jure regio cum & aliàs disputasse videatur, venire in suspicione in quibusdam coepit, non se tyrannorum licentiam pro jure regio habere. Non enim de nihilo erat quòd Pharisæi interrogatione hujusmodi animum ejus tentarent, quòd de jure regio percontatur, eum neminem curare, non respicere personam hominum dixerint ; neque de nihilo, quòd is proposita sibi istiusmodi quæstione irasceretur, Mat. 22. An te quispiam si insidiosè aggredi, si loquenter captare vellet, si elicere ex te quod fraudi futurum tibi sit, de jure regio sub rege interrogaret? An tu cuiquam de istoc interroganti irascerere? Non opinor. Vel hinc ergo perspicias, non id eum de jure regio sensisse quod regibus gratum erat. Idem ex responso ejus apertissimè colligitur, quo ille percontatores amandare à se potius quam docere videtur. Potest numisma census ; cuius, inquit, *imago ista est? Cæsar.* Reddite ergo Cæsari quæ sunt Cæsaris, quæ dei sunt deo. Immo quæ populi sunt populo reddenda esse quis nescit? Reddite omnibus quod debetis, inquit Paulus, Rom. 13. non ergo Cæsari omnia. Libertas nostra non Cæsaris, verum ab ipso Deo natale nobis donum est ; eam Cæsari cuivis reddere, quam ab eo non accepimus, turpissimum esset, & humana origine indignissimum. Si enim os hominis, & vultum aspiciens interrogaret quisquam, cuius ista imago esset, annon facile quivis responderet dei esse? Cum igitur dei simus, id est verè liberi, ob eamque causam soli deo reddendi, profectò Cæsari nos, id est homini, & præsertim injusto, improbo, tyranno in servitute in tradere, sine piaculo, & quidem maximo sacrilegio non possumus. Interim quæ Cæsaris sunt, quæ dei, in medio relinquunt. Quid si idem erat hoc numisma quod didrachmum illud deo pendi solitum, ut certè postea sub Vespasiano fuit, tum sanè controversiam non minuit Christus, sed implicavit : Cum impossibile sit deo & Cæsari idem simul reddere. At enim ostendit quæ Cæsaris essent ; numisma nempe illud Cæsaris imagine signatum. Quid igitur inde lucraris præter denarium vel Cæsari vel tibi? Aut enim Cæsari Christus præter denarium illud nihil dedit, cætera omnia nobis asseruit, aut si quicquid pecuniae Cæsaris nomine inscriptum esset, id Cæsari dedit, contrarius jam sibi, nostra ferè omnia Cæsari dabit, qui duo modo didrachma regibus non se ex debito persolvere, & suo & Petri nomine professus est. Ratio denique infirma est qua niteris ; non enim principis effigiem habet moneta ut principis esse, sed ut probam se esse monet ; utque se principis nomine insignitam ne quis audeat adulterare. Sia autem ad jus regium inscriptio tantum valeret, reges profectò nostras omnium facultates, uti essent suæ, sola nominis inscriptione statim perficerent ; aut si nostra omnia jam sua sunt, quod tuum dogma est, non idcirco Cæsari numisma illud reddendum erat, quia Cæsaris noinen aut imaginem prætulit, sed quia Cæsaris jam antea jure erat, nulla licet imagine signatum. Ex quo manifestum est, Christum hoc in loco non tam nos officii nostri erga reges aut Cæsares ita perplexè atque ambiguè admonere voluisse, quam Pharisæos hypocritas improbitatis & malitiæ arguere. Quid? Rursus cum ei nuntiarent Pharisæi, Herodem ejus vitæ insidias parare, an humile aut demissum ab eo responsum tyranno reddendum tulerunt? Immo ite, inquit, & dicite vulpi illi ; innuens reges non jure regio sed vulpino civibus suis insidiari. Atqui sub tyranno supplicium mortis subire frstinnit. Enimverò qui potuit nisi sub tyranno? *Supplicium sub tyranno passus est;* ergo ad injustissima quævis juris regii testis & assertor: Egregius tu quidem officiorum ratiocinator es. Verum Christus quamvis nostri liberandi, non sub iugum mittendi causâ servum se fecerit, tamen ad hunc modum se gesit ; nec iuri quicquam regio præter æquum & bonum concessit. Nunc ad præcepta ejus hac de re aliquando veniamus. Zebedæi filios maximam in regno Christi, quod mox in terris futurum somniabant, dignitatem affectantes, sic Christus corripuit, ut omnes simul Christianos commonefaceret quale jus magistratus & imperii civilis apud eos constitui voluerit. Scitis, inquit, principes gentium in eas dominari, & magnates autoritatem exercere in eas, verum non ita erit inter vos. Sed qui cuncte volet inter vos magnus fieri, esto uester minister ; & quicunque volet inter vos primus esse, esto uester servus. Hæc tu nisi mente captus tecum facere credidisses? hisne te argumentis vincere, ut reges nostros rerum dominos existimemus? Tales

in bello hostes nobis contingent, qui in castra hostium (quoniam & armatos vincere i<sup>m</sup> possumus) uti tu soles, cæci atque inermes tanquam in suos incident: Ita semper quod tibi maximè adversatur, id demens veluti firmissimum causæ tuæ subsidium comparare consueisti. Petebant Israëlitæ regem, ut habeant omnes istæ gentes: Dissuasit deus multis verbis, quæ Christus hic summatim complexus est, scitis principes gentium in eas dominari: Petentibus tamen iis dedit regem Deus, quamvis iratus: Christus, ne peteret omnino Christianus populus, more gentium dominaturum, adhibitâ cautione anteverit; inter vos non ita erit. Quid hoc clarius dici potuit? Non erit inter vos ista regum superba dominatio, tametsi specioso titulo Euergetæ & benefici vocentur; sed qui magnus inter vos fieri vult, quis autem principe major, esto vester minister: Et qui primus sive princeps (Luc. 22.) esto vester servus. Non erravit itaque Advocatus ille quem insectaris, sed authorem habuit Christum, si regem Christianum populi ministrum esse dixit, uti est certè omnis bonus magistratus. Rex autem inter Christianos aut omnino non erit, aut erit servus omnium; si planè vult esse dominus, esse simul Christianus non potest. Quin & Moses, legis quodammodo servilis institutor, non populo superbè dominabatur, sed onus ipse populi ferebat; ferebat in sinu Populum, ut nutrictius lactentem. Num. 11. nutritius autem servus est. Plato non dominos sed servatores & adjutores populi appellandos esse magistratus docuit; Populum non servos, sed altiores magistratum, ut qui alimenta & stipendia magistratibus etiam regibus præbeant. Eosdem Aristoteles custodes & ministros legum vocat, Plato & ministros & servos. Ministros dei Apostolus quidem appellat, quod tamen nequaquam obstat quò minus sint & legum & populi; tam leges enim quām magistratus propter populum sunt. Et tamen hanc tu *Fanaticorum Anglia Molosorum opinionem esse clamitas.* Molossos esse Anglos certè non putarem, nisi quòd tu illos, hybrida, latratu tām degeneri oblatras; Lupi, si diis placet, Sancti Dominus: Lopus nimirum sanctus queritur Molossos esse fanaticos. Germanus olim, cuius ille Lopus Trecassinus collega fuit, incesto apud nos regi Vortigerno autoritate suā regnum abrogavit. Sanctus itaque Lopus talem te Lupi non sancti, sed famelici, cuiuspiam & latrunculi dominum, illo apud Martialem viperarum domino viliorem, aspernatur: qui & latrantem ipse domi, ut ferunt, *Lyciscam* habes, quæ tibi miserè dominatur; cuius partim impulsu etiam scripsisse hæc diceris; unde mirum non est velle te regiam dominationem aliis obtrudere, qui foemineuni ipse domi dominatum ferre tam serviliter assuevisti. Sis itaque Lupi Dominus, sit Lupa tuī domina, sis Lopus ipse, sis *Lycanthropus*, molossis meherculè Anglicanis ludibrium debes. Verū lupos venari nunc non est otium; sylvis itaque egressi, in viam regiam redeamus. Qui contra omnem in ecclesia primatum nuper scriptisti, nunc *Petrum Apostolicas coronæ principem appellas.* Quis tibi autoritate tam fluxā homunculo fidem habeat? Quid Petrus? *Subjecti estote omni humana ordinationi propter dominum, sive regi ut supereminenti, sive praesidibus, ut qui per eum mittantur, ad ultionem quidem facinorosorum, laudem vero benefacientium; quoniam ita est voluntas dei.* Scriptit hæc Petrus non solum privatis, sed etiam advenis per minorem ferè Asiam dispersis, atque dispalatis; qui in iis ubi degebant locis nullius juris præterquam hospitalis capaces erant. An tu incolas, liberos, nobiles, indigenarum conventus, comitia, parlamenta idem in sua patria, quod sparsos & peregrinos in aliena decere putas? An idem privatos decere in sua, quod senatores & magistratus, sine quibus ne reges quidem esse possunt? Fac tamen indigenas fuisse, fac non privatos, sed Senatum ipsum Romanum, cui hæc scripta sunt. Quid inde assequeris? Cùm nullum præceptum cui ratio aliqua adjuncta est, quenquam ultra illam præcepti rationem obligare aut soleat aut possit. *Estote sub jeeti, τωδαλη, id est, si vim verbi spectes, subordinati, seu legitimè subjecti, κατεξιν ρουγ, inquit Aristoteles, lex est ordo.* *Subjecti estote propter dominum.* Quamobrem? Quia cùm rex, tum præses constituitur à deo ad ultionem facinorosorum, laudem benefacientium. *Quoniam ita voluntas est dei.* Videlicet ut talibus obsequamur, quales hic describuntur; de aliis nullum hic verbum. Vides quam optimè hujus præcepti constet ratio; addit. v. 16. ut liberi, non ergo ut mancipia. Quid si versâ vice ad crucem & perniciem bonorum, ad impunitatem & laudem & præmia facinorosorum regnent? An in perpetuum subjecti erimus non privati solum, sed primores, sed magistratus omnes, ipse denique Senatus? Annon humana ordinatio dicitur? Cur ergò potestas humana, ad constituendum quod hominibus bonum & salubre est, valebit ad tollendum quod iisdem malum & exitiosum est,

est, non valebit? Atqui rex ille cuius subjecti esse jubentur, erat Romæ eā tempestate Nero tyrannus; ergo tyrannis etiam subjecti esse debemus. At inquam, & dubium hoc est, Nero an Claudius tunc temporis rerum potiretur, & illi qui subjecti esse jubentur, advenæ, dispersi, privati, non consules, non prætores, non Senatus Romanus erant. Nunc Paulum adeamus (quoniam tu quod nobis de regibus licere non vis, id tibi de Apostolis licere autumas, ut principatum Petro modò des, modò eripias) Paulus hæc ad Romanos, c. 13. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto, non est enim potestas nisi à deo, qua autem sunt potestates à deo sunt ordinatae: Romanis hæc scribit, non, ut Petrus, advenis, dispersis, sed privatis tamen potissimum & plebeiiis; ita etiam scribit, ut totam reipub. administrandæ rationem, originem, finem luculentissimè doceat. Quo magis obedientiæ quoque nostræ vera ac distincta ratio, ab omni servitute disjuncta eluceret.* *Omnis anima, hoc est quisque homo subjectus esto.* Quid sibi Apostolus proponat hoc capite satis explanavit Chrysostomus, *πολιτεία τοῦ θεοῦ,* &c. facit hoc, inquit, *ut ostendat Christum leges suas non ad hoc induxisse ut communem politiam everteret, sed ut in melius statueret.* Non ergo ut Neronom, aut tyrannum quemvis alium supra omnem legem & pœnam constituendo, crudelissimum unus imperium in omnes mortales constabiliret. *Urque simul doceret superflua & iniuria bella non esse suscipienda,* non ergo bella damnat contra tyrannum, hostem patriæ intestinum, atque adeo periculosisimum susceptra. *Pervulgatus tunc eras hominum sermo traducens apostolos: inquam seditiones, & novatores quasi omnia ad revertendum leges communes & ficerent & dicarent;* his rump ora obstruit. Non ergo tyrannorum defensiones conscriperunt apostoli, quod tu facis, sed ea fecerunt, ea docuerunt, quæ suscepta omnibus tyranis defensione apud illos potius, & interpretatione quadam egebant. Propositum Apostolo quid fuerit ex Chrysostomo vidimus; nunc verba scrutemur. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto,* quæ tamen istæ sint non statuit: Non enim jura atque instituta omnium nationum abolere, unius libidini omnia permittere in animo erat. Certe optimus quisque imperator autoritatem legum & Senatus autoritate suâ longè superiorem semper agnovit. Idem apud omnes nationes non barbaras jus semper sanctissimum fuit. Unde Pindarus apud Herodotum, *νόμου πάσιν βασιλέας,* legem omnium regem esse dixit; Orpheus in hymnis non mortalium solum, sed immortalium etiam regem appellat.

Ἄθενάτων καὶ λέων καὶ θυτῶν ἀγρὸν ἀνακτεῖ  
Οὐρανίον νόμον. —————

Reddit rationem. Autòs γὰρ μένος γάρ τινας ὄμηραν φύσιν. *Lex enim sola viventium gubernaculum tenet.* Plato in legibus τὸν κρετῖδον εὐ τῇ πόλει, id quod in civitate plurimum debet posse, legem esse ait. In epistolis eam maximè rempub. laudat, ubi lex, & domina & rex hominum, non homines tyraanni legum sunt. Eadem Aristotelis sententia in Politicis, eadem Ciceronis in legibus, ita leges præesse magistratibus, ut magistratus præsunt populo. Cùm itaque sapientissimorum virorum judicio, prudentissimarum civitatum institutis lex semper potestas summa atque suprema habita sit, nec evangelii doctrina cum ratione auctoritate gentium pugnet, is utique potestatibus supereminentibus verissimè subjectus erit, qui legibus & magistratibus juxta leges Rempub. gubernantibus ex animo paret. Non ergo solum populo subjectionem hanc, sed regibus etiam præcipit; qui supra leges nequaquam sunt. *Non est enim potestas nisi à deo;* id est nulla reipub. forma, nulla homines regendi legitima ratio. Antiquissimæ etiam leges ad authorem deum olim referebantur; est enim lex, ut Cicero in Philip. 12. nihil aliud nisi recta & à numine deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria. A deo igitur est magistratum institutio, ut eorum administratione gens humana sub legibus viveret: hanc autem vel illam administrationis formam, hos vel illos magistratus eligendi optio procul dubio penes hominum nationes semper fuit. Hinc Petrus & regem & præfides αὐθεντινούς τιοι, humanam creationem vocat; & Hosea, c. 8. *Constitutum reges, at non ex me;* præficiunt principes quos non agnoscō. In istâ enim solâ Hebræorum repub. ubi deum variis modis consulere poterant, de regis nominatione ad deum referri ex lege oportebat: Cæteræ gentes mandatum à deo nullum istiusmodi accepimus. Aliquando aut ipsa regiminis forma, si vitiosa sit, aut illi qui potestatem obtinent, & ab hominibus, & à diabolo sunt. *Luc. 4. Tibi dabo potestatem hanc omnem,* nam mihi

*mibi tradita est, & cui volo do illam.* Hinc princeps hujus mundi dicitur, & Apocalyp. 13. dedit Bestiae Draco potentiam suam, & thronum suum, & potestatem magnam. Propterea necesse est hic intelligi non potestates quaecunque, sed legitimas, prout etiam infra describuntur; necesse est intelligi potestates ipsas, non semper eos qui imperium obtinent. Hinc dilucide Chrysostomus, *Quid ait?* inquit, *omnis ergo princeps à Deo constitutus est?* non dico: non enim de quovis principe, sed de ipsa re loquitur Apostolus; non dicit, non est princeps nisi à Deo, sed non est potestas. Hæc Chrysostomus. *Quæ autem potestates sunt, à Deo sunt ordinatae.* Legitimas ergo vult hic intelligi Apostolus; malum enim & vitium, cùm ataxia sit, non est ut possit ordinari, & esse simul vitiosum. Hoc enim duo simul contraria ponit, taxin & ataxian. *Quæ autem sunt,* ita interpretaris ac si diceretur, *quæ nunc sunt;* quo facilius probare possis etiam Neroni, qui ut opinatis, tunc imperavit, Romanos obtemperare debuisse; nostrâ sanè bona venia: quām enim voles de Anglicanâ repub. male sentias, in eâ tamen Anglos acquiescere debere, quoniam *nunc est,* & à Deo ordinatur, ut Neronis olim imperium, necesse habebis concedere. Neque enim Nero minus quām Tiberius *artibus mariis imperium nihil ad se pertinens* occupaverat, ne legitimè partum suisse respondeas. Quo sceleratior & doctrinæ retrahator ipse tuæ, Romanos potestati quæ tunc sunt subjectos esse vis, Anglos potestati quæ nunc est, subjectos esse non vis. Verū nullæ in hoc orbe terrarum res duæ magis è regione adversæ sibi sunt, quām tu nequissimus nequissimo semper ferè adversus es tibi. Quid autem facies miser? acumine hoc tuo regem adolescentem planè perdidisti; ab ipsa enim tua sententiâ extorquebo ut fatearis, hanc potestatem in Anglia, quæ nunc est, à Deo ordinatam esse; atque omnes proinde Anglos intra ejusdem reipublicæ fines eidem potestati subjectos esse debere. Attendite igitur Critici, & manus abstinet, Salmasii nova hæc emendatio est, in epistola ad Romanos; non quæ sunt potestates, sed quæ nunc existunt reddi debere adinvenit; ut Neroni tyranno tunc scilicet imperanti subjectos esse omnes oportuisse demonstraret. At, ô bone, λανθάνεται: ut regem modò, ita nunc interpretationum hoc tam bellum perdidisti. Quam tu epistolam sub Nerone scriptam esse ait, sub Claudio scripta est principe simplici, & non malo: hoc viri docti certissimis argumentis compertum habent; quinquennium etiam Neronis laudatissimum fuit, unde argumentum hoc toties inculcatum, quod multis in ore est, multis imposuit, tyranno parendum esse, eo quod Paulus hortatus est Romanos ut Neroni essent subjecti, callidum indocti cuiuspiam commentum esse reperitur. *Qui obſiſtit potestati,* scilicet legitimæ, *rei ordinationi obſiſtit.* Astringit etiam reges præceptum hoc, qui legibus & Senatu obſiſtunt. At verò qui potestati vitiosæ, aut potestatis non vitiosæ corruptori & eversori obſiſtit, an is Dei ordinationi obſiſtit? si-  
nus, credo, non dixeris. Tollit omnem dubitationem sequens versiculos, de legitima tantum potestate Apostolum hic loqui. Definiendo enim explicat, ne quis errare, & opiniones hinc stolidas occupari possit, qui sint magistratus potestatis hujus ministri, & quam ob causam subjectos esse nos horretur; *Magistratus non sunt timori bonis operibus, sed malis, boni à potestate hac laudem adipiscuntur;* *Magistratus minister est Dei nostro bono datus;* non frustra gladium gerit, vindex ad iram ei qui malum facit. Quis negat, quis recusat, nisi improbus, quin hujusmodi potestati aut potestatis administratio libens se subjiciat? non solum ad vitandam iram & ostensionem, aut poenæ metu, sed etiam propter conscientiam. Sine magistratibus enim, & civili gubernatione, nulla respublica, nulla societas humana, nulla vita esse potest. Quæ autem potestas, qui magistratus contraria nisi facit, neque illa neque hic à Deo propriè ordinatus est. Unde neque tali vel potestati, vel magistratui subjectio debetur aut præcipitur, neque nos prudenter obſistere prohibemur: non enim potestati, non magistratui obſistemus, qui hic optimè depingitur, sed prædoni, sed tyranno, sed hosti; qui si magistratus tamen dicendus erit, eò duntaxat quod habet potestatem, quod ad poenam nostram ordinari à Deo videri potest, etiam Diabolus hoc modo magistratus erit. Sanè unius rei una vera definitio est: si ergò Paulus hic magistratum definit, quod quidem accuratè facit, eadem definitione, iisdem verbis tyrannum, rem maximè contrariam, definire non potuit. Unde quem ipse magistratum definit atque descripsit, ei duntaxat subjectos nos esse voluisse, non ejus contrario tyranno certissime colligitur. *Propter hoc tributa solvit;* rationem adjungit ad præceptum; unde Chrysostomus, *Cur, inquit, vestigalia regi*

regi damus? Annon tanquam nobis prospicienti, etre ac tuitionis mercedem solventes? atqui nihil illi solvissemus, nisi ab initio utilem nobis talem esse praefecturam cognovissimus. Quapropter illud repetam quod supra dixi; quandoquidem subjectio hæc non simpliciter, sed cum adjunctâ ratione à nobis requiritur, illa profecto ratio quæ adjungitur, subjectionis nostræ vera norma erit: Cum ista ratione non subjecti, rebelles; sine ista ratione subjecti, servi erimus & secordes. At Angli, inquis, nihil minus quam liberi, quia mali, quia flagitiosi. Nolo ego Gallorum vitia commemorare, quamvis sub regibus sint; neque Anglorum nimis excusare; dico tamen illa esse flagitia, quæ sub regibus tanquam in Ægypto didicerunt; neque dum in deserto, licet Dei sub imperio, dediscere statim potuerunt. Spes est tamen de plerisque bona, ut ne sanctissimos hic optimosque viros & veritatis studiosissimos collaudare incipiam; quorum apud nos non minorum credo esse numerum, quam ubi tu maximum esse existimas. At jugum Anglis durum imponitur. Quid si illis, qui jugum cæteris civibus imponere studebant? Quid si suo deinde merito subactis? nam cæteri puto non molestè ferunt, exhausto civilibus bellis ærario, sumptibus propriis suam se tolerare libertatem. Relabitur jam ad Rabbinos nugivendos. Regem legibus astrictum esse negat, ex iis tamen probat *lese majestatis reum esse posse, si jus suum patiatur immitti*: astrictus itaque & non astrictus, reus & non reus rex erit: adeò frequenter enim solet repugnare sibi, ut ipsa Repugnantia huic homini germana atque gemella esse videatur. Atqui Deus, inquis, multa regna Nebuchadnezzari in servitutem dedit. Fateor at certum tempus dedisse, Jer. 27. 7. Anglos in servitutem Carolo Stuarto ad semihorulam dedisse ostende; permisso non negaverim, dedisse nunquam audivi. Aut si Deus in servitutem dat populum, quoties tyrannus plus populo potest, cur non idem liberare dicendus erit, quoties plus potest populus tyranno? An is Deo tyrannidem suam, nos Deo libertatem nostram acceptam non feremus? Non est malum in civitate quod Deus non immittat, Amos 3. famem, pestilentiam, seditionem, hostem; ecquodnam horum civitas ab se non totis viribus amolitur? faciet profecto, si possit, quanvis ab ipso Deo immissa hæc esse sciat; nisi è cœlo ipse secùs justerit. Cur non tyrannos pariter amovebit, si plus polleat; an ejus unius impotentiam ad commune malum esse magis à Deo credemus, quam potentiam totius civitatis ad commune bonum? Absit à civitatibus, absit ab omni cœtu hominum ingeniorum doctrinæ tam stupidæ, tamque pestiferæ labes, quæ vitam omnem civilem funditus delet, gentem humanam universam propter unum atque alterum tyrannum, ad quadrupedum propè conditionem detrudit: cum illi supra omnem legem excelsi par in utrumque genus & pecudum & hominum jus atque imperium obtinebunt. Mitto jam stulta illa dilemmata, in quibus ut te jactes, nescio quem fingis, potestatem illam supereminentem de populo velle intelligere; tametsi affirmare non dubito omnem magistratus autoritatem à populo proficiisci. Hinc Cicero pro Flacco, *Illi nostri sapientissimi, & sanctissimi majores, que scisceret plebs, que populus juberet, juberi veterique voluerunt.* Hinc Lucius Crassus Orator eximus, & Senatus eo tempore princeps, cuius tum causam agebat ad populum. *Nolite, inquit, sinere nos cuicunque servire nisi vobis universis, quibus & possumus & debemus.* Quamvis enim Senatus Populum regeret, populus tamen illam moderandi & regendi sui potestatem senatu tradiderat. Unde majestatem, populo Romano frequentius quam regibus olim attributam legimus. Idem Marcus Tullius pro Plancio. *Est enim conditio liborum populorum, præcipueque hujus principis populi & omnium gentium domini, posse suffragiis vel dare vel detrahere quod velit cuique, nostrum est ferre modice populi voluntates: honores si magni non putemus, non servire populo; si eos expertamus, non defatigari supplicando.* Egone ut regem populi servum dicere metuam. cum Senatus Romanus tot regum dominus servum se populi professus sit? Vera sunt hæc, inquires, in populari statu; nondum enim lex regia potestatem populi in Augustum, & successores ejus transtulerat. Hem tibi ergò Tiberium illum quem tu tyrannum plus vice simplici fuisse aīs, ut revera fuit, is tamen dominus, etiam post legem illam regiam, appellatus à quodam, ut tradit Suetonius, denunciat ne te amplius contumeliae causâ nominaret. Audīne? tyrannus iste dominus dici contumeliae sibi duxit. Idem in Senatu, *Dixi & nunc, & sape alias, patres Conscripti, bonum & salutarem principem, quem vos tanta & tam libera potestate instruxistis, Senatui servire debere, & universis civibus sepe, & plerunque etiam singulis; neque id dixisse me pœnitet; & bonos & aquos & faventes vos habui;*

bui Dominos, & adhuc habeo. Nec simulata haec ab eo si dixeris, ut erat simuliandi callidissimus, quicquam proficies; quis enim id videri se cupit, quod esse non debet? Hinc ille mos non Neroni solum, quod scribit Tacitus, sed cæteris etiam imperatoribus fuit, populum in Circo adorandi. De quo Claudio, VI. Cons. Honorii.

*O quantum populo secreti numinis addit  
Imperi præsens species, quantamque rependit  
Majestas alterna vicem, cum regia Circi  
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus,  
Consensuque cavæ sublatuſ in aethera vallis  
Plebis adorare reboat fragor.*

Qua adoratione quid aliud Imperatores Romani, nisi universam plebem, etiam post legem regiam, suos esse dominos fatebantur? Atque illud est quod initio statim suspicatus sum, te glossariis pervolutandis, & tricis quibusdam laboriosis magnificè divulgandis operam potius dedisse, quam bonis authoribus attente & studiolo perlegendis; qui veterum scriptorum sapientia ne leviter quidem imbutus, rem præstantissimorum opinionibus Philosophorum, & prudentissimorum in republica principum dictis celebratissimam, novam esse prorsus & *Enthusiasmum tantummodo deliriis somniacum censes.* I nunc Martinum illum futorem, & Guilielmum Pellioneum quos adeò despiciis, ignorantiae collegas & mystagogos tibi sume: quanquam erudire te poterunt illi, & illos tibi gryphos dissolvere stolidissimos, *An in Democratia serviat Populus, cum serviat rex in Monarchia; utrum totus an pars ejus.* Ita illi, cum tibi Oedipi vice fuerint, tu illis Sphinx in malam tem præceps abeas licebit; alioqui fatuitatum tuarum & ænigmatum finem nullum fore video. Rogas, *Cum reges Apostolus nominat, an de populo eos intelligamus.* Pro regibus quidem orandum esse Paulus docet, 1 Tim. 2. 2. at prius pro populo orandum esse docuerat, v. 1. Sunt tamen & de regibus, & de populo nonnulli pro quibus orare etiam vetamur. Pro quo non orem, eumne ex lege non puniam? quid vetat? Atqui *cum hac scriberet Paulus, imperabant vel pessimi;* hoc etiam falsum est, scriptam enim sub Claudio & hanc Epistolam fuisse certissimis argumentis evincit Ludovicus Capellus. De Nerone cum mentionem facit Paulus non regem, sed *leonem*, id est belluam immanem vocat, cuius ex ore eruptum se gaudet, 2 Tim. 4. Pro regibus itaque, non pro belluis, orandum, *ut vitam tranquillam & quietam transgamus, cum pietate tamen omni & honestate.* Vides non tam regum hic quam tranquillitatis, pietatis, honestatis etiam rationem esse habendam. Quis autem populus non se tuosque liberos tuendo (contra tyrannum an contra hostem nihil interest) vitam sollicitam, inquietam, bellicosam, honestam agere, quam sub hoste vel tyranno, non solum æquè sollicitam & inquietam, sed turpem etiam, servilem & inhonestam? Te ipsum testem adhibeo, non quod tanti sis, sed ut perspiciant omnes quam sis duplex, & fraudulentus, & mancipium regis mercenarium. *Quis, inquis, non perferre mallet in repub.* Aristocratica ex optimatum simulatione dissensiones oriri solitas, quam ex uno monarcha, tyranico more imperare consueto, certam miseriam ac perniciem? *Populus Romanus prætulit statum illum Reipub.* quantumlibet discordiis agitate jugo Cæsarum intolerabili. *Populus qui vitanda seditionis causa monarchicum statum praoptavit, ubi expertus est levius esse malum quod vitare voluit, ad priora sape redire expedit.* Haec & plura tua verba sunt in illa de Episcopis dissertatione, sub Walonis Messalini adscitio nomine edita, p. 412. contra Petavium Loiolitam, cum ipse magis Loiolitas, & eo de grege pessimus. Quid hac de re Scriptura sacra statuerit, & vidi mus & omni diligentia investigasse non posset: unde quid senserint Patres antiqui per tot ingentia volumina exquirere pretium fortasse operæ non erit. Si quid enim afferunt, quod Scriptura non exhibuit, eorum autoritatem, quantaunque sit, merito repudiamus. Quod autem ex Irenæo profers, *reges Dei iussu constitui aptos his qui in illo tempore ab iis reguntur, cum Scripturâ pugnâc evidenter.* Cum enim judices ad regendum populum suum aptiores regibus esse palam significasset Deus, id tamen totum voluntati atque arbitrio populi permisit, ut aptiorem sibi sub optimatibus formam reipub. deteriore sub regibus, si vident, permutarent. Legimus etiam saepe regem malum bono populo datum, & contra, regem bonum populo malo. Virorum itaque sapientissimorum est perspicere quid populo aptissimum & utilissimum sit: constat enim neque omni populo, neque eidem semper eundem reipub. statum convenire, sed

vel hunc vel illum, prout civium virtus & industria nunc augescit, nunc minuitur. Qui tamen potestatem adimit populo eligendi sibi quam velit reipub. formam, adimit profectò id in quo civilis libertas tota fere consistit. Citas deinde Justinum Martyrem Antoninis imperatorum optimis obsequium deferentem ; quis non iis tam egregiis & moderatis non detulisset ? At quantum, inquis, nos hodie pejores Chriftiani ? Tulerunt illi principem diversa religionis. Privati scilicet, & vi-ribus longè inferiores. Nunc sanè pontificii regem non ferrent reformatum, nec reformati Pontificium. Facis tu quidem prudenter, ut ostendas te nec pontificium esse, nec reformatum ; facis etiam liberaliter ; ultrò enim largitis quod nunc non petitivimus, omnes hodie Christianos in hoc planè consentire, quod tu solus insigni audaciâ atque scelere oppugnas, Patrum etiam quos laudas dissimilius ; illi enim pro Christianis ad profanos reges defensiones conscribebant, tu pro rege pontificio atque deterrimo contra Christianos & Reformatos. Multa deinde ex Athenagora, multa ex Tertulliano futiliter depromis, quæ ab ipsis Apostolis multò clariùs & explanatiùs dicta jam sunt. Tertullianus autem longissimè à te dissentit, qui regem vis esse dominum : Quod tu aut nescivisti, aut nequiter dissimulasti. Is enim Christianus ad Imperatorem Ethnicum in Apologetico ausus est scribere non oportere imperatorem appellari Dominum. *Augustus*, inquit, imperii formator ne dominum quidem dici se volebat, hoc enim Dei est Cognomen : Dicam plane imperatorem dominum, sed quando non cogor ut dominum dei vice dicam : Cæterum liber sum illi, Dominus meus deus unus est, &c. Et ibidem qui pater patriæ est, quomodo dominus est ? Gratulare nunc tibi de Tertulliano, quem sanè praestabat missum se- cisse. At parricidas appellat qui Domitianum interfecerunt. Rectè appellat ; uxoris enim & famulorum insidiis, à Parthenio, & Stephano interceptarum pecuniarum reo est imperfectus. Quod si Senatus Populūsque Romanus hostem judicatum, ut Neronem priùs judicabant, & ad supplicium quærebant, more majorum puni- vissent, eos parricidas appellaturum fuisse censes ? Immo si appellasset, dignus ipse supplicio fuisse ; ut tu furcā jam dignus es. Origeni responsum idem qua- drabit quod Irenæo. Athanasius reges terræ ad humana tribunalia vocare nefarium esse dicit. Quis hoc dixit Athanasio ? Verbum enim dei nullum hic audio. Credam itaq; ego imperatoribus potius & regibus de se falsum hoc esse fatentibus, quām Athanasio. Adfers deinde Ambrosum ex proconsule & catechumeno episcopum, verba illa Davidis, tibi soli peccavi, imperité, ne dicam assentoriè interpretantem. Volebat is omnes alios imperatori subjectos esse, ut imperato- rem ipse subjeceret sibi. Quām enim superbè & fastu plūs quām pontificio Theodosium imperatorem Mediolani tractaverit, credis Thessalonicensis reum ipse judicaverit, ingressu ecclesiæ prohibuerit, quām se deinde novitium & ru- dem evangelicæ doctrinæ ostenderit, omnibus notum est. Imperatorem ad pedes ejus provolutum exceedere salutorio jussit ; sacris tandem restitutum, & post- quām obtulisset, altari adstantem his vocibus extra cancellos exegit : O imperator, interiora loca tanum sacerdotibus sunt attributa, quæ ceteris contingere non licet. Do-ctorne hic Evangelii, an Judaïcorum pontifex rituum fuit ? Hic tamen (quæ omnium ferè ecclesiasticorum artes sunt) imperatorem ceteris dominum impo- suit, ut imperatoris ipse dominus esset. His itaque verbis Theodosium tanquam sibi subjectum repulit ; Coequalium hominum es imperator & conservorum ; unus enim omnium dominus rex & Creator. Bellè profectò ; quam veritatem calliditas & assentatio episcoporum obscuravit, eam iracundia unius, & ut mollius dicam, zelus ineruditus protulit in lucem. Ambrosii imperitiæ tuam subjungis igno- rantiam aut hæresin, qui disertè negas sub veteri fœdere remissionem peccatorum per sanguinem Christi locum tunc habuisse, cum David deo confitebatur ei soli se peccavisse. p. 68. Orthodoxi, non nisi per sanguinem agni mactati ab initio mundi, pec- cata unquam remissa fuisse credunt ; te novum hæreticum cuiusnam discipulus sis nescio ; certè summi Theologi discipulus ille quem exagitas, à vero non aberravit, cum dixit potuisse quemvis è populo pari jure cum Davide deum his verbis inclamasse, tibi soli peccavi. Augustinum deinde ostentas, Clericos Hip- ponenses nescio quos producis ; nam Augustini quæ sunt abs te allata nobis non obsunt. Quidni enim fateamur cùm propheta Danièle, deum tempora mutare, regna dare, & regna auferre, per homines tamen. Si regnum deus solus Carolo dedit, idem Carolo abstulit, optimatibus & Populo dedit. Si eâ de causâ præ- standam Carolo obedientiam fuisse dicis, eandem nunc magistratibus nostris præstandam esse dicas necesse est. Nam deum & nostris etiam magistratibus eandem dedisse potestatem quam dat malis regibus ad castiganda populi peccata ipse conce-

concedis ; nostros itaque à deo pariter constitutos removere à magistratu nemo  
 vel tuo judicio nisi deus potest. Atque ita, uti soles, tuum tibi ipse mucrone in  
 in temet vertis, tuus tibi ipse sicarius es ; neque injuriā, cum eò improbitatis &  
 impudentiae processeris, eo stuporis & insaniae, ut quos digito violandos non esse  
 tor argumentis probas, eosdem omnium suorum bello persequendos esse idem  
 affirmes. Ismaëlem Godoliae Præfecti interfectorem ab Hieronymo particidam  
 esse nominatum aīs, & meritò ; præsidem enim Judææ, virum bonum, sine ulla  
 causa interemit. Idem Hieronymus in Ecclesiasten, præceptum illud Solomonis  
*Os regis observa*, cum præcepto Pauli concordare dixit ; & laudandus quidem,  
 quod locum istum cæteris sui temporis moderatiū expoluit. *Ad inferiora tempora*  
*post Augustinum non descendes, ut doctorum sententiam exquiras.* Ut omnes tamen  
 intelligent facilius mentiri te posse quam tacere, si quos adhuc haberes tuæ sen-  
 tentiae fautores, post unam statim periodum non temperas tibi quo minus ad  
 Hispalensem Itidorum, Gregorium Turonensem, Ottone Frinsingensem etiam  
 in medium barbariem descendas. Quorum authoritas quam nullius apud nos  
 pretii sit si modò scivisses, non hoc eorum obscurum testimonium per mendaci-  
 um adduxisses. Vultis scire cur ad hæc tempora descendere non auder, cur ab-  
 dit se, cur subito evanescit ? Dicam : Quot sunt Ecclesiæ reformatæ præstan-  
 tissimi doctores, tot videt acerrimos sibi adversarios fore. Faciat modò pericu-  
 lum, sentiet quam facile reluctantem, omnes in unum vires conferentem, Lu-  
 theris, Zwingliis, Calvinis, Buceris, Martyribus, Paræis in æciam eductis fun-  
 dam atque obruam. Leidenses etiam tuos tibi opponam, quorum Academia,  
 quorum respub. florentissima, libertatis olim domicilium, isti denique literarum  
 humaniorum fontes atque rivi, servilem illam æruginem tuam & innatam bar-  
 bariem eluere non potuerunt. Qui cum Theologum Orthodoxum habeas ne-  
 minem tibi faventem, quem tuo commodo nominare possis, omnium præsidio  
 reformatorum nudatus confugere ad Sorbonam non erubescis : Quod tu Colle-  
 giūm doctrinæ pontificiæ addictissimum nullius apud Orthodoxos authoritatis  
 esse non ignoras. Sorbonæ igitur absorbendum tam sceleratum tyrannidis pro-  
 pugnatorem tradimus ; tam vile mancipium, nostrum esse nolumus ; qui *popu-  
 lum universum regi ignavissimo parem esse* negat. Frustra id in papam deonerare atque  
 transferre contendis, quod omnes liberæ nationes, omnis religio, omnes Ortho-  
 doxi sibi sumunt, in se suscipiunt. Papa quidem cum episcopis suis, dum tenuis,  
 & nullarum virium erat tuæ hujus foedissimæ doctrinæ author primus extitit : Iis  
 demum artibus magnas opes, magnamque potentiam paulatim adeptus, tyran-  
 norum ipse maximus evasit. Quos tamen omnes sibi firmissime devinxit, cum  
 populis, quorum animos jamdiu superstitione oppressos tenuerat, suaderet, non  
 posse regibus quamlibet pessimis, nisi se fidelitatis sacramentum solvente, impe-  
 riū abrogari. Verum tu scriptores Orthodoxos devitas, & quæ communis  
 & notissima ipsorum sententia est, eam à Papa introductam esse causatus, veri-  
 tatem in invidiam rapere conaris. Quod nisi astutè faceres, appareret te neque  
 Papanum esse neque reformatum, sed nescio quem semibarbarum Edomæum  
 Herodianum, qui tyrannum quemque immanissimum tanquam Messiam cœlo  
 demissum colas atque adores. *Demonstrasse te hoc dicis ex doctrina patrum primo-  
 rum quatuor sæculorum, quæ sola Evangelica & Christiana censi debet.* Periit huic  
 homini pudor ; quam multa sunt ab illis dicta atque scripta, quæ Christus &  
 Apostoli neque docuerunt neque approbârunt ? Quam multa in quibus refor-  
 mati omnes à patribus dissentunt ? Quid autem ex patribus demonstravisti ?  
*Reges etiam malos à deo constitui.* Fac esse constitutos, ut omnia etiam mala quo-  
 dammodo à deo constituuntur : *Eos proinde deum solum habere judicem, supra leges  
 esse, nullâ lege scriptâ, non scriptâ, naturali, neque divinâ posse reos fieri à subditis,  
 neque apud subditos suos.* Quare ? Certè nulla lex vetat, nulla reges excipit : Ra-  
 tio, & jus, & fas omne animadverti in omnes qui peccant indiscriminatim jubet.  
 Neque tu legem ullam scriptam, non scriptam, naturalem aut divinam protulisti  
 quæ vetaret. Cur ergò non in reges quoque animadvertisendum ? *Quia sunt eti-  
 am mali à Deo constituti.* Nebulonem te magis an bardum & caudicem esse di-  
 cam ? Nequissimus sis oportet qui doctrinam perniciosissimam in vulgus dissemini-  
 nare audeas, stupidissimus qui ratione tam stolidâ maximè nitaris. Dixit deus,  
 Isaïæ 54. *Ego creavi interfectorem ad perdendum* ; ergo intersector supra leges est ;  
 excute hæc, & pervolve quantum voles, parem utrobique consequentiam inve-  
 nies. Nam & Papa etiam eodem modo quo tyranus à deo est constitutus, &  
 ecclesiæ in poenam datus, quod supra ex scriptis etiam, tuis ostendimus ; tamen  
 qui.

quia in fastigium potestatis non ferendum tyrannidi non absimilis primatum suum evexit, cùm eum, tum episcopos meliori jure tollendos esse affirmas quam fuere constituti. Wal. Mef. p. 412. Papam & Episcopos quamvis ab irato deo constitutos ex ecclesiâ tollendos esse aïs, quia sunt tyranni ; tyrannos ex repub. tollendos esse negas quia sunt ab irato deo constituti. Ineptè prorsus & absurdè : Cum enim Papa ipsam conscientiam, quæ sola regnum ejus est, invito quoquam lâdere non possit, eum qui revera tyrannus esse non potest, quasi tyrannum gravissimum tollendum esse clamas ; tyrannum autem verum qui vitam & facultates nostras omnes in potestate sua habet, & sine quo papa in ecclesiâ tyrannus esse nequit, eum in repub. omnino ferendum esse contendis. Hæc tua sibi invicem collatam imperitum te támque puerilem sive falsi sive veri argutatorem produnt, ut levitas tua, inscitia, temeritas, incogitantia neminem posthac latere queat. At ratio subest altera, *rerum vices inversæ viderentur*, quippe in melius ; actum enim esset de rebus humanis, si quæ res pessimo loco sunt, in eodem semper starent : in melius inquam ; authoritas enim regia ad populum rediret, ab cuius voluntate atque suffragiis profecta primò, atque in unum ex suo numero derivata erat : potestas ab eo qui injuriam intulit, ad eum qui injuriam est passus æquissimâ lege transiret ; cùm tertius nemo inter homines idoneus esse possit, alienigenam enim judicare quis ferret ? Omnes æquè homines legibus tenerentur, quo nihil justius esse potest : Deus mortalis nemo esset ; quem qui inter homines constituit, non minus in rempub. scelestus est, quam in Ecclesiâ. Tuis iterum in te armis utar. *Maximam heresin esse aïs, quia creditur unum hominem in loco Christi sedere : Due haæc Antichristum signant, infallibilitas in spiritualibus, & omnipotentia in temporalibus*, Apparat. ad Primat. pag. 171. An Reges infallibiles ? Cur ergo omnipotentes ? Aut si hoc sunt, cur minus exitiales rebus civilibus quam Papa spiritualibus ? An verò deus res civiles prorsus non curat ? Si non curat, certè nos curare non prohibet ; si curat, eandem in republicâ reformationem atque in Ecclesia vult fieri ; præsertim si infallibilitatem & omnipotentiam attributam homini easdem malorum omnium utrinque causas esse exploratum sit. Non enim in negotiis civilibus eam patientiam præcepit, ut sævissimum quemlibet tyrannum respublica ferret, Ecclesia non ferret ; immò contrarium potius præcepit : Et Ecclesiæ quidem nulla arma præter patientiam, innocentiam, preces, & disciplinam evangelicam reliquit ; reipublicæ & magistratibus simul omnibus non patientiam, sed leges & gladium, injuriarum & violentiæ vindicem, in manus tradidit. Unde hujus hominis perversum & præpostorum ingenium aut mirari subit aut ridere ; qui in Ecclesiâ, Helvidius est & Thraseas & planè tyran-nicida ; in republicâ, commune omnium tyrannorum mancipium & satelles. Cujus sententia si locum habeat, non nos solum rebellavimus, qui regem, sed reformati etiam omnes qui Papam dominum invitatis regibus rejecerunt. Jam diu autem est quod suis ipse telis concisus jacet. Sic enim homo est, modò manus adversarii ne desit, ipse in se tela abundè suppeditat : Nec quisquam ad refutandum se, aut irridendum commodiores ansas ministrat. Defensus etiam cæ-dendo citius quis abscedat, quam hic terga præbendo ?

## C A P. IV.

**M**Agnam à regibus iniisse te gratiam, omnes principes & terrarum dominos demeruisse defensione hac regiâ te fortè putas, Salmasi, cùm illi, si bona sua, réisque suam ex veritate potius quam ex adulatio[n]ibus tuis vellent æstimare, neminem te pejus odisse, neminem à se longius abigere atque arcere debeant. Dum enim regiam potestatem supra leges in immensum extollis, ad mones eadē operâ omnes ferè populos servitutis suæ nec opinatae ; eoque vehementius impellis ut veternum illum, quo se esse liberos inaniter somniabant, repente excutiant ; moniti abs te quod non putabant, servos se esse regum. Eoque minus tolerandum sibi esse regium imperium existimabunt, quò magis tu iis persuasum reddideris tam infinitam potestatem non suâ patientiâ creuisse, sed ab initio talem atque tantam iplo jure regio natam fuisse. Ita te tuámque hanc defensionem, sive populo persuaseris, sive non persuaseris, omnibus posthac regibus funestam, exitialem, & execrabilem fore necesse erit. Si enim populo per-suaseris,

suaseris, jus regium omnipotens esse, regnum amplius non feret; si non persuaderis, non feret reges, dominationem tam injustam pro jure usurpantes. Me si audient, quibus integrum hoc est, séque circumscribi legibus patientur, pro incerto, imbecillo, violento imperio quod nunc habent, curarum atque formidinum pleno, firmissimum, pacatissimum ac diuturnum tibi conservabunt. Consilium hoc sibi, súisque regnis adeò salutiterum si propter authorem contempterint, sciant non tam esse meum, quām regis olim sapientissimi. Lycurgus enim Spartanorum rex, antiquā regum stirpe oriundus, cùm propinquos videret suos Argis & Messenæ rerum potitos, regnum quemque suum in tyrannidem convertit, sibique pariter súisque civitatibus exitio suisle, ut patriæ simul saluti considereret, & dignitatem in familia sua regiam quām diutissimè conservaret, consortem imperii senatum, & Ephororum potestatem in ipsum regem quasi censitiam, firmamentum regno suo induxit. Quo factō regnum suis nepotibus firmissimum in multa secula transmisit. Sive, ut alii volunt, Theopompi, qui centum amplius annis post Lycurgum Lacedæmone regnabat, ea moderatio fuit, ut popularem Ephororum potestatem superiorem quām suam constitueret, eoque factō gloriatus est, stabilivisse se regnum, multoque majus ac diuturnius filiis reliquise; exemplum profecto haud ignobile hodierni reges ad imitandum habuerint, eundem etiam consilii turissimi authorem egregium. Majorem enim legibus dominum ut perferrent homines hominem omnes unum, nulla lex unquam sanxit; ne potuit quidem sancire. Quæ enim lex leges omnes evertit, ipsa lex esse non potest. Cùm itaque eversorem te, & parricidam legum omnium reijciant ab se leges, exemplis redintegrare certamen, hoc capite, conaris. Faciamus itaque periculum in exemplis: Sæpe enim, quod leges tacent, & tacendo tantum innuunt, id exempla evidentiū docent. Ab Iudeis auspicabimus voluntatis divinae consultissimis; postea ad Christianos tecum descendemus. Initium autem altius petitum ab eo tempore faciemus, quo Israëlitæ regibus quounque modo subjecti, jngum illud servile cervicibus dejecerunt. Rex Moabitarum Eglon Israëlitas bello subegerat; sedem imperii inter ipsos Hierichunte posuerat: Numinis contemptor non erat, facta enim dei mentione, è solio surrexit: Servierant Israëlitæ Egloni annos duodeviginti; non ut hosti, sed ut suo regi munus miserant. Hunc tamen dum publicè munerantur ut regem suum, interficiunt per insidias ut hostem. Verùm Ehudes qui interfecit, dei monitu id fecisse creditur. Quid factum hujusmodi commendare magis potuit? Ad honesta enim quæque & laudabilia horrari solet Deus, non ad injusta, infida, truculenta. Expressum autem dei mandatum habuiste nusquam legimus, *clamārunt filii Israëlis ad Jehovam*; clamavimus & nos: Excitavit iis Jehova servatorem; excitavit & nobis. Ille ex vicino domesticus, ex hoste rex factus erat; noster ex rege hostis; non ergò rex erat; nam neque civis ullo modo esse potest, qui reipublicæ est hostis; neque consul habebatur Antonius, neque Nero imperator, ex quo uterque hostis à Senatu est judicatus. Quod Cicero quartâ Philippicâ de Antonio clarissimè docet: *Si Consul Antonius, Brutus hostis; si conservator Reipublicæ Brutus, hostis Antonius.* Quis illum consulem nisi latrones putant? Pari ego jure, quis tyrannum, inquam, regem nisi hostes patriæ putant? Fuerit itaque Eglon externus, fuerit Noster domesticus necne, quandoquidem uterque hostis, & tyrannus, paùm refert. Si illum Ehudes jure trucidavit, nos nostrum suppicio jure affecimus. Quin & heros ille Sampson, inculantibus etiam popularibus suis (Jud. 15.) *An nesciebas Philisthaos dominium habere in nos?* Suis tamen dominis bellum solus intulit, neque unum sed multos simul patriæ suæ tyrannos. sive dei, sive propriæ virtutis instinctu occidit; conceptis priùs ad deum precibus ut auxilio sibi esset. Non impium ergò sed pium Sampsoni visum est, dominos, patriæ tyrannos occidere; cum tamen pars major civium servitutem non deterraret. At David, rex & propheta, noluit Saulem interimere *unctum dei*. Non quicquid noluit David, continuò nos obligat ut nolimus; noluit David privatus; id statim nolle synedrium, Parliamentum, totum populum necesse erit? Noluit inimicum dolo occidere, nolet ergò Magistratus noxiū lege punire? Noluit regem occidere, timebit ergò Senatus tyrannum plectere? Religio erat illi *unctum dei* interficere, an ergò religio erit populo *unctum suum* capitis damnare? Præsertim qui *unctionem illam vel sacram vel civilem totus cruore civium delibus tam longâ hostilitate aboleverat?* Evidem reges, vel quos deus per prophetas unxit, vel quos ad certum opus, sicuti olim Cyrum, nominatim destinavit, *12. 47.* *unctos domini agnosco;* cæteros vel populi, vel militum, vel *factionis*

ctionis tantummodo suæ unctos esse arbitror. Verum ut concedam tibi omnes reges esse unctos Domini ; esse tamen idcirco supra leges, non esse ob scelera quæcunque puniendos, nunquam evinces. Quid enim ? & sibi & privatis quibusdam interdixit David, ne extenderent manus suas in unctum domini. At regibus interdixit ipse Dominus, Psal. 105. ne attingerent unctos suos, id est populum suum. Unctionem sui populi prætulit unctioni, si qua erat, regum. An ergo fideles punire, si quid contraria leges commiserint, non licebit ? Unctum domini sacerdotem Abiatharem prope erat ut rex Solomon morte multaret ; neque illi, quod unctus domini esset, pepercit, sed quod patris fuerat amicus. Si ergo summum sacerdotem, summum eundem in plerisque magistratum, unctio illa domini & sacra & civilis exime & supplicio non potuit, cur unctio tantum civilis tyrannum eximeret ? At *Saul quoque tyrannus erat, & morte dignus* ; esto : non inde enim sequetur, dignus, aut idoneum fuisse Davidem qui sine populi autoritate, aut magistratum iussu Saulem regem quocunque in loco interficeret. Itane vero Saul tyrannus erat ? Usinam dices ; quin immo dicas ; cum tamen suprà dixeris, *cap. 2. pag. 32. Tyrannum non fuisse, sed bonum & electum.* Ecquid causæ est nunc cur in foro quadruplicator aut falsarius quispiam stigmate notetur, tu eadēm careas ignominiae notâ ? cum meliori profectò fide sycophantari soleant illi, quam tu scribere, & res vel maximi momenti tractare. Saul igitur, si id ex usu est tuo, bonus erat rex, sin id minùs tibi expedit, repente non rex bonus, sed tyrannus erit ; quod certè mirum non est ; dum enim potentiae tyrannicæ tam impudenter lenocinaris, quid aliud facis quam ex bonis regibus tyrannos omnes. At vero David quanvis regem sacerorum multis de causis, quæ ad nos nihil attinent, interimere nollet, sui tamen tuendi causâ copias comparare, Saulis urbes vel occupare vel insidere non dubitavit ; & Cheilam oppidum contra Saulem etiam praefidio tenuisset, nisi oppidanos erga se male animatos cognovisset. Quid si Saul urbe oblessâ, scalis muro admotis, primus ascendere voluisset, an censes Davidem arma protinus abjecturum, suos omnes uncto hosti proditum fuisse ? non existimo. Quidni enim fecisset quod nos fecimus, qui rationum suarum necessitate coactus, Philistæis patriæ hostibus operam prolixè suam pollicitus, id fecit contra Saulem quod nos in nostrum tyrannum credo nunquam fecissemus. Pudet me, & jam diu pertulsum est mendaciorum tuorum ; *Inimicis potius parcendum quam aricis, Anglorum esse dogma fingis ; seque regi suo parcere non debuisse, quia amicus erat.* Quis unquam hoc prius audivit, quam à te confictum esset, hominum mendacissime ? Verum ignoramus : deerat nempe huic capiti præstantissimum illud & tritissimum orationis tuæ pigmentum, jam quintò, & ante finem libri decies ex loculis tuis & myrotheciis expromendum, *molossis suis ferociores.* Non tam Angli suis molossis ferociores sunt, quam tu cane quovis rabido jejunior, qui ad illam, quam toties evomuisti, cramben duris ilibus identidem redire sustines. *David* denique *Amalechitam* interfici jussit, Saulis, ut simulavit ipse, intersectorem ; nulla hic neque facti neque personarum similitudo. Quod nisi David ad Philistæos defecisse, & pars eorum exercitus fuisse visus, eò diligenter omnem à se suspitionem maturandæ regi necis amovere studuit, non erat, meo quidem judicio, cur virum illum tam male exciperet, qui moribundum jam regem & ægrè morientem opportuno vulnere se consecuisse nunciavit. Quod idem factum in Domitiano, qui Epaphroditum similiter capite damnavit, eò quod Neronem in adipiscenda morte adjuvisset, ab omnibus reprehenditur. Novâ deinde audaciâ quem tyrannum modò dixeras, & malo spiritu agitatum, hunc non jam satis habes unctum Domini, sed *Christum Domini* vocare ; adeò tibi vile Christi nomen videtur, ut illo tam sancto nomine vel Dæmoniacum tyrannum impertire non metuas. Venio nunc ad exemplum illud, in quo qui jus populi jure regis antiquius esse non videt, cæcus sit oportet. Mortuo Solomone populus de constituendo ejus filio Sechemi comitia habebat ; profectus est eò Roboamus candidatus, ne regnum tanquam hereditatem adire, ne populum liberum tanquam paternos boves possidere videretur ; proponit populus conditiones regni futuri ; ad deliberandum rex triduum sibi dari postulat ; consultit seniores ; nihil illi de jure regio, sed ut populum obsequio & pollicitationibus conciliat sibi suadet, penè quem erat, vel illum create regem vel præterire. Consultit deinde æquales suos, secum à pueris educatos ; illi Salmatiano quodam œstro perciti, nil præter jus regium intonare, scuticas & scorpiones ut minitetur hortari. Horum ex consilio

filio respondit Roboamus populo. Videns itaque totus Israël regem non auscul-  
tasse sibi, suam protinus libertatem & populare jus liberis palam vocibus testatur.  
*Quæ nobis portio cum Davide? ad tentoria tua Israël; jam ipse videris de domo tuâ  
David.* Misum deinde à rege Adoramum lapidibus obruerunt; exemplum  
fortasse aliquod etiam in regem edituri, nisi maxima celeritate se in fugam con-  
culisset. Parat ingentem exercitum, quo in suam ditionem Israëlitas redigeret:  
prohibet Deus; ne ascendite, inquit, ne pugnate contra fratres vestros, filios Israë-  
lis, nam à me facta est res ista. Adverte jam animum; populus antea regem vo-  
lebat, dislicuit id Deo; eorum tamen juri noluit intercedere: nunc Populus  
Roboamum non vult regem, id Deus non solum penes populum esse sicut, sed  
regem eo nomine bella moventem verat ac reprimit: nec ideo rebelles, sed ni-  
lilo minus fratres eos qui desciverant appellandos esse docet. Collige te nunc  
juni; sunt omnes, inquis, reges à Deo, ergo populus vel tyrannis resistere non  
debet. Vicissim ego, sunt, inquam, populi conventus, comitia, studia, suffragia,  
plebiscita pariter a Deo, teste hic ipso; ergò & rex itidem resistere non debet po-  
pulo, authore etiam eodem Deo. Quam enim certum est, esse hodie reges à Deo,  
quimque hoc valet ad imperandam populo obedientiam, tam est certum esse a  
Deo etiam hodie libera populi concilia, tamq; hoc valet vel ad cogendos in ordi-  
nem reges, vel ad rejiciendos; neque magis propterea bellum populo inferre debe-  
bunt, quam debuit Roboamus. Quæris cur ergò non defecerint Israëlitæ à Solo-  
mone? Quis præter te tam stulta interrogaret, cum defecisse constat impunè à  
tyranno? In vita quædam lapsus est Solomon; non idcirco statim tyrannus: sua  
vita magnis virtutibus, magnis de repub. meritis compensabat: fac tyranum  
fuisse; sape est ut populus nolit tyrannum tollere, sape est ut non possit: satis  
est sustulisse cum potuerit. At factum Jeroboami semper improbatum fuit & Aposto-  
lia ejus detestata, successores ejus pro rebellibus semper habiti. Apostasiam ejus non  
a Roboamo, sed à vero cultu Dei reprehensam sèpius lego; & successores qui-  
dem ejus sape reprobos, rebelles nusquam dictos memini. Si quid fiat, inquis,  
juri & legibus contrarium, ex eo ius fieri non potest. Quid quæto tum fiet juri  
regio? Sic tuus ipse perpetuò refutator es. Quotidie, inquis, adulteria, homici-  
dia, furtu impunè committuntur. An nescis nunc te tibi respondere querenti cur  
toties tyrannis impunè fuerit? Rebelles fuerunt isti reges, prophetæ tamen populum  
ab eorum subjectione non abducebant. Cur ergò, scelleste, & pseudopropheta, po-  
pulum Anglicanum à suis magistratibus, tuos sint licet judicio rebelles, abducere  
conaris? Allegat, inquis, Anglicani latrocinii factio, se ad id scelus, quod tam nefar-  
ie suscepit, nescio quâ voce cœlitùs missâ impulsos fuisse. Primum delirasse te cùm  
haec scriberes planè video, neque mentis neque latinitatis compotem satis fuisse:  
deinde Anglos hoc unquam allegâsse, de innumeris mendaciis & figmentis tuis  
est unum. Sed pergo exemplis tecum agere; Libna Urbs validissima ab Joram  
rege defecit, quia dereliquerat Deum; defecit ergò rex, non urbs illa, ne-  
que detectione ista notatur; sed si adjectam rationem tpedes, approbari potius  
viderur. In exemplum trahi non debent hujusmodi defectiones. Cur ergò tantâ  
vaniloquentiâ pollicitus es, exemplis te nobiscum toto hoc capite decertatu-  
rum, cum exempla ipse nulla præter meras negationes, quarum nulla vis  
est ad probandum, afferre possis: nos quæ certa & solida attulimus, negas  
in exemplum trahi debere? Quis te hoc modo disputantem non explodat? Pro-  
vocasti nos exemplis; exempla protulimus; quid tu ad hæc? tergiversaris,  
& diverticula quæris; progredior itaque. Jehu regem à Prophetæ jussus occi-  
dit, etiam Achaziam suum regem legitimum occidendum curavit. Si noluisset  
Deus tyrannum interimi à cive, si impium hoc, si mali exempli fuisset, cur  
jussit fieri? si jussit, certè licitum, laudabile, præclarum fuit. Non tamen ty-  
rannum perimi, quia Deus jussit, idcirco bonum erat & licitum, sed quia bo-  
num & licitum erat, idcirco Deus jussit. Jam septem annos regnantem Atha-  
liam Jehoiada sacerdos regno pellere & trucidare non est veritus. At regnum,  
inquis, non sibi debitum sumpserat. Annon Tiberius multò postea imperium ad se-  
nibil pertinens? illi tamen, & id genus tyrannis aliis, ex doctrina Christi obedi-  
endum esse suprà affimabas: ridiculum planè esset, si potestatem regiam non  
ritè adeptum interficere liceret, pessimè gerentem non liceret. At per leges  
regnare non potuit utpote foemina, constitues autem super te regem, non reginam.  
Hoc si sic abibit, constitues, inquam, super te regem, non tyrannum. Pares  
ergo jam sumus. Amaziam regem ignavum & idololatram non conjurati qui-  
dam, sed principes & populus, quod verisimilius est, morte affecerunt: nam  
fugientem Hierosolymis, & adjutum à nemine, Lachitum usque persecuti sunt.

Hoc consilium iniisse dicuntur *ex quo is Deum* deseruerat, neque ullam ab Azaria filio de morte patris quæstionem habitam fuisse legimus. Multum rursus nugaris ex Rabbinis, ut regem Judaicum supra synedrium constituas; ipsæ regis verba Zedechia non attendis. *Jer. 38. Non is est rex qui possit contra vos quicquam.* Sic principes alloquitur; fassus se planè suo senatu inferiorem; *Fortasse,* inquis, *nihil negare illis ausus metu seditionis.* At tuum illud fortasse quanti quæsto est, cuius asseveratio firmissima non est pili? quid enim te levius, quid inconstantius, quid instabilius? quoties te varium & versicolorem, quoties tibimet discordem, dissidentem à temetipso, & discrepantem offendimus? Rursus comparationes instituis Caroli cum bonis Judææ regibus. Davidem imprimis quasi contemnendum aliquem nominas; *Sume tibi Davidem,* inquis, *adulterii simul & homicidii reum;* *nihil tale in Carolo.* Solomon ejus filius qui sapiens audit vulgo. Quis non indignetur maximorum & sanctissimorum virorum nomina ab impurissimo nebulone & vappâ hunc in modum jactari? Tûne Carolum cum Davide, regem & prophetam religiosissimum cum superstitione & Christianæ doctrinæ vix initiato, sapientissimum cum stolido, sortissimum cum imbelli, justissimum cum iniquissimo conferre sustinuisti? Castimoniam tu ejus & continentiam laudes, quem cum Duce Bucchingamio flagitiis omnibus coopertum novimus? Secretiora ejus & recessus perscrutari quid attinet, qui in Theatro medias mulieres petulantur amplecti, & suaviari, qui virginum & matronarum papillas, ne dicam cætera, pertractare in propatulo consueverat? Te porrò moneo Pleudoplurarche, ut istiusmodi parallelis ineptissimis dehinc supersedeas, ne ego, quæ ræcerem alioqui libens de Carolo, necesse habeam enuntiare. Contra tyrannos quid tentatum à Populo aut peractum fuerit, & quo jure, per ea tenoribus quibus ipse Deus Hebræorum rempub. suo nutu ac verbo quasi præsens regebat, hactenus liquet. Quæ sequuntur ætates non nos sua autoritate ducunt, sed ad majorum suorum normam & rationem omnia dirigentes, imitatione sua nullum tantummodo confirmant. Cum itaque Deus post captivitatem Babylonicam nullum iis de repub. mandatum dedisset novum, quamvis regia soboles extincta non esset, ad antiquam & Mosaicam reipub. formam reverteruntur. Antiocho Syriæ regi, cui erant vestigales, ejusque præsidibus, quod is verba imperaveret, per Maccabæos pontifices restiterunt; seque armis in libertatem vindicavit; dignissimo deinde cuique principatum dederunt: donec Hyrcanus Simeon Judæ Maccabæi fratri filius, expilato Davidis sepulcro, militem externum alere, & regiam quandam potestatem adjicere sacerdotio cœpit; unde filius ejus Aristobulus diadema sibi primus imposuit. Nihil in eum populus quamvis tyranum movit aut molitus est; neque mirum, annum tantummodo regnante. Ipse etiam morbo gravissimo corruptus, & suorum facinorum poenitentia ductus mortem sibi optare non destitit, donec inter ea vota expiravit. Ejus frater Alexander proximus regnabat. *Contra hunc aīs neminem insurrexisse,* tyrannus cum esset. O te securè mendacem! si periisset Josephus, restaret tantum *Josippus* tuus, ex quo pharisaicorum quædam nullius usus apophthegmata depromis. Res itaque sic se habet; Alexander, cùm & dopi & militiae rempub. malè administraret, quamvis magna Pisidianum & Cilicum manu conductitia se tutaretur, populum tamen cohíbere non potuit, quin ipsum etiam sacrificantem, utpote indignum eo irancire, thyrsis palmeis & citreis penè obrueret; exinde per sexennium gentis scèrè totius gravi bello petitus est; in quo Judæorum multa millia cùm occidisset, & pacis tandem cupidus interrogaret eos quid vellent à se fieri, responderunt uno ore omnes, ut moreretur; vix etiam mortuo se veniam datus. Hanc luctoriā tibi incommodissimam, quoquo modo avertere ut posse, fraudi tuae turpissimæ pharisaicas quasdam sententiolas obtendisti; cùm exemplum hoc aut omnino prætermittiōne, aut rem, sicuti gesta erat, fideliter narrasse debuisses, nisi veterator & lucifugus mendaciis longè plus quam caute confideres. Quinetiam Pharisæi illi octingenti, quos in Crucem tolli jussit, ex eorum numero erant, qui contra ipsum arma ceperant: quique omnes cùm cæteris unā voce testati sunt, se regem morte affecturos fuisse, si bello victus in suam potestatem venisset. Post maritum Alexandrum Alexandra regnum capessit; ut olim Athalia, non legitimè, nam regnare foeminam leges non sinebant, quod ipse modò fassus es, sed partim vi, extraneorum enim exercitum ducebatur; partim gratiâ, nam Pharisæos, qui apud vulgus plurimum poterant, sibi conciliaverat hac lege, ut nomen imperii penès illam, imperium ipsum penès illos foret. Haud aliter atque apud nos nuper Scotti Presbyteri nomen Regis Carolo concesserunt, eā mercede ut regnum sibi reservare possent. Post Alex-

Alexandræ obitum Hyrcanus & Aristobulus ejus filii de regno contendunt ; hic viribus & industriâ potior frâtem natu majorem regno pellit. Pompeio deinde in Syriam à Mithridatico bello divertente, Judæi nactos se jam æquissimum libertatis suæ arbitrum Pompeium rati, legationem pro se mittunt ; fratribus utrisque regibus renunciant ; ad servitutem se ab iis adductos queruntur ; Pompeius Aristobulum regno privavit ; Hyrcano pontificatum reliquit & principatum more patrio legitimum ; exinde Pontifex & Ethnarcha dictus est. Iterum sub Archelao Herodis filio Judæi, missis ad Augustum Cæsarem quinquaginta legatis, & Herodem mortuum & Archelaum graviter accusarunt ; regnum huic pro sua virili parte abrogârunt, Cæsarem orant ut Populum Judaicum sine regibus esse permetteret. Quorum Cæsar precibus aliquantum permotus, non regem eum, sed Ethnarcam duntaxat constituit. Ejus anno decimo rursus eum Populus per legatos ad Cæsarem tyrannidis accusat ; quibus Cæsar benignè auditus Romam accersitum, & judicio damnatum Viennam in exilium misit. Jam milii velim respondeas ; qui suos reges accusatos, qui damnatos, qui punitos volebant, annon ipsi, si potestas facta, si optio data sibi esset, annon ipsi, inquam, judicio damnâissent, ipsi supplicio affecissent ? Jam in Romanos præfides avarè & crudeliter provinciam administrantes, populum & primores etiam sœpius arma sumpsisse non negas ; causas more tuo stultissimas affingis, nondum jugo erant assueri ; sub Alexandro scilicet, Herode, ejusque filii. At C. Cæsari, & Petronio bellum inferre noluerunt. Prudenter illi quidem, non poterant. Vis ipsorum audire verba, πλευρίν μὲν ἡ βελόμενοι δια τὸ πῦρ ἀν δύναται. Quod ipsi fatentur imbecillitatis esse tuæ, hoc tu hypocrita ad religionem refers : Magno dein molamine prorsus nihil agis, dum ex patribus probas, quod & antea tamen pari oscitatione feceras, pro regibus orandum esse. Nam pro bonis quis negat ? pro malis quod spes est ; pro latronibus etiam & pro hostiis ; non ut agros depopulentur, aut nos occidente occidant, sed ut resipiscant. Oramus pro utrisque ; illos tamen legibus, hos armis vindicare quis vetat ? *Liturgias Ægyptiacas* nil moror ; sacerdos autem ille qui orabat, uti aïs, ut *Commodus patri succederet*, meo quidem judicio non orabat, sed Romano imperio pessima imprecatus est. Fidem, aïs, fregisse nos, de authoritate & maiestate regis conservanda solenni conventione non semel interposita. Expecto te susiùs ista de re infra, illic te rursus conveniam. Redis ad patrum commentationes, de quibus hoc summâtum accipe ; Quicquid illi dixerint, neque ex libris sacris aut ratione aliqua satis idonea confirmaverint perinde mihi erit, ac si quis alius è vulgo dixisset. Primum aduersus Tertullianum, scriptorem haud orthodoxum, multis erroribus notatum, ut si tecum sentiret, pro nihilo tamen hoc esset. Quid autem ille ? damnat tumultus, damnat rebelliones ; damnamus & nos, neque hinc statim de jure omni populorum, de privilegiis, & Senatusconsultis, de potestate magistratum omnium cæterorum præterquam unius regis, præjudicatum esse volumus : loquuntur isti de seditionibus temere conflatis, & multitudinis insanâ, non de magistratibus, non de Senatu, aut Parlamento ad legitima arma populum contra tyrannos convocante. Unde Ambrosius quem citas, *Non repugnare, flere, gemere, hec sunt munimenta Sacerdotis, & quis est qui potest vel untu vel inter paucos dicere Imperatori, Lex tua mihi non probatur? non permittitur hoc dicere Sacerdotibus, permittetur Laicis?* Vides jam planè de quibus hic loquatur, de Sacerdotibus, de Laicis privatis, non de Magistratibus : vides quâm infirmita tamen & præpostera ratione usus, dissensioni inter Laicos & Sacerdotes, de legibus etiam civilibus, postmodum futuræ faciem prætulit. Sed quoniam primorum Christianorum exemplis urgeri nos maximè, & redargui putas, quod illi omnibus modis vexati bellum in Cesares non moverent, ostendam primò non potuisse, deinde quoties poterant movisse, postremò etiamsi, cum possent, non movissent, non esse tamen catteroqui dignos quo'um ex vitâ & moribus, tantis in rebus, exempla sumamus. Primum ignorare hoc nemo potest, ex quo Romana res publica nulla fuit, omnes imperii vires rerumque summam ad unum Cæsarem rediisse ; omnes legiones sub uno Cæsare stipendia meruisse : adeò ut Senatus ad unum omnis, totus ordo Equester, plebs universa, si novis rebus studuisset, poterant se quidem internecioni objecisse, ad libertatem tamen recuperandam nihil prorsus effecissent ; nam imperatorem si forte sustulissent, imperium tamen mansisset. Jam vero Christiani, innumeri licet, at sparsi, inermes, plebeii & plerunque infimi, quid potuerunt ? quantam eorum multitudinem una legio in officio

facile continuisset? Quod magni s<sup>e</sup>pe duces cum interitu suo & veteranorum exercituum deletione incasum tentarunt, isti è plebecula fere homuli posse se ad exitum perducere sperarent? cum annis à Christo nato prope trecentis, ante Constantium plus minus viginti, imperante Diocletiano, sola Thebaea legio Christiana esset; eoque ipso nomine à reliquo exercitu in Gallia ad Octodurum oppidum cæsa est. *Cum Cassio, cum Albino, cum Nigro* non conjurârunt: idne illis gratiæ vult apponi Tertullianus, quod sanguinem pro infidelibus non profuderunt? Constat igitur Christianos ab imperatorum imperio liberare se non potuisse: cum aliis conjurare non Christianis nequaquam sibi expedivisse, quamdiu imperatores Ethnici regnabant. Bellum autem tyrannis postea intulisse Christianos aut armis se defendisse, aut tyrannorum facta nefaria s<sup>e</sup>pe ultos esse nunc ostendam. Primus omnium Constantinus jam Christianus confortem imperii Licinium Orientalibus Christianis gravem bello sustulit; quo facto illud simul declaravit, posse a magistratu in magistratum animadverti; cum is Licinium pari jure secum regnantem subditorum ejus causâ supplicio afficerit, nec Deo soli poenam reliquerit: poterat enim Licinius Constantinum, si Constantinus populum sibi attributum iis modis oppressisset, eodem supplicio affecisse. Postquam igitur à Deo ad homines redacta res est, quod Licinio Constantinus erat, cur non idem Carolo Senatus? Constantium enim milites, Senatum jura consti-tuerunt regibus parem, immo superiorem. Constantio imperatori Ariano Byzantini, quoad poterant, armis restiterunt; misum cum militibus Hermogenem, ad pellendum ecclesiâ Paulum orthodoxum episcopum, facto impetu repulerunt, & incensis ædibus, quo se receperat, semiustum & laniatum interfecerunt. Constans fratri Constantio bellum minatur, ni Paulo & Athanasio episcopis sedes suas restituat; vidēsne ut istos sanctissimos patres, de episcopatu cùm agitur, bellum fraternal in regem suum concitare non puduit? Haud multo p<sup>o</sup>st Christiani milites, qui tunc temporis quos volebant imperatores creabant, Constantem Constantini filium dissolutè & superbè regnantem interfecerunt, translato ad Magnentium imperio. Quid? qui Julianum nondum apostamat, sed pium & strenuum, invito Constantio imperatore suo imperatorem salutarunt, annon ex illis Christianis fuerunt, quos tu exemplo nobis proponis? Quod factum Constantius cum suis literis ad populum recitatis acriter prohiberet, clamarunt omnes, fecisse se ut Provincialis, & miles, & reipublicæ authoritas decreverat. Idem bellum Constantio indixerunt, & quantum in se erat, imperio ac vita spoliarunt. Quid Antiocheni, homines apprimè Christiani? orarunt credo pro Juliano jam Apostata, quem palam adire, & convitiis proscindere solebant, cuius barbam illudentes promissam, funes ex ea conficere jubebant. Cujus morte audita, supplications, epulas, & lætitiam publicè indixerunt, ejus pro vita & incolumentate preces fudisse censes? Quid? quod eundem etiam à Christiano commilitone interfectum esse ferunt. Sozomenus certè scriptor ecclesiasticus non negat; immo, si quis ita fecisset, laudat. *Ἐπειδὴν τοιαῦτη τέτοια σογίευομεθάσιαν, &c.* Non est mirum, inquit, aliquem ex militibus hoc secum cogitasse; non Græcos solum, sed omnes homines ad hanc usque etatem tyrannidas laudare solitos esse, qui pro omnium libertate mortem oppetere non dubitant; nec temere quis huic militem reprehendat, dei & religionis causa tam strenuum? Hæc Sozomenus ejusdem ætatis scriptor, vir bonus & sanctus; ex quo quid reliqui eā tempestate viri boni hac de re senserint, facile perspicimus. Ipse Ambrosius ab imperatore Valentiniano minore jussus urbe Mediolano excedere, parere noluit, sed circumseptus armato populo se atque basilicam suam contra regios præfectos armis defendit; & summæ potestati resistere, contra quam docuit ipse, est ausus. Constantinopolis haud semel propter exilium Chrysostomi contra Arcadium imperatorem feditio maxima commota est. In tyrannos igitur quid antiqui Christiani fecerint, non milites solum, sed populus, sed ipsi patres, vel resistendo, vel gerendo bellum, vel concitando, usque ad Augustini tempora, quoniam tibi ulterius progredi non libet, breviter exposui. Valentinianum enim Placidiæ filium interfectum à Maximo patricio, ob stuprum uxori ejus illatum, raseo: Avitum etiam imperatorem dimissis militibus suis luxuriā diffluentem à Senatu Romano contestim exutum imperio non memoro; quia annos aliquot post Augustini obitum ista acciderunt. Verū dono tibi hoc omne, tu nihil horum exposuisse me finge, paruerint per omnia suis regibus veteres Christiani, quicquam contra tyrannos ne fecerint, aut fecisse voluerint, non esse tamen eos quorum autoritate nisi debeamus, aut à quibus exempla

empla petere salutariter possimus, quod superest, nunc docebo. Jam diu ante Constantium populus christianus multum de primæva illa sanctimonia & sinceritate cùm doctrinæ tum morum deperdiderat. Postquam immensis opibus ditata ab eo ecclesia, honores, dominatum, & potentiam civilem adamare cœpit, statim omnia in præceps ruere. Primo luxus & segnities, errorum deinde omnium & vitorum caterva, veluti solutis aliunde carceribus, in ecclesiam imminigravit; hinc invidentia, odium, discordia passim redundabat; tandem haud mitius inter se charissimo religionis vinculo fratres quām hostes acerrimi dissidenter; nullus pudor, nulla officii ratio restabat; milites, & copiarum præfecti, quoties ipsis visum erat, nunc imperatores novos creabant, nunc bonos pariter ac malos necabant. Quid Vetranniones & Maximos, quid Eugenios à militibus ad imperium subito enectos, quid Gratianum optimum principem, quid Valentinianum minorem non pessimum, occisos ab iis commemorem? Militum hæc quidem facinora & cal trensum, sed tamen Christianorum illius ætatis, quam tu maximè evangelicam & imitandam esse aīs. Jam ergò de ecclesiasticis pauca accipe: pastores & Episcopi, & nonnunquam illi, quos admiramus, patres, sui quisque gregis ductores, de episcopatu non secus quām de tyrannide certabant: nunc per urbem, nunc in ipsa ecclesia, ad ipsum altare sacerdotes, & Laici promiscue digladiabantur; caedes faciebant, strages utrinque magnas nonnunquam ediderunt. Damasi & Ursicini, qui cum Ambrosio floruerunt, potes meminisse. Longum esset Byzantinos, Antiochenos, & Alexandrinos illos tumultus, sub Cyrillo præsertim, quem tu laudas obedientiae prædicatorem, duce ac patre; occiso paene à monachis, in ullo urbico prælio, Oreste Theodosii præfecto. Jam tua quis vel impudentia vel supinitate non obstupescat? Usque ad Augustinum, inquis, & infra ejus ætatem, nulla cujusquam privati aut præfecti, aut plurium conjuratorum extat in historiis mentio, qui regem suum necaverint, aut contra eum armis pugnarint: nominavi ego ex historiis notissimis & privatos, & proceres, qui non malos tantum, sed, vel optimos reges suā manu trucidaverint; totos christianorum exercitus, multos cum iis episcopos, qui contra suos imperatores pugnaverint. Adseris patres, obedientiam erga regem, multis verbis aut suadentes aut ostentantes; adfero ego partim eosdem, partim alios patres haud paucioribus factis obedientiam, etiam licitis in rebus, detrectantes, armis se contra imperatorem defendantes, alios præsidibus ejus vim & vulnera inferentes, alios, episcopatus competitores, civilibus præliis inter se dimicantes; scilicet de episcopatu christianos cum christianis, cives cum civibus confligere fas erat, de libertate, de liberis & conjugibus, de vita, cum tyranno, nefas. Quem non poeniteat hujusmodi patrum? Augustinum inducis de potestate domini in servos, & regis in subditos idem pronunciantem; respondeo, ista si dicat Augustinus, ea dicere quæ neque Christus neque ejus Apostoli unquam dixerunt; cum eorum tamen sola autoritate rem alioqui apertissimè falsam commendare videatur. Quæ supersunt hujus capituli tres vel quatuor paginæ, aut mera esse mendacia, aut oscitationes identidem repetitas, ex iis quæ à nobis responsa jam sunt, per se quisque deprehenderet. Nam ad Papam quod attinet, in quem multa gratias peroras, facile te patior ad ravim usque declamitare. Quod tamen ad captandos rerum imperitos tam prolixè adstruis, regibus sive justis sive tyrannis subjectum fuisse omnem christianum, donec potestas papæ regali major agnoscit cœpta est, & subjectos sacramento fidelitatis liberavit, id esse falsissimum plurimis exemplis & usque ad Augustinum, & infra ejus ætatem prolatis demonstravimus. Sed neque illud quod postremò dicis, Zachariam pontificem Gallos juramento fidelitatis absoluisse, multò verius esse videtur. Negat Franciscus Hotomanus, & Gallus, & jurisconsultus, & vir doctissimus in Francogallia sua, cap. 13. abdicatum auctoritate Papæ Chilpericum, aut regnum Pipino delatum; sed in magno gentis concilio pro sua pristina auctoritate transactum fuisse id omne negotium, ex annalibus Francorum vetustissimis probat. Solvi deinde illo sacramento Gallos omnino opus fuisse, negant ipsa Gallorum monumenta, negat ipse papa Zacharias. Monumentis enim Francorum traditur, teste non solum Hotomano, sed Girardo historiarum illius gentis notissimo scriptore, veteres Francos ut eligendi, sic abdicandi, si videretur, suos reges jus sibi omne antiquitus reservasse; neque aliud sacramentum regibus, quos creabant, dicere consuevit, quām se illis hoc pacto fidem & officium præstituros, si vicissim illi quod eodem tempore jurati etiam spondent, præstiterint. Si ergò Reges rem publicam sibi commissam male gerendo, fidem iurandi fregerint priores, nil opus est Papæ.

ipſi ſua perfidia populum ſacramento ſolverunt. Papa denique Zacharias, quam tu authoritatem ſibi aīs arrogâſſe, eam in epistolâ illâ ad Francos ab te citatâ ipſe ſibi derogavit, populo attribuit. *Nam si princeps populo, cuius beneficio regnum poffit, obnoxius eſt, ſi plebs regem conſtituit, & deſtituere potest, quæ ipſius verba ſunt Papæ, veriſimile non eſt voluiſſe Francos de antiquo jore ſuo, ullo poſtmodum jurejurando, præjudicium facere; aut unquam ita ſeſe obſtrinxifſe, quin ſemper ſibi liceret quod majoribus ſuis licuit, reges bonos quidem colere, malos amo- vere; nec eam præſtare fidem tyrannis, quam bonis regibus ſeſe dare arbitrati ſunt.* Tali obſtrictum juramento populum, vel tyrannus ex rege factus, vel ignaviâ corruptus, ſuo ipſe perjurio ſolvit, ſolvit ipta justitia, ſolvit naturæ lex ipſa: Unde pontifex quod ſolveret, etiam ipſius pontificis judicio nihil pro- fuſus erat.

---

## C A P. V.

**Q**uanquām in ea ſum opinione, Salmasi, ſempérque fui, legem dei cum lege naturæ optimè conſentire, adeóque, ſi ſatis oſtendi quid divina lege ſit de regibus ſtatutum, quid à populo dei factum & Judaico & Christiano, oſtendiffe me eodem tempore eadēmque operâ quid legi naturali maximè conſentaneum ſit; tamen quia *confutari nos lege naturæ validissimè nunc poſſe* arbitrariſ, quod ſuper- vacuū eſſe modō existimabam, id nunc ultrò neceſſarium fatebor; ut contra te hoc capite plānum faciam, nihil congruentius naturæ etiam legibus eſſe, quām tyrannos plecti. Id niſi evincam, non recuſo quin dei quoque legibus puniri non poſſe, è vestigio tibi concedam. Non eſt conſilium de natura jam, déque ori- gine civilis vitæ longam orationem contexere; iſtud enim argumentum viſi diſertissimi cùm Græci tum Latini copioſe pertractarunt; ipſe & brevitati, quantum licet, ſtudeo, & huic rei do operam ut non tam ego, qui labori huic par- tiſſem libens, ſed tute redarguas, tēque ſubvertas. Ab eo igitur quod ipſe ponis, incipiam, & diſputationis hujus futuræ fundaſta jaciām. *Lex, inquis, naturæ eſt ratio omnium hominum mentibus inſita, bonum respiciens universorum populorum, qua- tenus homines inter ſe ſocietate gaudent.* Bonum illud commune non poſteſ procurare, niſi etiam, ut ſunt quos regi neceſſe eſt, diſponat quoque qui regere debeant. Ne ſciliſ ut quisque fortior eſt, debiliorem opprimat; atque ita quos mutua ſalus ac defenſio unum in locum congregaverat, viſ atque injurya diſtrahat, & ad vitam agreſtem redire cogat. Eſtne hoc quod volebas, etiā verbosiū? Et iſorum itaque numero qui in unum convenere, deligi aīs oportuiffi quodam ſapientia aut fortitudine ceteris præ- ſtantes, qui vel vi vel perſuadendo male morigeros in officio coninerent, ſape unum id præ- ſtare poſſuſe, cuius excellens ſit virtus & prudentia; interdum plures, qui mutuis conſiliis id faciant. Ceterū cum unius omnia provideat & administrare non poſſit, neceſſe eſt ut conſilia cum pluribus participeat, & in ſocietatem regiminis alios admittat. Ita ſive aī ſive unum revocetur imperium, ſive ad universum redeat populum, quia nec omnes ſimul rem- pub. gubernare poſſunt, nec unius omnia, ideo revera penes plures ſemper regimen conſiſtit. Et inſtra. Iſa antem regendi ratio ſive per plures, ſive per pauciores, ſive per unum di- ſpenſetur, aequè naturalis eſt, cum ex natura ejusdem principiis deſcendat, que non pati- tur ita unius ſingularitatē gubernare, ut non alios ſocios imperandi habeat. Hæc cum ex Aristotelis tertio Politicorum decerptiſſe poſueram, malui abs te decerpta tranſcribere, quæ tu Aristoteli, ut ignem Jovi Prometheus, ad eversionem monar- charum, & perniſiem ipſius tuam ſurripiuſti. Jam enim prolatam à temetipſo naturæ legem excute quantum voles; nullum juri regio, prout tu jus illud expli- cas, in natura locum, nullum ejus vestigium proſuſ invenies. *Lex, inquis, naturæ cum diſponeret qui regere alios deberent, universorum populorum bonum respexit.* Non igitur unius, non monarchæ. Eſt itaque rex propter populum: Populus ergo rege potior & superior; ſuperior cum ſit & potior populus, nullum jus re- gis exiſtere poſteſt, quo populum iſi affligat, aut in ſervitute habeat, inferior ſu- periorem. Jus male faciendi cum ſit regi nullum, manet jus populi naturæ ſu- prenum; ut quo jure homines conſilia & vires mutuae deſenſionis gratia, ante reges creatos, primò conſociavere, quo jure ad communem omnium ſalutem, pacem, libertatem conſervandam unum vel plures ceteris præſecerunt, eodem jure quos propter virtutem & prudentiam ceteris præpoſuerant, poſſent eisdem

aut quosunque alios rempub. malè gerentes, propter ignaviam, stultitiam, improbitatem, perfidiam vel coercere vel abdicare : Cum natura non unius vel paucorum imperium, sed universorum salutem respexerit semper & respiciat. Jam verò populus quosnam delegit ? Sapientiā inquis aut fortitudine cæteris præstantes, nempe qui natura maximè regno idonei visi sunt, cuius excellens virtus, & prudentia præstare id munera potuit. Jus igitur successionis naturā nullum, nullus naturā rex, nisi qui sapientiā & fortitudine cæteris omnibus præcellit. Cæteri vel vi, vel factione contra naturam reges sunt, cum servi potius esse deberent. Dat enim natura sapientissimo cuique in minùs sapientes imperium, non viro malo in bonos, non stolido in sapientes : His igitur imperium qui abrogant, omnino convenienter naturæ faciunt. Cui fini sapientissimum quemque natura constitutā regem ex temetipso audi ; ut vel naturæ vel legibus male morigeros in officio centineat. Continere autem in officio potestne is alios, officium qui negligit, aut nescit, aut pervertit ipse suum ? Cedò jam quodvis naturæ præceptum quo jubeamur instituta naturæ sapientissima in rebus publicis & civilibus non observare, non curare, pro nihilo habere, cum ipsa in rebus naturalibus & inanimatis ne suo fine frustretur, sèpissimè res magnas atque miras efficere soleat. Ostende ullam vel naturæ vel naturalis justitiae regulam, quā oporteat reos minores puniri, reges & malorum omnium principes impunitos esse, immò inter maxima flagitia coli, adorati, & deo proximos haberi. Concedis ipsam regendi rationem, sive per plures, sive per pauciores, sive per unum dispensetur, aquæ naturalem esse. Non est ergò rex vel optimatibus vel populi magistratibus naturā sanctior, quos cùm puniri posse ac debere, si peccant, suprà sis largitus, idem de regibus, eidem fini ac bono constitutis fateare necesse est. Non enim patitur natura, inquis, ita unius singularitatem gubernare, ut non alios socios imperandi habeat. Minimè ergò patitur monarcham, minimè unum ita imperare, ut cæteros omnes sui unius imperii servos habeat. Socios autem imperandi qui tribuis regi, per eis quos semper regimen consistat, das eidem collegas, & æquales ; addis qui punire, addis qui abdicare possint. Ita, uti semper facis, dum potestatem regiam, non jam exauges, sed tantummodo naturā constituis, aboles : Adeò ut nihil putem inauspicatus accidere regibus potuisse, quā te defensorem. O infelicem ac miserum, quæ te mentis caligo in hanc impulit fraudem, ut latentem antehac diu, & quasi personatam improbitatem atque inscitiam tuam nunc tanto conatu insciens nudares ipse, & omnibus patefaceres : Tuoquemē opprobrio operam ipse tuam locares, tuo ipse ludibrio tam gnaviter inservires ? Quæ te ira numinis quāsve poenas luentem, in lucem & ora hominum evocavit, ut tanto apparatu cautam teterram impudentissimè simul & stolidissimè defenderes, atque ita defendendo invitum, perque inscitiam proderes ? Quis te pejus perditum vellet, quis miserorum, cui jam sola imprudentia, sola vecordia saluti esse potest ne sis miserrimus, si tyrannos quorum causam suscepisti, imperita ac stulta defensione tanto magis invisos ac detestabiles omnibus, contra quam sperabas, reddideris, quanto iis majorem malesaciendi & impunè dominandi licentiam de industria attribueris ; eoque plures eorundem hostes inconsultò excitaveris ? Sed redeo ad tua tecum dissidia. Cum tantum in te scelus admiseris, ut tyrannidem naturā fundare studias, præ cæteris gubernandi rationibus monarchiam primò laudandam tibi esse vidiisti ; id, uti soles, inceptare sine repugnancia nequis. Cum enim modò dixeras, ipsam regendi rationem sive per plures sive per pauciores sive per unum aquæ naturalem esse, statim eam quæ per unum exercetur ex his tribus magis naturalem esse aīs, immò qui etiam recens dixeras, non patitur natura unius singularitatem gubernantis. Jam tyrannorum necem objice cui voles, qui & monarchas omnes, & monarchiam ipsam tua fatuitate jugulâsti. Verùm quæ sit melior administrandi rem pub. ratio, per unum an per plures, non est nunc dislèrendi locus. Et monarchiam quidem multi celebres viri laudarunt, si tamen is qui solus regnat, vir omnium optimus, & regno dignissimus sit ; id nisi contingat, nihil monarchia procliviùs in eam tyrannidem, quæ pessima est, labitur. Jam quòd ad unius exemplar dei expressam esse dicis, quis potentiam divinæ similem in terris obtinere dignus est, nisi qui cæterorum omnium longè præstantissimus, etiam bonitate ac sapientia est deo simillimus ; is autem solus, meā quidem sententiā, expectatus ille dei filius est. Quòd regnum in familiam rursus contrudis, ut patrisfilias regem assimiles, pater certè suæ familiæ regnum meretur, quam omnem vel generavit, vel alit : In rege nihil est hujusmodi, sed placè contrà suat omnia. Animalia deinde nobis gregalia, imprimis aves, & in iis apes, siquidem te Physiologo

siologo aves istae sunt, imitandas proponis. *Apes regem habent.* Tridentinæ scilicet, annon meministi? Cæteram te teste respub. est. Verum tu desine de apibus fatuari, musarum sunt, oderunt te scarabæum, & ut vides, redarguunt. *Coturnices sub Ortygometra.* Istos onocrotalis tuis tende laqueos; nos tam stolido aucupio non capimur. Atqui jam tua res agitur, non nostra, *Gallus gallinaceus*, inquis, *tam muribus quam fœminis imperitat*. Qui potè hoc fieri? Cura tu ipse Gallus, &c. ut ferunt, vel nimium gallinaceus, non tuæ gallinæ, sed illa tibi imperitet, & in te regnum exerceat: Si gallinaceus ergò plurium fœminarum rex est, tu gallinæ mancipium tuæ, non gallinaceum te, sed stercorarium quendam esse Gallum oportet. Pro libris certè nemo te majora edit sterquilinia, & gallinatio tuo stercoreo omnes obrundis; hoc unicum galli gallinacei habes. Jam ego multa hordei grana daturum me tibi promitto, si totum hoc vertendo sterquilinium tuum, vel unam mihi gemmam ostenderis. Sed quid ego tibi hordeum? qui non hordeum, ut Æsopicus ille, simplex & frugi gallus, sed aurum, ut Plautinus ille nequam, scalpturando quæsisti; quamvis exitu adhuc dispari; tu enim centum Jacobæos aureos inde reperisti, cum Euclionis fuste potius, quo misellus ille Plautinus, obtruncari dignior sis. Sed pergendum est. *Eadem utilitatis & incolumentatis omnium ratio naturalis postulat, ut qui semel ad gubernandum constitutus est, conservetur.* Quis negat, quatenus ejus conservatio cum incolumentate omnium consistit? Ad perniciem autem omnium conservari unum, quis non videt alienissimum à natura esse? At malum etiam regem conservari, immo pessimum omnino vis, eo quod non tantum mali civitati procurat male gubernando, quantum creaturæ cladi ex seditionibus que ad eum tollendum suscitantur. Quid hoc ad jus regum naturale? An, si natura me moneret, ut latronibus diripiendum me permittam, ut captum me totis facultatibus redimam potius, quam ut dimicare de vitâ cogar, latronum tu inde jus naturale constituas? Suadet natura populo, ut tyrannorum violentiae nonnunquam cedat, cedat temporibus; tu istâ populi necessitate ac patientiâ jus etiam naturale tyrannorum fundabis? Quod illa jus populo sui conservandi causâ dedit; tu illam tyranno perdendi populi causâ jus idem dedisse affirmabis? Docet natura ex duobus malis, eligendum esse minus; & quandiu necesse est, tolerandum; an tu hinc tyranño, utpote minori fortasse interdum malo, jus impunè malefaciendi exoriri naturale statuas? Recordare saltem ea quæ jampridem ipse de Episcopis contra Loiolitam scripsisti, à me superâ tertio capite recitata, his planè contraria; Illic *seditiones, dissensiones, discordias optimatum & populi, longe levius esse malum affirmas, quam sub uno monarcha tyranno certam miseriam ac perniciem.* Et vera tu quidem affirmabas; nondum enim insaniebas, nondum Carolinis Jacobæis delinitus & deauratus in morbum regium incideras. Dicerem fortasse, nisi is essemus qui es, pudeat te tandem prævaricationis tuæ turpissimæ; tibi vero dirumpi facilius est quam erubescere, qui ut rem faceies, pudorem jam diu amisisti. Annon ipse memineras Romanos florentissimam & glorioissimam Rempub. post exæctos reges habuisse? Potuit fieri ut Batavorum obliuiscerere? Quorum respub. Hispaniarum rege pulso post bella diutina, feliciter tamen gesta, libertatem fortiter & gloriose consequuta est, tæque grammaticastrum Equitem stipendio alit suo, non ut juventus Batavica te prævaricatore & sophistâ tam nihil sapere discat, ut ad servitutem Hispanicam redire maller, quam paternæ libertatis ac gloriæ hæres esse; itam doctrinæ pestem ad Riphæos ultimos, & glacialem oceanum, quo te in malam rem abire par est, tecum auferas licebit: Exemplo denique sunt Angli, qui Carolum tyrannum bello captum, & insanabilem obtruncarunt. At *insulam beatam sub regibus, & luxu affluentem discordiis deformarunt.* Immo luxu penè perditam quo tolerantior servitus esset, extinctis deinde legibus, & mancipata religione, servientem liberarunt. En autem Epicteti cum Simplicio editorem, stoicum gravissimum, cui luxu affluent insula beata esse videtur! Ex porticu Zenonis nunquam tale, sat scio, documentum prodit. Quid refert? An te doctore quicquid liber regibus licebit, tibi ipsi non licebit Lupi domino ex Lulanari tuo, tanquam ex novo quodam lyceo quamcunque liber emittere philosophiam? Sed resume nunc quam suscepisti personam. *Nunquam sub ullo rege tantum cruxis haustum est, tot familiae desolate:* Hoc totum Carolo imputandum est, non Anglis; qui exercitum Hibernicorum prius in nos paraverat, omnes Hibernos conjurare contra Anglos suo ipse diplomate jussérat; per illos ducena circiter millia Anglorum una in provinciâ Ultoniâ occiderat; de reliquis nihil dico: Binos exercitus in exitium Parlamenti Anglicani urbisque Londini sollicitaverat; multa alia hostili-

ter fecerat, priusquam à populo aut magistratibus tuendæ Reipub. causâ vel unus miles conscriptus esset. Quæ doctrina, quæ lex, quæ unquam religio sic homines instituit, ut otio consulendum, ut pecuniaæ, ut sanguini, ut vitæ potius parcendum esse ducerent, quam hosti obviam eundum? Nam externo an intestino, quid interest? Cum interitus reipub. sive ab hoc, sive ab illo funestus æquè, & acerbus impendeat. Vedit totus Israel non posse se sine multo sanguine levitæ uxorem stupro eneçtam ulcisci; an igitur quiescendum sibi esse duxit, an bello civili quamvis truculentissimo supersedendum, an unam igitur mulierculam mori inultam est passus? Certè si natura nos docet quamvis pessimi regis dominatum potius pati, quam in recuperanda libertate, plurimorum civium salutem in discrimen adducere, doceret eadem non regem solum perferre, quem tamen solum perferendum esse contendis, sed optimatum, sed paucorum quoque potentiam; latronum etiam nonnunquam & servorum rebellantium multitudinem. Non Fulvius aut Rupilius bellum servile post cælos exercitus prætorios, non Crassus in Spartacum post deleta consularium castra, non Pompeius ad piraticum bellum exiisse. Romani vel servis, vel piratis, ne tot civium sanguis effunderetur, hortante scilicet naturâ, succubuerint. *Hunc itaque sensum, aut hujusmodi ullum gentibus impressisse naturam nusquam ostendis: Et tamen non desinis malè ominari, & vindictam divinam, quam in te augurem tuique similes avertat Deus, nobis denuntiare; qui nomine tantum regem, re hostem acerbissimum debito supplicio ulti sumus; & innumerabilem bonorum civium cædem authoris poena expiavimus.* Nunc magis naturalem esse monarchiam ex eo probari aïs, quod *plures nationes & nunc & olim regium statum receperint, quam optimatem & popularem.* Respondeo primùm neque deo neque naturâ suadente id factum esse; deus nisi invitatus, populum suum sub regio imperio esse noluit; natura quid suadeat & reæta ratio, non ex pluribus, sed ex prudentissimis nationibus optimè perspicitur. Græci, Romani, Itali, Carthaginenses, multique alii suopte ingenio vel optimatum vel populi imperium regio prætulerunt; atque hæc quidem nationes cæterarum omnium instar sunt. Hinc Sulpitius Severus, *regium nomen cunctis fere liberis gentibus semper invisum fuisse tradit.* Verùm ista non jam huc pertinent, nec quæ sequuntur multa, inani futilitate à te sæpius repetita: Ad illud festino, ut quod rationibus firmavi, id exemplis nunc ostendam, esse vel maximè secundum naturam, tyrannos quoquo modo puniri; id omnes gentes, magistra ipsa natura, sæpius fecisse; ex quo impudentia tua prædicanda, & turpissima mentiendi licentia omnibus innotescere dehinc poterit. Primos omnium inducis Ægyptios; & certè quis te per omnia Ægyptizare non videat? *Apros hos inquis nusquam mentio extat ullius regis à populo per seditiones occisi, nullum bellum illatum, aut quicquam factum à populo quo è folio dejiceretur.* Quid ergo Osiris rex Ægyptiorum fortasse primus? Annon à fratre Typhone, & viginti quinque aliis conjuratis interemptus est? Quos & magna pars populi secuta magnum cum Iside & Oro, regis conjugæ, & filio prælium commisit? Prætero Sesostrin à fratre per infidias penè oppressum; Chemmin etiam & Cephrenem, quibus populus merito infensus, quos vivos non poterat, mortuos se discepturum minatus est. Qui reges optimos obtruncare sunt ausi, eosne putas naturæ lumine, aut religione aliquâ retentos, à pessimis regibus manus abstinuisse? Qui reges mortuos, & tum demum innocuos, sepulcro eruituros se minitabantur, ubi etiam pauperculi cujusque corpus inviolatum esse solet, vivosne illi & nocentissimos propter naturæ legem punire, si modò viribus valerent, vererentur? Affirmares hæc, scio, quamlibet absurdâ; at enī ego ne affirmare audeas elinguem te reddam. Scito igitur multis ante Cephrenem seculis regnasse apud Ægyptios Ammosin, & tyrannum, ut qui maximè fuisse; eum Ægyptii æquo animo pertulerunt. Lætaris; hoc enim est quod vis. At reliqua audi vir optime & veracissime, Diodori enim verba sunt quæ recito, μέχομέν τινὶ ἐκατέψυ ς δεραιμενοι, &c. tolerabant aliquandiu oppressi, quia resistere potentioribus nullo modo poterant. Quamprimum vero Actilanes Æthiopum rex bellum gerere cum eo cœpit, naeti occasionem plerique defecerunt, eoque facile subacto, Ægyptus regno Æthiopum accessit. Vides hic Ægyptios, quamprimum poterant, arma contra tyrannum tulisse, copias cum externo rege coniunxisse, ut regem suum ejusque posteros regno privarent, bonum & moderatum regem, qualis erat Actilanes, maluisse externum, quam tyrannum domesticum. Idem Ægyptii consensu omnium maximo Aprien tyrannum suum, conductitiis copiis præsidentem, duce Amasi prælio victum strangularent; Amasi viro nobili regnum dederunt. Hoc etiam

adverte; Amasis captum regem ad tempus in ipsa regia honestè asservabat: incusante demùm populo, injustè eum facere qui suum & ipsorum hostem aleret, tradidit populo regem; qui eum prædicto suppicio affecit. Hæc Herodotus & Diodorus. Quid amplius tibi quæris? Ecquem tyrannum censes non maluisse vitam securi quam laqueo finire? Postea sub Persarum imperium redacti Ægyptii fideles, inquis, existere, quod falsissimum est; in fide enim Persarum nunquam permandere, sed, quarto post anno quam subacti à Cambyses fuerant, rebellarunt. Domiti deinde à Xerxe, haud multò post ab ejus filio Artaxerxe defecerunt, regem Inarum quendam sibi adsciverunt. Quo occiso iterum fidem mutant, & constituto rege Tacho Artaxerxi Mnemoni bellum indicunt. Sed neque suo regi fideliores, ablatum patri regnum filio Nectanebo tradunt: donec tandem ab Artaxerxe Ocho in ditionem Persarum rediguntur. Sub Macedonum etiam imperio, quantum in se erat, tyrannos coercendos esse factis indicarunt; statuas & imagines Ptolemæi Physconis dejecerunt, ipsum mercenario exercitu præpollentem interficere nequierunt. Alexander ejus filius ob cædem matris concursu populi in exilium agitur: filium item ejus Alexandrum insolentiū dominantem Alexandrinus populus vi abruptum ex regia in gymnasio publico interfecit: Ptolemaeum denique Auletē ob multa flagitia regno expulit. Hæc tam nota cum non possit nescire vir doctus, non debuerit qui hæc docere profiteatur, qui fidem tantis in rebus haberi sibi postuler, quis non pudendum & indignissimum esse dicat, hunc, vel tam rudem & indoctum tanta cum infamia bonarum literarum pro doctissimo circumferre se tumidum, & stipendia regum & civitatum ambire, vel tam improbum & mendacem, non insigni aliquâ ignominia notatum, ex omnium communitate & consortio tum doctorum tum bonorum exterminari? Postquam Ægyptum lustravimus, ad Æthiopes jam proximos visamus. Regem à Deo electum, ut credunt, quasi Deum quendam adorant: quoties tamen eum Sacerdotes damnant, ipse mortem sibi consciscit. Sic enim, Diodoro teste, omnes alios maleficos puniunt; non ipsi morte afficiunt, sed ipsos reos licetore missō mori jubent. Ad Assyrios deinde & Medos & Persas regum observantissimos accedit: *jus illuc regium summa cum licentia quidlibet faciendi coniunctum fuisse* contra omnium Historicorum fidem affirmas. Narrat imprimis Daniel ut regem Nebuchadnezzarem plus nimio superbientem homines a se depulerint, & ad bestias ablegaverint. Jus eorum non regium, sed Medorum & Persarum id est populi jus appellatur; quod cum irrevocabile esset, reges etiam obligavit. Darius itaque Medus eripere manibus satraparum Daniëlem, quamquam id maximè agebat, non potuit. *Populi, inquis, nefas esse tum credebant regem repudiare quod illo jure abuteretur.* Inter ipsa tamen hæc verba adeò miserè obtorpes, ut dum istorum populorum obedientiam & modestiam laudas, eruptum Sardanapalo regnum ab Arbace tuā sponte cominemores. Eripuit autem is non solus, sed partim à Sacerdotibus juris peritissimis, partim à populo adjutas, atque hoc præsertim nomine eripuit, quod is jure regio, non ad crudelitatem, sed ad luxuriam tantummodo & mollitiem abuteretur. Percurre Herodotum, Ctesiam, Diodorum, intelliges omnino contraria esse quam dicis, à *Subditis ut plurimum ea regna destructa fuisse, non ab externis*: Assyrios reges à Medis, Medos à Persis, utrisque tum *Subditis*, sublatos fuisse. *Cyrum ipse rebellasse, & arreptas tyrannides in diversis imperii locis fateris.* Hoccine est jus regium apud Medos & Persas, & observantiam eorum in reges, quod instituisti, asserere? Quæ te Anticyra tam delirum sanare potest? *Persarum reges quali jure regnarent ex Herodoto, inquis, liquet.* *Cambyses*, cum sororem in matrimonio habere cuperet, judices regios consulit, delectos ex populo viros, legum interpres, ad quos omnia referri solebant. Quid illi? negant se invenire legem quæ jubeat fratrem secum in matrimonium sororem jungere; aliam tamen invenisse, quæ liceat Persarum regi sacere quæ libeat. Primùm si rex omnia pro suo jure poterat, quid alio legum interprete quam ipso rege opus erat? supervacanei isti judices ubivis potius quam in regia mansissent. Deinde si Regi Persarum quidvis licuit, incredibile est id adeo nescivisse Cambysem dominationis cupidissimum, ut quid licitum esset, judices illos percontaretur. Quid ergo? vel *gratificari* volentes *regi*, ut fateris ipse, vel à tyranno sibi metuentes, ut ait Herodotus, facilem quandam se reperisse legem simulans, palpum regi obtrudentes: quod in judicibus & legum peritis hac etate novum non est. At verò *Artabanus Persa* dixit ad Themistoclem, *nullam legem apud Persas esse meliorem illa*

illâ quâ sancitum fuerat, regem esse honorandum & adorandum. Praeclarum tu quidem legem de adoratione regum introducis etiam à patribus antiquis damnatam ; præclarum etiam legis commendatorem Artabanum, qui ipse haud multo postea sua manu Xerxem regem suum trucidavit. Probos regum defensores regicidas nobis aduersi : suspicor te regibus infidias quasdam moliri. Claudiannum citas poëtam, Persarum obedientiæ testem. At ego te ad res eorum gestas & annales revoco, defectionibus Persarum, Medorum, Bactrianorum, Babyloniorum, etiam cædibus regum refertissimos. Proximus tibi author est Otanes Pèrsa, ipsa etiam Smerdis intersector sui regis, qui cum odio potestatis regiae, injurias & facinora regum exponat, violationes legum, cædes indemnatorum, stupra, adulteria, hoc tu jus regium vis appellari, & Samuelis iterum calumnianti in mentem tibi venit. De Homero qui reges esse ab Jove cecinit, supra respondi : Philippo regi jus regium interpretanti tam credam quam Carolo. Ex Diotogenis deinde Pythagoréi fragmento quædam producis, at quali is de rege dicat taces. Accipe igitur quo ille usus est exordio ; ad quod referri quæ sequuntur cuncta debent. Βασιλεὺς οὐ εἰν ὁ διցιότατος, &c. Rex ille fuerit, qui justissimus est, justissimus autem, qui maximè legiimus, nam sine justitia nullus rex esse poterit, neque justitia sine lege. Hæc cum jure tuo regio è regione pugnant. Eadem abs te recitatus Ecphantas philosophatur. οὐδὲ οὐ τὸ εἰς αὐτὸν κατέταξε, &c. oportet qui regnum suscipit purissimum & lucidissimum naturâ esse : & infra ὁ κράτος ἀρχὴν εἰσέρχεται, &c. ille qui imperat secundum virtutem, nominatur rex, & est. Quem tu igitur regem vocas, Pythagoreorum judicio rex non est. Jam tu vicissim Platonem audi in Epistola octava ἀρχὴν γαύλων καθηλευτῶν βασιλεὺς, &c. Sit regia potestas reddendæ rationi obnoxia ; leges dominantur & aliis civibus & ipsis etiam regibus, si quid præter leges fecerint. Addo Aristotelem, Polit. 3. ἐν μηδὲ τοι ὁ προίοντος καὶ τοῖος εἴτε συμφέρον τετρά, &c. inter similes & aequales neque utile est neque justum, esse unum omnium dominum, neque ubi leges non sunt, neque ut ipse lex sit, neque ubi sunt leges ; neque bonum bonorum, neque non bonum non bonorum dominum esse. Et lib. quinto, Quem populus non vult, statim is non rex, sed tyrannus est, c. 10. Hem tibi etiam Xenophontem in Hierone ἀντὶ τῆς τιμονῆς αἱ πόλεις αὐτοῖς, &c. tantum abest ut tyrannorum necem civitates ulciscantur, ut magnis honoribus afficiant eum, qui tyrannum interficerit, imagines etiam tyrannicidarum in templis statuant. Testem occulatum adjiciam Marcum Tullium pro Milone. Graci homines deorum honores tribuunt iis viris qui tyranos necaverunt : que ego vidi Athenis, que aliis in urbibus Gracie, quas res divinas talibus instatas viris, quos cantus, que carmina ? prope ad immortalitatem, & religionem, & memoriam consecrantur. Polybius denique author gravissimus, Historiarum sexto, τὸ τε τῆς ἐπιθυμίας ἐπόμενοι, &c. cum principes, inquit, cupiditatibus obsecrarent, tum de regno facta est tyrannis, & conspiratio in caput dominantium inibatur ; cuius quidem authores erant non deterrimi civium, sed generosissimi quique & maximi animi. Longè plura cum mihi suppetarent, hæc pauca delibavi : obruor enim copiâ. A philosophis ad Poëtas jam provocas, eò te libentissime sequimur. Potestatem nullis legibus, nullis judiciis obnoxiam in Gracia reges obtinuisse vel unus, inquis, Aeschylus potest docere ; qui in tragœdia, Supplices, Regem Argivorum αὐτὸν πεύτερον vocat, non judicabilem rectorem. Verum tu scito, præcipitem enim te & nullius judicii esse, quounque te vertis, eò magis perspicio, scito, inquam, non quid Poëta, sed quis apud Poëtam quidque dicat, spestandum esse : variæ enim personæ inducuntur, nunc bonæ, nunc malæ, nunc sapientes, nunc simplices, non semper quid Poëtæ videatur, sed quid cuique maximè convenientat loquentes. Danai filiae quinquaginta ex Ægypto profugæ ad Argivorum regem supplices pervenerant ; orant ut se contra vim Ægyptiorum classe insequentium defendat ; respondet rex non posse se, nisi rem prius cum populo communicet.

Ἐγώ δὲ ἀντὶ οὐδείνοις ἀπόχεσον πάροτος  
Αστὸν δὲ πᾶσι τοῖσδε ποιώσας πέσῃ.

Mulieres peregrinæ & supplices incerta populi suffragia veritæ, regem denuò blandius compellant.

Σὺ τοι πόλις, σὺ ἡ τὸ δῆμον,  
Πρεύτανίς ἀκεῖσθαι.

*Tu instar urbis es & populi, Praetor injudicatus.*

Rursus rex.

Εἴπον ἡγεμόνες πρὸν, τὸν ἄνδρα δῆμον τοῦτο  
Πρεξέαμεν ἀνδρόπερ κρεπτόν —

*Dixi antea, non sine populo hac faciam,  
Ne si possem quidem.*

De re itaque tota ad populum referunt,

Ἐγὼ ἡ λάχας συνηγολῶν ἐγχωρίων  
Πείσω τὸ κοινὸν.

Populus itaque decernit opem Danai filiabus ferendam ; unde illa senis Danai  
lætantis :

Θαρσεῖτε παῖδες, ἐν τῷ τῷ οὐρανῷ ἐγχωρίων  
Δῆμος δέδειται παῖτελην φυφίσματα.

*Bono estote animo filiae, bene decreverunt  
Indigenarum, in conventu populari, perfectissima suffragia.*

Hæc nisi protulisset, quām temere statuisset sciolus iste de jure regio apud  
Græcos ex ore mulierum, & peregrinarum, & supplicum ; cūm & ipse rex,  
& ipsa res gesta longè aliud nos doceat. Idem etiam docet Euripidis Orestes,  
qui, mortuo patre, Argivorum ipse rex, ob cædem matris à populo in judici-  
um vocatus, ipse causam dixit, & suffragiis populi capite damnatus est. Athe-  
nis regiam potestatem legibus obnoxiam fuisse testatur idem Euripides etiam in  
Supplicibus, ubi hæc Theseus Athenarum Rex —

Ἐνὸς πρὸς ἀνθρόπος, ἀλλ' ἐλευθέρᾳ πόλις,  
Δῆμος δὲ ἀνάσται —

*non regitur  
Ab uno viro, sed est libera hac civitas,  
Populus autem regnat —*

Sic ejus filius Demophoon Rex item Atheniensium apud eundem Poëtam in  
Heraclidis.

Οὐ γὰρ πρεγνίδις ὡσε βαρβάρων ἔχω,  
Αλλ' ἦν δικαια δικῶ, δίκαια πέσουμαι.

*Non enim ius tyrannice tanquam barbaris impero,  
Sed si facio justa quae sunt, justa mibi rependuntur.*

Non aliud thebis jus regium antiquitùs fuisse testatur Sophocles in Oedipo  
tyranno, unde & Tiresias & Creon Oedipo ferociter responsant, ille,

Ἐνὶ τῷ σὺν ξῶ μέλαι

*Non servus tibi sum.*

Hic,

Κἀμοὶ πόλεως μέτει τὸ δὲ σὺ μένω.

*Est & mihi jus in hac civitate non tibi solùm.*

Et Aemon Creonti in Antigone.

πόλις γένεται, οὐτὶς ἀνθρώπος ἔσται· οὐδές.

*Non est civitas, que unius est viri.*

Jam verò Lacedemoniorum reges in judicium sàpè adductos, & interdum morte multatos nemo ignorat. Atque hæc quidem antiquum in Græcia jus regium quale fuerit satis declarant. Ad Romanos veniamus. Tu ad illud impùnis recurris non Sallustianum, sed C. Memmii apud Sallustium, *impune quidvis facere*: cui suprà responsum est. Sallustius ipse disertis verbis author est, *Romanos imperium legitimum, nomen imperii regium habuisse*; quod cum se in dominationem convertit, ut nôsti, expulerunt. Sic M. Tullius in Pisonem, ego Consulem esse putem, qui Senatum esse in repub. non putavit? & sine eo consilio consulem numerem, sine quo Romæ ne reges quidem esse potuerunt? Audin' regem Romæ sine Senatu nihil fuisse? *At Romam, ut libitum Romanis imperitaverat, ut ait Tacitus.* Nondum enim fundata legibus, colluvies potius convenarum quam respub. erat: omnes olim mortales sine legibus vivebant, cum res publicæ nondum essent. Post Romulum autem, authore Livio, et si regem omnes volebant, libertatis dulcedine nondum expertâ: *Populo tamen summa potestas permissa est, ut non plus darent juris quam detinerent*; *jus illud à Cæsaribus vi ademptum fuisse idem ait.* Servius Tullius dolo primum quasi Tarquinii Prisci vicarius regnabat; postea verò ad populum ipse retulit, *vellens juberéntne se regnare*; tandem ut ait Tacitus, *sancor legum fuit queis etiam reges obtemperarent.* Fecissetne hancce sibi & posteris injuriam, si supra leges priùs fuisse jus regium sensisset? Ultimus illorum regum Tarquinius superbus *morem de omnibus Senatum consulendi primus solvit*; ob hæc & alia flagitia populus L. Tarquinio Regi imperium abrogavit; exulémque esse cum conjugè ac liberis jussit. Hæc tere ex Livio & Cicerone; quibus alios juris regii apud Romanos haud tu interpretes attuleris meliores. Ad dictaturam quod attinet, temporaria tantum fuit, nunquam adhibita nisi difficillimis reipub. temporibus, & intra sex menses deponenda. Jus autem imperatorum quod vocas, non jus illud, sed vis planè erat; imperium nullo jure praeterquam armis partum. *At Tacitus, inquis, qui sub imperio unius floruit, ita scripsit: Principi summum rerum arbitrium dii dederunt, subditis obsequii gloria relicta est.* Nec dicas quo loco; tibi conscientis nimirum insigniter lectoribus imposuisse; quod mihi quidem statim suboluit, quamvis locum illum non statim reperi. Non enim Taciti hæc verba sunt, scriptoris boni, & tyrannis adversissimi, sed apud Tacitum M. Terentii cujusdam equitis Romani, qui capit is reus, inter alia quaꝝ metu mortis ab eo dicta sunt, sic Tiburium adulatur, annalium sexto: *Tibi summum rerum judicium dii dederunt, nobis obsequii gloria relicta est.* Hanc tu quasi Taciti sententiam profers, qui sententias tibi commendas non ex pistrina solùm aut tonstrina, sed ex ipsa carnificinâ oblatas non respueres: ita omnia vel ostentationis causa, vel imbecillitatis conscientiâ undecunque corradis. Tacitum ipsum si legere maluisses, quam alicubi decerptum negligenter transcribere, docuisset te is, jus illud imperatorum unde ortum sit. *Post Aetiacam victoriam, verso civitatis statu, nihil usquam prisci aut integri moris; omnes exutâ equalitate iussa principis aspectare; docuisset idem annalium tertio, unde tuum omne jus regium;* *Postquam exxi equalitas, & pro modestia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, multosque apud populos aeternum mansere.* Idem ex Dione poteras didicisse, si innata levitas & inconstantia tua quicquam te altius percipere pateretur. Narrat enim is l. 53. abs te citato, ut partim armis, partim dolo & simulatione Octaviani Cæsaris effectum sit, ut imperatores legibus soluti essent; dum enim pro concione pollicetur se principatu abituru, legibus & imperiis etiam aliorum obtemperatum, per causam belli in provinciis suis gerendi, retentis apud se semper legionibus, dum simulatè renuit imperium, sensim invasit. Non est hoc legibus rite solutum esse, sed legum vincula, quod gladiator ille Spartacus potuit, vi solvere; nomen deinde principis aut imperatoris & auctoritatis sibi arrogare, quasi Deus aut naturæ lex omnes & homines & leges illi subjecisset. Vis altius paulo juris Cæsarei originem cognoscere? Marcus Antonius, jussu Cæsaris, qui armis in rem publicam nefariè sumptis tum plurimum poterat, Consul factus, cùm Lupercalia Romæ celebrarentur, ex composito, ut videbatur, diadema capitî

capiti Cæsaris cum gemitu & plangore populi imposuit : Ascribi deinde jussit in fastis ad Lupercalia, C. Cæsari Antonium Consulem, iussum populi, regnum detulisse. Quâ de re Cicero in secunda Philippica ; Ideone L. Tarquinius exactus, Spurius Cassius, Sp. Melius, M. Manlius necati, ut multis post seculis à M. Antonio, quod fas non est, rex Roma constitueretur ? Tu verò omni malo cruciatu atque infamia sempiternâ etiam ipso Antonio dignior es ; Quanquam tu hinc noli superbire, non enim te hominem despiciatissimum, ullâ re aliâ quam scelere cum Antonio conferendum putem, qui in hisce tuis Lupercalibus nefandis non uni tantum, sed omnibus tyrannis diadema cunctis legibus solutum, nullâ solvendum imponere studiisti. Certè si ipsorum Cæsarum oraculo credendum est, sic enim appellant Christiani imperatores Theodosius & Valens edictum suum, cod. l. 1. tit. 14. de authoritate juris, imperatorum pender authoritas. Majestas ergo regnantis, vel ipsorum Cæsarum sive judicio sive oraculo, submitenda legibus est, de quibus pender. Hinc adulstâ jam potestate imperatoria ad Trajanum Plinius in Panegyrico ; diversa sunt naturâ, dominatio, & principatus. Trajanus regnum ipsum arcet ac summovet, sed emque obtinet principis, ne sit domino locus. Et infra, omnia que de aliis principibus à me dicta sunt, eo pertinent ut ostendam, quam longa consuetudine corruptos, depravatosque mores principatus parens noster reformet, & corrigat. Quod depravatos principatus mores Plinius, id tene pudet jus regium perpetuò vocitare ? Verum hactenùs de jure regio apud Romanos breviter. Quid illi in tyrannos suos, sive reges, sive Imperatores fecerint, vulgo notum est. Tarquinium expulserunt. Sed quomodo, inquis, expulerunt, an in jus vocarunt ? Nequaquam ; Portas venienti cluserunt. Ridiculum caput, quid ni clauderent ad volanti cum parte copiarum ? quid refert exulare jussus fuerit an mori, modò penas dedisse constat ? Ca. Cæsarem tyrrannum excellentissimi ejus ætatis viri in Senatu interfecerunt ; id factum M. Tullius & ipse vir optimus, & pater patriæ publicè dictus, miris laudibus, cum alibi passim, tum in secunda Philippica celebravit. Pauca recitabo. Omnes boni quantum in ipsis fuit, Cæsarem occiderunt ; aliis consilium, aliis animus, aliis occasio defuit, voluntas nemini. Et infrà. Quaenam res unquam, proh sancte Jupiter ! non modo in hac urbe, sed in omnibus terris est gesta major, que gloriösior, que commendatior hominum memoria sempiterna ? In hujus me consilii societatem, tanquam in eum Trajanum, includi cum principibus non recuso. Illud Senecæ tragicæ & ad Græcos referri potest, & ad Romanos :

— *Victima haud illa amplior  
Potest, magisque opima mactari Jovi  
Quam rex iniquus* —

Nam si ad Herculem spectes, cuius hæc sententia inducitur, quid senserint illa ætate Græcorum summi viri ostendit : Si ad poetam, qui sub Nerone floruit (& sensum fere suum poetæ personis optimis affingere solent) significabat, & quid ipse, & quid omnes viri boni, ætate etiam Neronis, faciendum tyranno censuerint ; quamque pium, quamque diis gratum esse duxerint tyannicidium. Sic optimi quique Romanorum, quantum in se erat, Domitianum occiderunt. Palam hoc profitetur Plinius secundus in illo ad Trajanum imperatorem Panegyrico. Juvabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, savire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolóque sequeretur : Nemo tam temperans gaudii, quin instar ultionis videatur cernere laceros artus, truncata membra, postremò truces horrendaque imagines abiectas excœtasque flammis. Et deinde, non satis amant bonos principes, qui malos satis non oderint. Tum inter flagitia Domitianî ponit, quod is Epaphroditum Nero-nis utcunque imperfectorem trucidaverit. An excidit dolori nostro modo vindicatus Nero, permitteret credo famam vitamque ejus carpi, qui mortem ulcisceretur ? Planè quasi sceleri proximum esse judicaret, non interfecisse Neronem, scelus gravissimum vindicasse imperfectum. Ex his manifestum est, Romanorum præstantissimos quoque viros non solum tyrrannos quoquo modo, quoties poterant, occidisse, sed factum illud, ut Græci olim, in maxima laude posuissent : Vivum enim tyrrannum quoties judicare non poterant viribus inferiores, mortuum tamen & judicabant, & lege Valeriâ damnabant. Valerius enim Publicola Junii Bruti collega cum videret non posse stipatos suis militibus tyrrannos ad judicium perduci, legem tulit qua indemnatum quovis modo occidere liceret ; deinde facti rationem reddere. Hinc C. Caligulam, quem Cassius ferro, omnes votis imperfecterunt, Valerius Asiaticus, vir consularis cum non adesset, ad milites tamen ob necem

necem ejus tumultuantes exclamat, *utinam ego interficisem*; Senatus eodem tempore abolendam Cæsarum memoriam, ac diruenda tempa censuit; tantum absuit ut Cassio irasceretur; Claudium à militibus imperatorem mox salutatum vetant per tribunum plebis principatum capessere; vis autem militum vicit. Neronem Senatus hostem judicavit, &c, ut puniretur more majorum, quærebatur; id genus poenæ erat, ut nudi cervix inficeretur furce, corpus virgi ad necem cæderetur. Vide quanto mitius & moderatius Angli cum tyranno egerint suo, qui multorum judicio plus ipso Nerone sanguinis fundendi author fuerat. Sic Domitianum mortuum Senatus damnavit; quod potuit, in. p. ues ejus coram detrahi, & solo affligi jussit. Commodus à suis interficietus, non vindicatus à Senatu aut Populo, sed hostis judicatus est, qui etiam cadaver ejus ad supplicium quarebant. Ea de re Senatusconsultum extat apud Lampridium; *Hosti patrie honores detrahantur, Parricida trahatur, in spoliario lanietur, hostis deorum, carnifex Senatus unco trahatur, &c.* Idem Didium Julianum imperatorem frequentissimo Senatu capit is damnarunt; & misso Tribuno, occidi in Palatio jussiunt. idem Maximino imperium abrogarunt, hostemque judicarunt. Juvat ipsum Senatusconsultum ex Capitolino recitare. *Consul retulit; Patres Conscripti, de Maximini quid placet?* Responsum est, *hostes, hostes, qui eos occiderit præmium merebitur.* Vis scire populus Romanus & provinciæ Maximino imperatori ea Senatu paruerint? Audi eundem Capitolinum. *Literas mittit Senatus ad omnes provincias, ut communis saluti, libertatique subveniant;* quæ auditæ sunt ab omnibus. Ubique amici, administratores, duces, tribuni, milites Maximini interfici sunt: Paucæ civitates fidem hosti publico servaverunt. Eadem tradit Herodianus. Quid plura de Romanis? Jam apud finitimas nationes quale jus regum illâ ætate fuerit videamus. Apud Gallos rex eorum Ambiorix *sua ejusmodi esse imperia facet*, ut non minus haberet in se juris multitudine, quam ipse in multitudinem. Judicabatur ergo non minus quam judicabat. Rex item Vercingetorix prodictionis insimulatus est à suis; tradit hæc Cæsar bellum Gallicum scribens. Nec Germanorum regibus infinita aut libera potestas erat, de minoribus rebus principes consultant, de majoribus omnes. Rex aut princeps auditur auctoritate suadendi magis quam jubendi potestate; si dispergit sententia, fremitu aspernantur. Hæc Tacitus. Tu vero quod inauditum prorsus esse modò exclamabas, nunc sèpius factum concedis, *quinquaginta nimium Scotorum reges aut expulsos aut incarceratedos, aut necatos, quosdam etiam in publico capitali suppicio affectos.* Quod in ipsa Britannia factitatum est, cur tu, tyranorum vespollo, infandum, inauditum esse tanta ejulatione vociferaris? Pergis Judæorum & Christianorum erga tyrannos suos religionem extollere, & mensa ex mendaciis ferere, quæ jam toties refutaviimus. Modo Assyriorum & Persarum obedientiam latè prædicabas, nunc eorum rebelliones enueras, & quæ nunquam rebellasse paulò ante dixeras, nunc cur iudicem toties reprobaverint unitas causas affers. Ad narrationem deinde sumpti de rege supplicii tandiu immisam revertis, ut, si tunc forte satis sedulò ineptius & ridiculus non eras, nunc esses. Per aula sua membra duæum narras. Quid per aulae membra intelligas scire gestio. Romanorum calamitates ex regno in repub. verso recentes, in quo te ribimet turpissime mentiri suprà ostendimus. Qui ad Loiolitam, seditiones tam sub optimatibus & populo, certam sub tyranno perniciem esse demonstrabas, nunc hominum vanissime & corruptissime, ob reges clivis ejectos seditionum illa malitia, in supplicia illos hanisse audes dicere? Scilicet quia centum Jacobæis do. vii. te pro stea rex Carolus, idcirco reges expulsos luent Romani. At male cessit Julii Cæsaris interfectoribus. Sanè si cui unquam tyranno, huic parcium vellem; quamvis enim regnum in repub. violentius invadebat, erat tamen regno fortasse dignissimus: Nec ideo quenquam magis putem interfici Cæsaris poenas peperdiste, quam deleti Catilinæ Caium Antonium Ciceronis collegam: Quo postea de aliis criminibus damnato, ut inquit Cicero pro Flacco, *sepulchrum Catilina floribus ornatum est.* Fautores enim Catilinæ tunc exultabant, *justa Catilina tum facta esse dilitabant,* ad invidiam cæteris confundam, qui Catilinam sustulerant. Hæ sunt improborum artes, quibus viros præstantissimos à supplicio tyrannorum, & puniendis etiam sèpè facinorosissimis deterreant. Dicerem ego contraria, quod facile esset, quoties bene cessit, & prosperè tyrannorum interfectoribus, si quid certi de eventu rerum colligere quis posset. Objetas, quod regem hereditarium Angli non illo affecerint supplicio, quo tyranni solent mactari, sed eo quo latrones & proditionis rei. Primum hereditas ad maleficiorum impanitatem quid conferat nescio: Conferre quicquam ut credit sapiens fieri vix potest. Quod tu deinde

inde ad immanitatem refers, in eo lenitas potius Anglorum, & moderatio prædicanda erat; qui, cum tyrannum esse, omnes in patriam impietas, latrocinia, prodiciones, perduelliones in se complectatur, satis habebant supplicium haud gravius de tyranno sumere, quam de simplici latrone quovis, aut proditore vulgari sumere solebant. Speras exorituros esse aliquos Harmodios & Thrasibulos, qui, nostrorum cede, tyranni manibus parentent. At tu citius animum despondebis, & vitam te dignam, omnibus bonis execrandus, antè suspendio finieris, quam Harmodios Harmodiorum sanguine litantes tyranno videas. Tibi enim illud accidere verisimilium est, deque te tam scelerato quis augurari rectius possit: Alterum est impossibile. Tyrannorum triginta mentionem facis qui sub Gallieno rebellauit. Quid si tyrannus tyrannum oppugnat, an omnes ergo qui oppugnant tyrannum, aut tollunt, tyranni erunt ipsi? Haud tu id persuaseris, mancipium equestre; neque is qui author tibi est, Trebellius Pollio, historicorum propè ignobilissimus. *Si qui hostes, inquis, à Senatu judicati sunt, factio id fecit, non jus.* Nobis in memoriam revocas quid fecit Imperatores; factio nempe, & vis, & ut planius dicam, furor Antonii, non jus fecit, ut contra Senatum populumque Romanum ipsi prius rebellarent. Dedit, inquis, pœnas Galba qui contra Neronem insurrexit. Dic etiam quas poenas dedit Vespasianus, qui contra Vitellium. Tantum, inquis, absuit Carolus à Nerone, quantum isti lanones Anglicani à Senatoribus illius temporis Romanis. Trifurciser, à quo laudari vituperium est, vituperari laus magna: Paucis modò periodis interpositis hac ipsa de re scribens, *Senatum sub imperatoribus tegatrum mancipiorum confessum fuisse aiebas, nunc eundem Senatum aīs confessum regum fuisse:* Hoc si ita est, quid obstat quin reges, te authore, togata-mancipia sint? Beatos hoc laudatore reges! Quo inter homines nihil nequius, inter quadrupedes nihil amentius: Nisi si hoc illi peculiare dicam esse, quod nemo literatius rudit. Senatum Angliae Neroni vis esse similiorem quam Senatui Romano: Cogit me cacoëthes hoc tuum ineptissimas conglutinandi similitudines, ut corrigam te; & quam similis Neroni fuerit Carolus, ostendam. Nero, inquis, matrem suam ferro necavit, Carolus & patrem & regem veneno; nam, ut alia omittam indicia, qui Ducem beneficii reum legibus eripuit, fieri non potuit quin ipse reus quoque fuerit. Nero multa millia Christianorum occidit, Carolus multo plura. Non defuerunt, teste Suetonio, qui Neronem mortuum laudarent, qui desiderarent, qui per longum tempus, vernis astivisque floribus tumulum ejus ornarent, ejus inimicis omnia mala ominarentur: Non defunt qui Carolum eadem insaniam desiderent, & summis laudibus extollant, quorum tu, patibularis eques, chorum ducis. *Milites Angli molossis suis ferociores, novum & inauditum tribunal instituerunt.* En acutissimum Salmatii sive symbolum sive adagium, jam sexies inculcatum, *Molossis suis ferociores;* adeste rhetores, vósque ludimagistri, deliberate, si sapitis, flosculum hunc elegantissimum, qui tam Salmasio in deliciis est; codicillis vestris & capsulis mandate copiosissimi hominis pigmentum, ne intereat. Adeóne etiam verba tua consumpsit rabies, ut cuculi in modum eadem identidem occinere cogaris? Quid hoc monstri esse dicam? Rabies, ut fabulantur, vertit Hecubam in canem, te Sancti Lupi dominum vertit in cuculum. Jam novas exordiris repugnantias: Supra p. 113. affirmaveras *Principem legibus solutum esse, non cogentibus solū, sed dirigenibus, nullas esse omnino quibus teneatur;* nunc dicturum: te aīs infra de regum differentia quatenus potestate alii minore alii majore in regnando fuerunt. Vis probare, reges non potuisse judicari, nec damnari à subjectis suis argumento, ut ipse aīs, firmissimo, revera stolidissimo; nihil, inquis, aliud inter judices & reges discrimen fuit: *Atqui Iudei judicum radio odióque adāncti reges postulabant.* An quia judices illos magistratum male gerentes judicare & damnare poterant, ideóne putas tædio odióque eorum adductos postulasse reges quos jura omnia violantes punire, aut in ordinem cogere non poterant? Quis, excepto te uno, tam fatuè ratiocinari solet? Aliud igitur quiddam erat cur regem peterent, quam ut haberent dominum legibus superiorem; de quo nunc divinare nihil attinet: Quicquid erat, haud prudenti consilio factum & Deus & Propheta ejus testatus est. Iterum Rabbinis tuis, ex quibus probâsse te suprà asserebas regem Judæorum non judicari, nunc litem acerrimam intendis, quod regem & judicari & verberari posse tradiderint: Quod idem planè est acsi faterere ementitum te tunc esse, quod ex Rabbinis probâsse dixeras. Eo demum descendis ut de numero equilium Solomonis, quot is equorum præficia habuerit, oblitus regiae defensionis, controversias putidulas concites. Tandem ab agasone ad equitem redis areatalogum & tautologum, vel potius ad id monstri quod

quod prius eras, cuculum rabiosum. Quereris enim postremis hisce seculis discipline vigorem laxatum, regulam corruptam; quod uni scilicet tyranno cunctis legibus soluto disciplinam omnem laxare, mores omnium corrumpere impunè non liceat. Hanc doctrinam Brunistas inter reformatos introduxisse ait. Ita Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Bucerus, & Orthodoxorum quotquot celeberrimi Theologi fuere, tuo iudicio Brunistæ sunt. Quo æquiore animo tua maledicta perferunt Angli, cum in Ecclesiæ doctores præstantissimos, totamque adeò Ecclesiam reformatam, iisdem propè contumeliis debacchari te audiant.

## C A P. VI.

**P**Ost legem Dei & naturæ agitatam abs te frustra, & pessimè tractatam, unde nihil præter ignorantiae simul & improbitatis ignominiam retulisti, quid deinde, in hac causa regia, præter nugas agere possis, non video. Cum autem omnibus & bonis & doctis viris, huic etiam causæ nobilissimæ abunde me satisfecisse sperem, etiamsi hoc loco finem respondendi facherem, tamen ne interea videar aliis varietatem potius & acumen tuum, quam immodicam loquacitatem defugisse, quo voles usque progrederi. Et tamen brevitatem, ut facile appareat, me iis omnibus perfunditum, si minus quam dignitas, at saltem quam necessitas causæ requirebat, nunc hominum quorumvis expectationi, vel etiam curiositati morem gerere. *Hinc alius, inquis, & major argumentorum mibi surget ordo.* An major eo argumentorum ordine quem lex Dei & Naturæ suppeditabat? Fer opem, Lucina, parturit Mons Salmasius; non de nihilo nuplit uxori; fœtum aliquem ingentem exspectate mortales. *Si is qui rex est ac dicitur, postulari posset* *atrad aliam potestatem, eam omnino regia majorem esse oporteret, qua autem major statuetur, hanc verè regiam dici & esse necesse esset.* Sic enim definenda potestas regia: *Quæ summa est in repub. & singularis, & supra quam nulla alia agnoscitur.* O murem verè montanum, & ridiculum! Succurrite grammatici grammatico laboranti; actum est non de lege Dei aut naturæ, sed de glossario. Quid si sic responderem tibi? Cedant nomina rebus, non est nostrum nomini cavere, qui rem sustulimus; current & alii quibus cordi sunt reges; nos nostrâ utimur libertate: Responsum sanè haud iniquum auferres. Verum ut me per omnia ex æquo & bono tecum agere intelligas, non ex mea solum, sed ex optimorum olim & prudentissimorum virorum sententiâ respondebo, qui & nomen & potestatem regiam cum potestate legum & populi majore, posse optimè consistere judicârunt. Lycurgus imprimis, vir sapientiâ clarissimus, cum vellet maximè potestati regie consulere, ut author est Plato, nullam aliam ejus conservandæ rationem invenire potuit, quam ut Senatus & Ephorum, id est, populi potestatem regiam majorem in suâ patriâ constitueret. Idem sensit Theseus Euripidæus, qui cum Athenarum rex esset, populo tamen Atheniensi in libertatem cum magna sua gloria vindicato, & potestatem popularem extulit supra regiam, & regnum nibilo secius in illa civitate suis posteris reliquit. Unde Euripides in Supplicibus ita loquentem inducit.

Δῆμον κατέστρε ἀπὸν εἰς μυναρχίαν  
Ἐλεύθεράς τινδ' ισόφυφον πόλιν.

*Populum constitui ipsum in Monarchiam,  
Liberans hanc Urbem aequale jus suffragii habentem.*

Et rursus ad præconem Thebanum.

Πρῶτον μὲν ἕρξω τῷ λόγῳ τὸ δῶς ξένε  
Ζητῶν τύραννον ἐνθάδ' οὐδὲν ἀρχεῖσθαι  
Ἐνὸς πρὸς ἄνθρωπος, ἀλλ' ἐλευθερεῖ πόλις,  
Δῆμος δ' ἀνθεστει.

*Primum incipisti orationem falso hospes,  
Quarens tyrannum hic, non enim regitur  
Ab uno viro, sed est libera hac civitas,  
Populus autem regnat.*

Hæc ille ; cùm tamen rex in illa civitate & esset & dictus esset. Testis est etiam divinus Plato in epistola octava, *Induxit Lycurgus Senatum & Ephorum potestatem, Tūs βασιλεὺς ἀεὶ ζῆσιν στόλιον, potestati regia maxime salutarem, quaē hac ratione per tot secula magna cum laude conservata est ; postquam lex domina, rex facta est hominum.* Lex autem rex esse non potest, nisi sit qui in regem quoque, si usus venire, lege possit agere. Sic temperatam potestatem regiam Siciliensibus commendat, *Ἐλευθερία γιγνέσθαι μὲν ταχιλιῶν ἀεὶ ζῆσιν, &c.* sit libertas cum regia potestate ; sit regia potestas ταῦτα reddenda rationi obnoxia ; dominetur lex eriam regibus siquid preter legem fecerint. Aristoteles denique politicorum Tertio, *In repub. Spartanorum videtur, inquit, regnum esse maxime, eorum regnorum quaē sunt secundum legem :* Omnes autem regni species secundum legem fuisse ait, præter unam quam vocat πάμεστειαν, neque talem usquam extitisse meminit. Tale itaque regnum maxime omnium propriè & dici & esse regnum sensit Aristoteles, quale apud Spartanos fuit ; talem proinde regem non minus propriè & dici & esse regem, ubi tamen populus supra regem erat, negare non potuit. Cùm tot tantique autores & nomen & rem regiam suā fide salvam regi præstiterint, etiam ubi populus penes se summam potestatem, tametsi exercere non solet, tamen, quoties opus est, obtinet, noli tam angusto animo summæ rerum Grammaticalium, hoc est vocabulorum, sic timere, ut potius quam glossarii tui ratio turbetur, aut detinimenti quid capiat, prodere libertatem omnium, & rempub. velis. Scito etiam dehinc, nomina rebus servire, non res nominibus ; ita plus sapies, nec *in infinitum*, quod metuis, ibis. *Frustra ergo Seneca tria illa genera statuum ita describit.* Frustratur Seneca, nos liberi sumus ; & nisi fallor, non ii sumus quos Flores Senecæ in servitutem reducant. Seneca autem, si summam in uno potestatem esse dicit, *populi tamen eam dicit esse, commissam videlicet regi ad salutem omnium, non ad perniciem ; nec mancipio, sed usu duntaxat à populo éatam.* Non jam ergo per deum reges regnant, sed per populum. Quasi verò deus non ita regat populum, ut cui deus vult, regnum tradat populus ; cum in ipsis institutionibus Imperator Justinianus palam agnoscar, exinde Cæsares regnasse, ex quo *lege regia populus iis & in eos omne imperium suum, & potestatem concessit.* Sed quoisque ista recoquemus ? Quæ jam toties refutavimus. Rursus, quod ingenium tuum importunum & agreste, mores odiosissimos indicat, in nostra repub. quæ ad te nihil pertinet, alienigena & peregrinus curiosum te infers. Accede igitur, ut te tanto ardellione dignum est, cum insigni solœcismo. *Quicquid, inquis, illi perditum herines dicunt, ad populum decipiendum pertinent.* O scelerate ! hoccine erat, quod diminutus capite Grammaticus in nostram rempub. te ingerere cupiebas, ut solœcismis nos tuis & barbarismis oppleres ? Verum tu dic populum quo modo decepimus ? *Forma regiminis quam introduxere non popularis est, sed militaris.* Ista scilicet grex ille persugatum mercedulâ conductum jussi te scribere : Non tibi igitur, qui ea blatis, quorum nihil intelligis, sed iis qui te pretio concuxerunt respondebitur. Quis ordinem procerum è Parlamento ejecit ? *An Populus ? Immo populus ; eoque factō servitutis jugum à cervicibus suis haud ferendum dejecit.* Ipsi milites, à quibus hoc factum dicis, non exteris, sed cives, & magna pars populi fuere ; idque cætero fere consentiente populo & cupiente, nec sine Parlamenti etiam auctoritate fecerunt. *An populus, inquis, plebeium ordinem domus inferioris mulieravit, alios fugando, &c.* Populus inquam ; quod enim Senatus pars potior, id est senior, fecit, in quo vera populi potestas residebat, quid ni id populum fecisse dicam ? Quid si servire, quid si venum rempub. dare, in Senatu plures maluerint, annon id impedit, & libertatem retinere, si in manu est suā, paucioribus licebit ? *At duces hoc fecerunt cum militibus suis.* Habenda igitur gratia est ducibus, quod operarios & tabernarios Londonenses (qui paulo antea, veluti fax illa Clodiana, ipsam curiam obsederant) ferocientes repulerint, reipub. non defuerint. Tunc idcirco jus Parlamenti primarium ac proprium, ut libertati imprimis populi sive pace sive bello propiciat, *militarem dominationem appellabis ?* Verum hoc à perduellibus dici, qui tibi ista dictarunt, non est mirum ; sic enim perditissima olim Antoniorum factio Senatum Romanum contra hostes patriæ

patriæ ad sagae euntē, *Castræ Pompei* appellare solebat. Jam verò fortissimis nostri exercitus ductori Cromuello, quod is amicorum lato agmine stipatus, non sine favore populi secundo, votis etiam bonorum omnium prosequentibus in bellum Hibernicum Deo gratissimum proficisceretur, invidisse tuos gaudeo; auditis enim postea tot ejus victoriis, jam arbitror eos livore contabuisse. Multa præterea quæ de Romanis militibus prolixè nugaris: quod sequitur à veritate remotissimum esse quis non videt? *Populi*, inquis, *potes*tas *esse* *definit* *nbi* *regis* *esse* *incipit*. Quo tandem jure? cum satis constet, omnes fere ubique gentium reges sub certis conditionibus traditum sibi regnum à populo accipere: quibus si rex non steterit, cur illa potestas, quæ fiduciaria tantum fuit, ad populum redire non debeat, tam à rege quam a consule, vel ab alio quovis magistratu, tu velim doceas: nam quod *salutem* *reipub.* id aīs *postulare*, ineptias dicis, cum salutis ratio eadem omnino sit, sive à rege, sive ab optimatibus, sive à triumviris imperio sibi tradito perperam utentibus potestas illa ad populum revertatur, posse autem à magistratibus quibuscumque præterquam à rege solo ad populum reverti ipse concedis. Sanè si neque regi, neque ullis magistratibus imperium in se populus mentis compos dederit, nisi tantummodo communis omnium salutis causâ, nihil potest obstare quo minus ob causas planè contrarias ne interitus omnium sequatur, haud secus regi quam aliis magistratibus, quod dedit imperium adimere possit: quid quod uni etiam facilius quam pluribus ademerit? & potestatem in se plusquam fiduciariam cuiquam mortalium tradere summae esset insania: neque credibile est ullum ab orbe terrarum condito populum, qui quidem suæ spontis esset, adeò miserè despississe, ut vel omnem prorsus potestatem ab se alienaret, aut suis magistratibus concreditam sine causis gravissimis ad se revocaret. Quod si discordiae, si bella intestina inde oriantur, regiū certè jus nullum inde oritur illius potestatis per vim retinendæ quam populus suam sibi vendicat. Ex quo efficitur, quod ad prudentiam populi, non ad jus regis referendum est, quodque nos non negamus, *rectorem* *non* *facile* *mutandum* *esse*: nunquam ergo aut nulla prorsus de causa, nullo modo sequitur: neque tu adhuc quicquam allegasti, neque jus ullum regis expromisti, quo minus liceat consentienti populo, regem haud idoneum regno privare; siquidem id, quod etiam in Gallia tua sapiū factum est, sine tumultu ac civili bello fieri possit. Cum itaque salus populi suprema lex sit, non salus tyranni, ac proinde populo in tyrannum, non tyranno in populum prodesse debeat, tu, qui tam sanctam legem, tam augustam tuis præstigiis pervertere es ausus, qui legem inter homines supremam, & populo maxime salutarem ad tyrannorum duntaxat impunitatem valere voluisti, tu inquam scito, quandoquidem Angli *Enthusiastæ*, & *Entkei*, & *vates* toties tibi sumus, me vate scito, Deum tibi atque homines tanti paculi ultores imminere: quanquam universum genus humanum subjicere tyrannis, id est, quantum in te suit, ad bestias damnare, hoc ipsum scelus tam immane sua partim in te ultio est, suis de furiis quocunque fugis terrarum atque oberras, vel citius vel seriū insequetur; & pejore etiam eā, quam nunc insanis, insania agitabit. Venio nunc ad alterum argumentum tuum, prioris haud dissimile; si populo resumere liceret potestatem suam, nihil tum esset discriminis inter popularem & regalem statum, nisi quod in hoc singuli rectores constituuntur, in illo plures, quid si nihil aliud interesset, nunquid inde respub. detrimenti caperet? Ecce autem aliae differentiae à temet ipso allatae, *temporis* *nimirum* & *successionis*; cum *populares* *magistratus* *annui* *fere* *sint*, reges, nisi quid committant, perpetui; & in eadem plerunque familia. Differant ergo inter se aut non differant, de ipsis enim minutis nihil labore, in hoc certè conveniunt, quod utrobiusque populus quoties id interest reipub. potest quam alteri potestatem salutis publicæ causâ tradiderat, eam ad se rursus nec injuriâ eandem ob causam revocare. *At lege regia Romæ* sic appellata, de quâ in *Institutis*, *populus Romanus* *principi* & in eum omne imperium suum, & potestatem concessit. Nempe vi Cæsarum coactus, qui honesto legis titulo suam tantummodo violentiam sanxerunt; de quo supra, id quod ipsi jurisconsulti in hunc locum non dissimulant. Quod igitur legitimè, & volente populo concessum non est, id revocabile quin sic non dubitamus. Veruntamen rationi maximè consentaneum est, populum Romanum non aliam potestatem transtulisse in principem, atque prius concesserat suis magistratibus; id est imperium legitimum & revocabile, non tyrranicum & absurdum; quocirca & consularem, & tribunitiam potestatem Cæsares recepero; dictatoriam nemo post Julium; populum in Circo adorare etiam solebant,

ut ex Tacito & Claudiano supra meminimus. Verum ut multi olim privati se in servitutem alteri vendiderunt, sic potest populus universus. O equitem ergastularium & mangonem, patriæ etiam tuæ æternum opprobrium! quem servitutis tam foedum procuratorem ac lenonem publicum etiam servitia infima cujusvis catastæ abhorre atque conspuere deberent! Sanè si populus hunc in modum se regibus mancipasset, possent & reges eundem populum alteri cuivis domino mancipare, aut pretio addicere; & tamen constat regem ne patrimonium quidem coronæ posse alienare. Qui igitur coronæ, quod aiunt, & patrimonii regii usumfructum solum à populo concessum habet, is populi ipsius manceps erit? Non si pertusis auribus utrisque perforatus eques, non si gypfatis pedibus curstares, tam esses omnium servorum vilissimus, quam nunc es, hujus tam pudendæ author sententiae. Perge poenas tuorum scelerum invitus, quod nunc facis, de temetipso sumere. Multa postremò de jure belli balbutis, quæ hic locum non habent; nam neque Carolus nos bello vicit, & majores ejus, et si maximè viciscent, isti tamen juri saepius renunciaverant; nec verò tam unquam vici fui-mus, ut nos in eorum nomen, illi in nostras leges non vicissim jurarent; quas cum Carolus insigniter violasset, vel olim victorem, vel nunc regem perjurum prius ab ipso lacerissiti armis debellavimus: ex tua autem sententia *quod armis queritur, transit in ejus dominium qui acquisivit.* Sis itaque deinceps hac in parte quām voles verbosus, sis quod in Solino dudum fuisti, exercitator Plinianus, blaterorum omnium verbolissimus, quicquid exinde argutaris, quicquid turbas, quicquid rabbinicaris, quicquid rauces ad finem usque hujus capititis, id totum non jam pro rege devicto, sed pro nobis divinâ ope victoribus contra regem desudare te scias.

## C A P. VII.

**P**ropter duo incommoda sanè maxima, & pro tuo pondere gravissima, potestatem populi esse regia majorem proximo capite negasti: quippe, si concederes, querendum regi aliud nomen esset, translato in populum regis vocabulo; & partitiones quædam politicæ conturbarentur: quorum alterum vocabularii dispendium foret, alterum, tuorum crux politicorum. Ad ea sic à nobis responsum est, ut primum salutis & libertatis nostræ, deinde etiam nomenclaturæ tuæ & politices habita nonnulla ratio esset. Nunc *aliis rationibus evindendum esse aīs, regem à sibi subjectis judicari non posse, quarum hæc erit maximè potens & valida, quod rex parem in suo regno non habeat.* Quid aīs? non habet rex in suo regno parem? quid ergo illi regis Franciæ duodecim vetustissimi Pares; an fabulae sunt & nugæ? an frustra & ad lucibrium sic nominati? Cave istam viris Galliæ Principibus contumeliam dixeris. Quod nisi revera sint regis pares, ut nominantur, vide ne in Franciæ regno potius quām in nostra repub. quod unicum tuā interest, glossario illudatur. Age verò, fac planum, non esse regi in regno suo parem. *Quia, inquis, populus Romanus post reges exactos, duos constituit Consules, non unum; ut si unus peccaret, coerceri à collega posset.* Vix fingi quicquam potuit ineptius: cur igitur unus duntaxat Consulum fasces apud se habuit, non uterque, si ad alterutrum coercendum alter datus erat? quid si etiam uterque contra rem publ. conjurasset, an meliore loco res fuisset, quām si collegam alteri nullum dedissent? Constat autem & ambos Consules & Magistratus omnes obtemperare Senatui semper debuisse, quoties id è repub. esse, patribus & plebi visum est. Illustri exemplo esse poterunt Decemviri; qui cùm potestate consulari, & summa prædicti essent, eos tamen omnes simul, etiam renitentes, patrum authoritas in ordinem coëgit; Consules etiam non-nullos, antequam magistratum depofuerant, hostes judicatos & contra eos sumpta arma esse legimus: hostilia enim facientem, esse consulem nemo putabat. Sic bellum contra Antonium Confulem Senatus autoritate est gestum: in quo vicitus poenas capititis dedislet, nisi Octavianus Cæsar regnum affectans evertendæ reipub. confilium cum eo iniislet. Jam quod hoc primum esse aīs Majestatis regalis, ut imperium penes unicum sit, haud minus lubricum est, & à te quidem ipso statim refellitur: *Judices, enim Hebreorum & singuli, & toto vite spatio imperium obtinebant;* Scriptura quoque reges eos vocat; & tamen à Synedrio magno jucicabantur.

dicabantur. Ita sit, dum dixisse omnia vis videri, ut nihil sere nisi pugnantia loquaris. Quārō deinde qualem tu formam regiminis esse dicas, cūm Romanum imperium duo simul trespve imperatores habuerunt; an imperatores tibi, id est reges, an optimates, an triumviri videntur fuisse? An vero dices Romanum imperium sub Antonino & Vero, sub Dioclesiano & Maximiano, sub Constantino & Licinio, non unum imperium fuisse? Jam ista tua *statuum tria genera* tuismē ipsius argutiis periclitantur, si reges isti non fuere: si fuere, non est ergo proprium imperii regii, ut penes unicum sit. Alter, inquis, horum si delinquat, potest alter de eo referre ad populum vel ad senatum, ut accusetur & condemnetur. Annon ergo judicat vel populus vel Senatus ad quos alter illi refert? Si quid igitur ipse tribuis tibi, collegā opus non erat ad judicandum collegam. Heu te defensorem, nisi execrabilis potius esses, planè miserandum! undique que iōtibus adeò opportunum, ut si forte per lusum destinare quis vellat, quovis te loco punctum ferire, vix esse credo ubi temerè possit aberrare. Ridiculum esse statuis, regem in se judices dare velle à quibus capite damnaretur. Atqui ego non ridiculum, sed optimum tibi oppono imperatorem Traianum; qui præfectum prætorio Saburanum, cum ei insigne potestatis, uti mos erat, pugionem daret, crebrò sic monuit. Accipe hunc gladium pro me, si recte agam; si aliter, in me magis, quod moderatorem omnium vel errare minus fas sit. Hæc Dion & Aurelius Victor. Vides ut judicem in se statuerit imperator egregius quamvis non parem. Hoc idem Tiberius per simulationem & vaniloquentiam fortasse dixisset; Traianum autem virum optimum & sanctissimum non id ex animo dixisse quod verum, quod jus & fas esse sentiebat, scelestus penè sit qui arbitretur. Quanto justius ergo Senatui, cum viribus superior potuerit non parere, planè ex offici ratione paruit; & jure superiore est faslus. De quo Plinius in Panegyrico. *Senatus ut susciperet quartum Consulatum & rogavit & jussit; imperii hoc verbum non adulatio nis esse, obsequio tuo crede: & paulo post, hæc nempe intentio tua ut libertatem revoce ac reducas.* Quod Traianus de se, idem Senatus de Traiano sensit, suāmque autoritatem revera esse supremam; nam qui imperatorem jubere potuit, potuit eundem & judicare. Sic Marcus Aurelius imperator, cum præfectus Syriæ Cassius regnum ei eripere conaretur, obtulit se in judicium vel Senatui vel Populo Romano; paratus regno cedere siquidem iis ita videretur. Jam verò quis rectius aut melius de jure regio existimare & statuere queat, quām ex ore ipso regum optimorum? Profectò jure naturali rex quisque bonus vel senatum vel populum habet sibi semper & parem & superiorem: Tyrannus autem cum naturā infimus omnium sit, nemo non illi par atque superior existimandus est, quicunque viribus plus valet. Quemadmodum enim à vi olim ad leges duce naturā deuentum est, ita, ubi leges pro nihilo habentur, necessariò, eadem etiam duce, ad vim est redeundum. *Hoc sentire, inquit Cicerio pro Sestio, prudentia est; facere, fortitudinis; & sentire verò & facere, perfecta cumulative virtutis.* Maneat hoc igitur in natura, nullis parasitorum artibus concutiendum, rege sive bono, sive malo, vel senatum vel populum esse superiorem. Quod & ipse confiteris, cum potestatem regiam à populo in regem transiisse dicis. Quam enim regi potestatem dedit, eam natura, ac virtute quadam, vel ut ita dicam virtualiter, etiam cum alteri dederit, tamen in se habet. Quæ enim causæ naturales isto modo per eminentiam quandam quidvis efficiunt, plus semper suæ retinent virtutis quām impertiunt; nec impertiendo se exhauiunt. Vides, quo propius ad naturam accedimus, eò evidentius potestatem populi supra regiam eminere. Illud etiam constat, populum, modò id ei liberum sit, potestatem regi suam simpliciter & mancipio nunquam dare, neque naturā posse dare; sed tantum salutis & libertatis publicæ causā, quam cum rex procurare destiterit, intelligitur populum nihil dedisse; quia certo fini tantummodo dedit, monente ipsa naturā; quem finem si neque natura neque populus assequitur, non erit magis ratum quod dedit, quām pactum quodvis aut foedus irritum. His rationibus firmissime probatur superiorem rege esse populum; unde argumentum hoc tuum *maxime potens & validum, non posse regem judicari quia parem in suo regno non habet, nec superiorem, diluitur.* Id enim assulmis quod nulla modo concedimus. In populari statu, inquis, *Magistratus à populo positus ab eodem ob crimen plebi potest; in statu Aristocratico optimates, ab iis quos habent collegas, sed pro monstrō est, ut rex in regno suo cogatur causam capitum dicere.* Quid nunc aliud concludis quām miserrimos esse omnium & stultissimos, qui regem sibi constituunt? Sed quamobrem, quæso, non poterit populus tam regem punire

punire reum, quām popularem magistratum, aut optimates? An putas omnes populos qui sūb regibus vivunt, amore servitutis usque eō deperiisse, ut, liberi cum essent, servire maluerint, séque omnes, séque totos in unius dominium vi- ri sāpe mali, sāpe stulti ita tradere, ut contra dominum, si fors ferat, immānissimum nullum in legibus, nullum in natura ipsa prāsidium salutis, aut persu- gium sibi reliquerint? cur ergo regibus primo regnum ineuntibus conditiones ferunt, cur leges etiam dant regnandi, an ut sperni se eō magis atque irriteri paterentur? adeōne populum universum se abjicere, se deserere, sibi deesse, spem omnem in uno homine, eōque fere vanissimo, collocare? cur item jurant reges nihil se contra legem facturos? ut discant nempe miseri mortales suo maximo malo, solis licere regibus impunē pejerare. Id quod hāc tua nefanda conseūtaria demonstrant. *Si rex qui eligitur, aliqua vel cūm sacramento promiserit, quāc nīs promisisset, fortasse nec sumptus esset, si st̄are nolit conventis, à populo judicari non potest.* Immo si subditis suis juraverit in electione, se secundum leges regni justitiam ad- ministraturum, & nīs id faciat, eos sacramento fidelitatis fore solutos, & factō ipso abi- turum esse potestate, à Deo non ab hominib⁹ pēna in fallentem exposcenda est. De- scripsi hāc, non ob elegantiam, sunt enim inculpissima, nec quod amplius refuta- tionis indigeant, etenim ipsa se refutant, se explodunt, se damnant apertissimā fallitate sua, atque turpitudine; sed eō feci, ut ob merita tua egregia com- mendarem te regibus: qui inter officia aulæ tam multa aliquem dignitatis locum, aut munus idoneum tibi prospiciant: cum enim alii sint à rationib⁹, alii à poculis, alii à voluptatibus, tu iis commodissimè sanè eris à perju- riis; tu regiæ non elegantiæ, nam inscitus nimium es, sed perfidiæ summus ar- biter eris. Verū ut summam in te stultitiam summā improbitate conjun- ctam esse omnes fateantur, expendamus paulo accuratiūs præclara illa, quāc proximè affirmasti: *Rex, inquis, et si subditis juraverit in electione, se secundum leges regnaturum, & ni faciat, eos sacramento fidelitatis solutos fore, & se factō ipso abiturum potestate, abdicari tamen aut puniri ab iis non poterit.* Qui minus quās rex quām popularis magistratus? quia in eo regimine populus non omnem transfundit potestatem suam ad magistratum. An hic igitur in regem? cui regnum in se non diutius tradunt, quām id benē gesserit. Tam itaque rex juratus in leges, reus abjici aut puniri poterit, quām popularis magistratus. Nam argumento illo Pancratico omnis in regem translatae potestatis, amplius uti non potes, quod tuis ipse machinis imprudens arietasti. Cognoscite nunc aliām po- tertissimā & invictam ejus rationem cur subditi regem judicare nequeant, quia legibus solutos est, quia leges solas rex omnes fert; quāc cum falsissima esse jam toties pro- baverim, hēc etiam invicta tua ratio cum priore ad nihilum recidit. Cæterū rex ob delicta quāvis privata, utpote stuprum, adulterium, & similia, si raro pleſtitur, non tam justitia quam æquitate id fit, ne plus turbarum ex morte re- gis, & rerum mutatione populo eveniat, quām boni ex uno atque altero vindica- to. Ex quo verò omnibus gravis & intolerandus esse incipit, tum quidem, quo- quo possunt modo, judicatum vel injudicatum omnes nationes tyrannum occide- re fas esse semper credidere. Unde Marcus Tullius in secunda Philippica de Cæsar's interfectoribus. *Hi primi cum gladiis non in regnum appetentem, sed in reg- nantem impetum fecerunt: quod cum ipsum factum per se præclarum atque divinum est, tum est positum ad imitandum.* Quām hujus tu dissimilis! Homicidium, adulterium, injuria, non hēc crīmina regia sunt, sed privata. Euge parasite, lenones jam omnes & propudia aulica hac voce demeruisti; O quām lepidē simul & parasitari, & eadem operā lenocinari! Rex adulter bene potest regnare, & homicida, ideoque vita privari non debet, quia cum vita regno quoque exueretur; at nunquam hoc fuit probatum legibus divinis aut humanis, ut duplex vindicta de uno crimine sumeretur. Os impurum & infame! eadem ratione nec populares magistratus, nec optimates, ne dupli- poenā afficerentur, ne judex quidam, aut senator flagitiosus poenas capite ullas persolvere dehebit; cum vita enim & ipsi suo magistratu privarentur. Ut potestatem, sic majestatem etiam populo adimere & in regem con- tere studes; vicariam si vis & translatitiam, primatiam certè non potes, uti nec potestatem. Crimen, inquis, majestatis non potest committere rex adversus popu- lum suum; potest autem populus adversus regem. Et tamen rex propter populum duntaxat rex est, non populus propter regem. Populus igitur universus aut pars major plus semper rege debet posse: negas, & calculos ponis, plus fonsq; gram singuli, bini, terni, deni, centeni, milleni, decies milleni. Esto. Plus quam dimidia pars po- puli. Non repugno. Quid si alterius dimidiae pars altera accedat, an non adhuc plus peterit?

poterit? Minimè. Progredere; quid aucti abacum, peritissime Logista, an progressionem Arithmeticam non calles? Vertit rationes, & annon rex cum optimatibus plus potestatis habeat, querit; iterum nego, Vertumne, si pro optimatibus proceres intelligas; quoniam accidere potest, ut nemo inter eos optimatis nomine sit dignus: fit etiam saepius, ut multo plures de plebe sint, qui virtute & sapientia proceres antecellant; quibus cum pars populi major vel potior accedit, eos universi populi instar esse haud verear dicere. At si plus quam universi non potest, ergo rex erit tantum singulorum, non omnium universum sumptuum, recte; nisi ipsi voluerint. Rationes jam subducito; compries te imperite supplicando fortis perdidisse. Dicunt Angli penes populum jus majestatis ex origine & natura residere, hoc verò est omnium statuum eversionem inducere. Etiamne Aristocratiæ, & Democratiae? Credibile sane narras: Quid si etiam Gynaecocratiæ, sub quo statu ferunt te domi propemodùm vapulare, annon bearent te Angli, O perpusilli homo animi? Sed hoc frustra speraveris; æquissimè enim est comparatum, ut qui tyrannidem foris imponere omnibus cupias, ipse domi tuæ servitutem servias turpissimam, & minimè virilem. Doceamus te oportet, inquis, quid nomine populi intelligi velimus. Per multa sunt, quæ te doceri potius oporteret; nam quæ te proprius attinunt, videris ea penitus nescire, & præter literulas nihil unquam didicisse, ne percipere quidem potuisse. Hoc tamen scire te putas, nos populi nomine plebem solum intelligere quod optimatum concessum abrogavimus. At illud est ipsum quod demonstrat nos populi vocabulo omnes ordinis cuiuscunq; cives comprehendere; qui unam tantummodo populi curiam supremam stabilivimus, in qua etiam proceres, ut pars populi, non pro se se quidem solis, ut antea, sed pro iis municipiis, à quibus electi fuerint, suffragio ferendi legitimum jus habent. Inveheris deinde in plebem, cacam eam & brutam, regendi artem non habere, nil plebe ventosins, vanius, levius, mobilius. Conveniunt in te optimè hæc omnia; & de infima quidem plebe sunt etiam vera, de media non item; quo ex numero prudentissimi fere sunt viri, & rerum peritissimi: cæteros hinc luxus & opulentia inde egestas & inopia à virtute, & civilis prudentiæ studio plerunque avertit. Plures nunc esse modos asseris regum constitendorum qui nihil populo debent hoc nomine, & imprimis ille qui regnum habent hereditarium. At verò servæ sint istæ nationes oportet, & ad servitutem natæ, quæ tales agnoscant dominum, cui se sine affensi suo hereditate obvenisse credant: pro civibus certe, aut ingenuis & liberis haberi non possunt; nec rem publ. habere ullam censendæ; quin immò inter facultates & possessiones quasi heri sui, & herilis filii numerandæ sunt: nam quod ad jus dominii, quid distent à servitiis & pecoribus non video. Secundò, qui armis sibi regnum fecit, populum, inquis, non potest auctores agnoscere imperii prolati vel usurpati. At nobis non de victore, sed de subacto rege sermo nunc est; quid victor possit, aliás disputabimus, tu hoc age. Quod autem regi jus patrisfamilias antiquum toties attribuis, ut inde absolute potestatis in regibus exemplum petas, dissimillimum id esse jam saepius ostendi: Aristoteles etiam ille quem crepas vel initio politicorum, si legisses, idem te docuisset: ubi ait male eos judicare, qui inter patremfamilias & regem parùm interest existimant; regnum enim à familia, non numero solum, sed specie differre. Postquam enim pagi in oppida & urbes crevere, evanuit paulatim jus illud regale familie, & agnosci desistit. Hinc scribit Diodorus l. 1. regna antiquitùs dari non regum filiis, sed iis quorum maxima in populum beneficia extiterunt. Et Justinus, Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes reges erat; quos ad fastigium hujus majestatis, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Unde perspicuum est, in ipso gentium principio, imperium paternum & hereditarium virtuti, & populari statim juri cessisse. Quæ origo imperii regii & ratio & causa maximè naturalis est. Ob eam enim ipsam causam primò homines in unum convenere, non ut unus omnes insultaret, sed ut quocunque alterum laedente, ne lex deesset, neve judex inter homines, quo læsus aut defendatur aut saltem vindicetur. Dispersos olim homines & dispersos disertus aliquis, & sapiens ad vitam civilem traduxit; tu hoc maximè consilio, inquis, ut in congregatos imperium haberet. Nimbrotum fortasse intelligis, qui tyrannorum primus fuisse dicitur: vel hæc tua solius malitia est, quæ in illos olim magnos & excelsi animi viros cadere non potuit, tuum solius commentum, à nemine, quod sciām, ante te traditum; cum utilitatem & salutem generis humani, non sua commoda, suumque dominatum respexit illos primos urbium conditores, antiquorum omnium monumentis proditum sit. Unum præterire

non possum, quo tu veluti emblemate quodam exornare credo cætera hujus capitis voluisti: si consulem, inquis, in judicium venire oportuisset, priusquam magistratu abisset, dictator ad hoc creandus fuisset, cum initio dixeris, ideo collegam ei fuisse datum. Sic tua semper inter se congruunt, & quid de quaue re dicas, quidve scribas, quam nullius momenti sit, paginis fere singulis declarant. Sub antiquis regibus Anglosaxonis plebem, aïs, ad comitia regni nunquam vocari solitam esse. Si quis nostrorum hoc affirmasset, possem eum haud multo negotio erroris arguere; tua ista peregrina affirmatione res nostras hallucinante minùs moveror. Et de communi regum jure quæ habuisti hæc ferè sunt. Reliqua multa, nam & særissimè devius esse soles, prætermitto, vel quæ fundamento nituntur nullo, vel quæ extra causam posita sunt: non enim id operam do, ut tibi par esse loquacitate videar.

## C A P. VIII.

**S**I de communi regum jure, Salmasi, quæ sentires, ea sine contumelia cuiusquam protulisses, quamvis in hac rerum apud Anglos mutatione, tamen, cum libertate scribendi uterere tuâ, neque erat cur quisquam Anglorum tibi succenseret, neque in asserenda, quam tueris, sententia minus effecisses. Nam si hoc & Mosis & Christi præceptum est omnes regibus suis tam bonis quam malis subjici, sive Hispanos, sive Gallos, sive Italos, sive Germanos, sive Anglos, sive Scotos, quod supra (p. 127.) affirmabas, quid attinebat te exterum & ignotum jura nostra balbutire, eaque velle nobis è cathedra quasi schedulas tuas, & miscellanea prælegere, quæ utcunque legibus divinis debere cedere multis antea verbis docueras? Nunc satis constat non tam tuopte ingenio, ad causam regiam adiecisse te animum, quam partim pretio, pro ejus, qui te conduxit, copia, maximo, partim spe præmii cujusdam majoris conductum fuisse, ut Anglos vicinorum nemini molestos, rerum tantummodo suauum arbitros libello infami lacerares. Hoc nisi esset, quenquām tanta credibile est impudentia esse aut infania, ut longinquus & extraneus immergere se gratis in res nostras, ad partes etiam se adjungere non dubitaret? Nam quid tua malum refert quid rerum Angli inter se gerant? Quid tibi vis Ole, quid tibi quæris? nihilne domi habes quod ad te pertinet? Utinam eadem haberet quæ habuit ille notissimus in epigrammate Olus; & fortasse habes; dignus profectò es. An uxori tuâ stimulatrix illa, quæ ut in gratiam exulis Caroli hæc scriberes etiam currentem incitasse fertur, ampliores forte in Anglia professiones, & honoraria nescio quæ, redeunte Carolo, eminata tibi est? At scitote foemina Virque, non esse locum in Anglia neque lupo neque lupi Domino. Unde mirum non est te toties in molosso nostros tantum rabiem effudisse. Quin redis ad illustres illos in Gallia titulos tuos, & imprimis ad famelicum illum Lupi dominatum, deinde ad consistorium illud regis Christianissimi sacrum; nimis longo intervallo consiliarius peregrè abes à patriâ. Verum illa, quod planè video, neq; te desiderat neque consilia tua; ne cum redires quidam paucis ab hinc annis, & culinam Cardinalitiam olsacere & sectari coepisses: sapit mehercule, sapit, teque oberrare semivirum Gallum cum uxore viro, & refertissimis inaniarum scriniis facile finit; donec stipem sive equiti grammaticæ, sive illustri Hippocratico satis largam alicubi gentium inveneris; si cui fert animus regi vel civitati, doctorem erraticum & venalem mercede maximâ liceri. Sed ecce tibi licitatem; vendibilis necne sis, & quanti, jam statim videbimus. Pertendunt, inquis, Parricide, regni Anglicani statum mixtum esse, non mere regium. Pertendit idem sub Edvardo 6. Smithus noster, jurisconsultus idem bonus, & politicus, quem fuisse parricidam non dices, ejus libri fæcè initio, quem de repub. Anglicana scripsit; neque id de nostrâ solùm, sed de omni penè repub. idque ex Aristotelis sententia verum esse affirmat; neque aliter ullam rem pub. stare posse. At enim quasi piaculum esse crederes quicquam dicere sine repugnantius, ad priores illas & jam tritissimas foedè revolveris. Nullam gentem aïs esse nec fuisse unquam quæ regis appellatione non intellexerit eam potestatem quæ solo deo minor est, quaque solum Deum iudicem haberet; & tamen paulo post fateris, nomen regis datum vel olim fuisse ejusmodi potestatibus & magistratibus qui plenum & liberum jus non haberent, sed à populi nutu dependens, ut suffetes Cartaginensem,

*thaginiensium, iudices Hebraorum, reges Lacedemoniorum, & postremo Arragonensium.*  
 Satisne bellè tibi constas? Tum quinque monarchiæ species ex Aristotele recenses, quarum una tantum jus illud obtinuit quod tu regibus commune omnibus esse dicis. De qua haud semel jam dictum est, nullum ejus exemplum vel ab Aristotele allatum, vel usquam extitisse: quatuor reliquas, & legitimas, & legibus suis minores dilucidè ostendit. Primum horum erat regnum Laconicum, & maximè quidem ejus sententia regnum, eorum quatuor quæ legitima erant. Secundum erat barbaricum, hoc solo diuturnum quia legitimum, & volente populo: nolente autem, omnis rex continuò non erit rex sed tyrannus, si invito populo regnum retinuerit, eodem teste Aristotele, lib. 5. Idem de tertia regum specie dicendum est, quos ille Æsymnetas vocat, electos à populo, & ad certum plerunque tempus, certasque causas, quales fere apud Romanos fuere Dictatores. Quarta species eorum est, qui Heroicis temporibus regnabant, quibus ob egregia merita regnum ultro à populo delatum erat, sed legitimum tamen; neque verò hi nisi volente populo regnum tenebant, nec aliâ re magis differre has quatuor regni species à tyrannide aii: quam quod illic volente, hic invito populo regnetur. Quinta denique regni species, quæ πρωταρια dicitur, & est cum summa potestate, quale tu jus regum omnium esse vis, à philosopho planè damnatur, ut neque utile, neque justum, neque naturale, nisi sit ut populus ferre possit istiusmodi regnum, iisque deferat qui virtute aliis omnibus longè prælacent. Hæc tertio politicorum, cuivis obvia sunt. Verum tu, credo, ut vel semel ingeniosus & floridus esse videceret, has quinque monarchiæ species quinque zonis mundi assimilare gestiebas; Inter duo extrema potentia regalis tres aliae species interpositæ magis temperatae videntur, ut inter zonas torridam & frigidam, que media jacent. Festivum caput! quam pulchras nobis similitudines semper concinnas! Tu igitur, quod regnum absolute potestatis ipse damnas, ad zonam frigidam hinc ocyus amolire; quæ post adventum illic tuum plus duplo frigebit: nos interim à te novo Archimede sphæram illam, quam describis, mirabilem expectamus, in qua duæ sicut extremæ zonæ, una torrida, altera frigida, tres mediae temperatae. Reges, inquis, *Lacedemoniorum in vincula conjicias erat, morte multari fas non erat.* Quare? an quia damnatum capite Agidem lictoris & peregrini milites rei ncxitate perculsi, regem ducere ad mortem non esse fas existimabant? Et populus quidem Spartanus ejus mortem ægrè tulit, non quod rex capitali suppicio affectus fuerit, sed quod bonus, & popularis, factione divitum judicio illo circumventus esset. Sic itaque Plutarchus, *primus rex Agis ab ephoris est morte multatus;* quibus verbis non quid fas, sed quid factum sit, tantummodo narrat. Nam qui regem in jus ducere, vel etiam in vincula possunt, illos non posse eundem suppicio ultimo afficere, puerile est credere. Accingeris jam tandem ad jus regum Anglicorum. Rex, inquis, in Anglia unus semper fuit. Hoc eo dicas, quia modò dixeras, *rex non est nisi unus sit & unicus.* Quod si ita est, aliquot sanè quos credebam Angliæ reges suis, non erant: nam ut multos omittam Saxoniorum, qui consortes imperii vel filios vel fratres habuere, constat Henricum 2. è stirpe Normanica cum filio regnasse. Ostendant, inquis, aliquod regnum sub unius imperio cui non potestas absolute adjuncta fuerit, in quibusdam tamen magis remissa, in aliis magis intenta. Ostende tu potestatem absolutam remissam, aline; annon absoluta est summa? Quomodo ergo summa & remissa simul erit? quo scunque fateberis reges cum remissa potestate esse eos non esse cum absoluta facile vincam; inferiores proinde esse populo naturâ libero, qui & suus ipse legislator est, & potestatem regiam vel intendere, vel remittere potest. Britannia, an tota olim regibus paruerit, incertum: Verisimilius est, prout tempora ferebant, nunc hanc nunc illam reipublicam adhibuisse. Hinc Tacitus, *Britanni olim regibus parebant, nunc per principes factionibus & studiis trahuntur.* Deserti à Romanis, xl circiter annos sine regibus fuere: regnum itaque perpetuum, quod affirmas, antiquitus non fuit; suis autem hæreditarium præcisc nego; quod & regum series, & mos creandi eorum demonstrat: disertis enim verbis petuntur populi suffragia. Postquam enim rex consuetum juramentum dedit, accedens archiepiscopus ad quatuor partes exstructi suggesti toties rogat populum universum his verbis, *consentire vultis de habendo ipsum regem?* planè ac si Romano more dixisset, vultis, jubetis hunc regnare? quod opus non foret, si regnum jure esset hæreditarium; verum apud reges usurpatio pro jure sæpiissimè obtinet. Tu Caroli bello toties victi jus regium jure belli fundare admiteris: Guilielmus scilicet cognomento conqueror nos

subjugavit. At sciunt qui in nostra historia peregrini non sunt, Anglorum opes uno illo prælio Hastingsi non adeò attritas fuisse, quin bellum facile instaurare potuissent. Sed regem accipere, quām victorem & tyrrannum pati malebant. Dant itaque jusjurandum Guilielmo, se fidem ei servaturos: dat pariter Guilielmus juramentum illis, admotus altari, se omnia, quæ par est bonum regem, iis esse vicissim præstirum. Cum falleret fidem, & rursus Angli arma caperent, diffusus ipse suis viribus juravit denuò, tactis Evangelii, antiquas se leges Angliae observaturum. Si postea igitur Anglos miserè afflxit, non id jure belli, sed jure perjurii fecit. Certum est præterea jam multis ab hinc seculis viatos & victores in unam gentem coaluisse; ut jus illud belli, si quod unquam fuit, antiquari jam diu necesse sit. Ipsius verba morientis quæ ex libro Cadomensi fide dignissimo descripta reddimus, omnem dubitationem tollunt. *Neminem, inquit, Angli regni constituo hæredem.* Qua voce jus illud belli, simulq; illud hæreditarium, cum ipso mortuo Guilielmo conclamatum atque sepultum est. Video nunc aliquam te in aula dignitatem, quod prædicti fore, esse adeptum, summus nimurum aulicæ astutiae quæstor regius & procurator es factus. Unde hoc quod sequitur videris ex officio scribere, Vir magnifice. *Si quis prædecessorum regum factionibus procerum, vel seditionibus plebis coactus, aliquid de suo jure remiserit, id non potest successori obesse, quin id iterum sibi vindicet.* Rectè mones: iraque si quo tempore majores nostri aliquid de jure suo per ignaviam amisere, an id Oberit nobis, eorum posteris? Pro se illi quidem servitutem spondere, si vellet, pro nobis certè non poterant; quibus idem semper jus erit nosmet librandi, quod illis erat in servitutem se cuilibet tradendi. Miraris quid faciat, ut rex Britannæ hodie debeat haberi pro magistratu tantum regni, qui autem alia regna in Christianitate obtinent, plenâ & liberâ potestate polleant. De Scotia remitto te ad Buchenatum, de Gallia etiam tua, ubi hospes esse videris, ad Francogalliam Hotomani, & Girardum Franciæ Historicum, de cæteris ad alios, quorum nulli quod sciam Independentes erant: ex quibus de jure regio longè alia poteras didicisse, quām quæ doces. Cūm jure belli tyrannidem regibus Angliae asserere nequiveris, facis jam periculum in jure parasitico. Edicunt reges se regnare *Dei gratiâ*: quid si Deos se esse edixissent? te credo flaminem facile erant habituri: Sic Pontifex Cantuariensis *Dei providentiâ* archiepiscopari præ se tulit. Tūne ista fatuitate Papam non vis esse regem in Ecclesia, ut regem constituere plusquam Papam in repub. possis? At in regni statutis appellatur *rex Dominus noster*. Mirus tu quidem statutorum nostrorum nomenclator repente evalisti; nescis tamen multos dici dominos qui non sunt; nescis quām iniquum sit ex titulis honoratiis, ne dicam adulatoriis, de jure & veritate rerum statuere. Eodem refet quod *Parlementum regis* dicitur: nam & frænum regis vocatur; adeoque non magis rex Parlamenti est dominus, quām equus est sui dominus fræni. At *cur non regis Parliamentum, cum ab eo convocetur?* Dicam tibi, quia convocatur etiam senatus à Consule, neque propterea dominus illius concilii erat. Quod itaque rex Parlamentum convocat, id facit pro officio suo ac munere quod à populo acceptit, ut etiam quos convocat, eos de arduis regni negotiis consuleret, non de suis: aut siqua dici sua possunt, de iis postremo semper loco agi solitum erat; ad arbitrium etiam Parlamenti, non suum. Nec verò ignorant, quorum id interest scire, Parlamentum sive vocatum, sive non vocatum, bis intra vertentem annum antiquitus ex lege potuisse convenire. At *regis etiam leges nuncupantur*. Sunt istæ quidem ad regem phaleræ; rex autem Angliae legem ferre per se potest nullam; neque enim ad leges ferendas, sed ad custodiendas à populo latae constitutus erat. Tūque hic fateris *congregari* idcirco *Parliamentum* ut leges conderet. Quapropter & lex Terræ vocatur, & lex populi: Unde Ethelstanus rex in præfatione legum, ubi omnes alloquitur, *vebis*, inquit, *lege vestri* omnia largitus sum: & in formula juramenti quo reges Angliae antequam crearentur obstringere se solebant, sic populus à rege stipulatur. *Concedis justas leges quas vulgus elegit?* responderet rex, *concedo*. Erras etiam tota Anglia, qui regem quo tempore *Parlementum* non habetur, plenè planèque totum regni statum regio jure gubernare aīs. Nam neque de bello, neque de pace quod magni sit momenti, quicquam decernere, ne in jure quidem dicundo curiarum decretis intercedere potest. Jurant itaque judices nihil se in judiciis exercendis nisi ex lege facturos, etiamsi rex ipse dicto, aut mandato, vel etiam literis proprio annulo obsignatis ultet imperaret. Hinc saepius in nostro jure rex *infans* dicitur; nec sua jura aut dignitates,

nitates, nisi pueri aut pupilli in modum, possidere. Spec. Just. c. 4. sect. 22. hinc etiam illud apud nos crebro dici solitum, *rex non potest facere injuriam*: Quod tu hoc modo sceleratè interpretaris, *non est injuria quam facit rex, qui in eo non punitur*. Admirabilem hominis impudentiam & improbitatem vel hoc solo interpretamento quis non perspiciat? *Capitis est imperare*, inquis, *non membrorum, rex Parlamenti caput est*. Siccine nugarere, si cor tibi saperet? erras iterum (sed quis finis errorum est tuorum) in quo regis consiliarios à Parlamenti ordinibus non distinguis; nam neque illos quidem omnes, horum verò nullos reliquis non probatos eligere debebat rex; in plebeium autem ordinem ut quenquam eligeret, id sibi ne sumebat quidem unquam. Quibus id muneric populus delegabat, per municipia singuli suffragiis omnium eligebantur; notissima loquor, eoque brevior sum. *Falsum autem esse aīs, quod sanctæ Independentie cultores asserunt, Parlamentum à populo fuisse institutum*. Video jam quid sit cur papatum tanto impetu evertere contendas: alium ipse papatum in alvo, quod aiunt, gestas: quid enim aliud uxor uxoris, lupus ex lupa gravidus, nisi aut portentum, aut papatum aliquem novum parturire te oportebat? Certè Papa germanus quasi jam: es, sanctos & sanctas pro arbitrio facis; reges etiam omni peccato absolvis, &, quasi strato jam hoste, ejus exuvii opimum te ornas. Verum quia papa nondum per te planè cecidit, dum libri illius tui de Primatu, secunda & tertia, & fortasse quarta & quinta pars prodierit, qui multos mortales tædio prius enecabit, quam tu papam eo libro subegeris, sic satis interea, quæso, ad Antipapatum saltem aliquem posse ascendere; est altera, quam tu, præter illam Independentiam abs te irrisam, sanctorum in numerum seriò retulisti. Tyrannis regia: sanctæ ergo Tyrannidis regiæ tu Pontifex eris Maximus; & nequid desit tibi ad Papales titulos, *Servus etiam servorum* eris, non Dei, sed aulæ; quoniam illa Chenaani maledictio adhæsisse tibi ad præcordia videtur. *Bestiam appellas populum*. Quid interim es ipse? Non enim sacrum illud consistorium, neque sanctus ille Lopus te dominum suum aut populo exemerit aut vulgo; neque effecerit, quin, sicuti es, teterima ipse bestia sis. Certè libri sacri propheticæ magnorum regum monarchiam & dominationem immanis Bestiæ nomine ac specie adumbrare solent. *Sub regibus ante Guilielmum*, inquis, *nulla Parlamenti mentio existat*. De vocabulo Gallicano alterari non liber: res semper fuit: & Saxonis temporibus *Concilium Sapientum* vocari solitum concedis. Sapientes autem tam sunt plebis, quam procerum ex numero. At in statuto Mertonensi, *vigesimo Hen. 3. comitum & baronum tantum fit mentio*. Ita te semper nomina decipiunt, qui tantum in nominibus ætatem omnem contrivisti; nobis enim satis constat, & quinqueportuum curatores, & decuriones urbicos, nonnunquam & mercatores illo seculo baronum nomine appellatos fuisse, neque dubium omnino est, quin Parlamenti quosque Senatores quantumvis plebeios, aetas illa jure multò potiore barones nuncupaverit: nam & anno ejusdem regis 52 tam nobiles, quam plebeios fuisse convocatos, Marlbrigii statutum, sicut & reliqua fere statuta omnia disertis verbis testantur: quos etiam plebeios, comitatuum magnates Edouardus tertius in præfatione Statuti Stapli, quam perdoctè pro me recitas, vocavit; eos nimirum *qui de singulis ciuitatibus pro toto comitatu venerant*; qui quidem plebeium ordinem constituebant, neque erant proceres, aut esse poterant: Tradit etiam liber statutis illis vetustior, qui inscribitur, *Modus habendi Parlamenta*, licere regi cum plebe sola Parlamentum habere, legesque ferre, quamvis Comites & Episcopi non adsint; non itidem licere regi cum comitibus & episcopis, si plebs non aderit. Hujus rei ratio quoque adjicitur; quia cum nondum Comites aut episcopi constituti essent, reges cum populo tamen Parlamenta, & Concilia peragebant: deinde comites pro se tantum veniunt; plebeii pro suo quisque municipio. Ex quo iste ordo universi populi nomine adesse intelligitur; eoque nomine & potiorum, & nobiliorem ordine patricio, omnique ex parte anteponendum esse. Sed judicandi potestas, inquis, *penes domum plebeiam nunquam fuit*. Neque penes regem Angliae fuit unquam: illud tamen memineris, principio omnem potestatem a populo fluxisse, & etiamnum profici sci. Quod & Marcus Tullius de lege agraria pulcherrimè ostendit. *Cum omnes potestates, imperia, curationes ab universo populo profici sci convenit, tum eas projectò maxime, quæ constituuntur ad populi fructum aliquem, & commodum; in quo & universi deligant quem populo maximè consulturum putent, & unusquisque studio & suffragio suo viam sibi ad beneficium imperandum munire possit*. Vides Parlamentorum veram originem, illis Saxonis archivis lon-

gè vetustiorem. Dum in hac luce veritatis & sapientiae versari licebit, frustra nobis obscuriorum ætatum tenebras offundere conaris. Quod non eò dici à me quisquam existimet, quasi ego de authoritate & prudentiâ majorum nostrorum detrahi quicquam velim; qui in legibus bonis ferendis plus sanè præstiterunt, quam vel illa secula, vel illorum ingenium & cultus tulisse videatur: & quamvis leges raro non bonas irrogarent, ignorantia tamen, & imbecillitatis humanae sibi consciæ, hoc veluti fundamentum legum omnium posteris tradi voluerunt, quod & nostri Jurisperiti omnes agnoscunt, ut si qua lex aut consuetudo legi divinæ aut naturali, aut rationi denique repugnaret, ea ne pro lege sanctitâ habeatur. Unde tu, etiam si edictum fortasse aliquod aut statutum in jure nostro, quo regi tyrannica potestas attribuatur, invenire posse, id, cum & divinae voluntati, & naturæ, & rationi contrarium sit, intelligito, ex generali & primariâ ista lege nostra quam attuli, rescindi apud nos, & ratum non esse; verum tu jus nullum tale regium apud nos invenies. Cum enim judicandi potestas primitùs in ipso populo fuisse constet, Anglos autem eam ab se in regem nullâ lege regia unquam transtulisse, neminem enim judicare aut solet aut potest rex Angliæ, nisi per leges provisas jam & approbatas: Fleta I. 1. c. 17. sequitur eandem adhuc integrum atque totam in populo sitam esse; nam pa- riū domui aut nunquam traditam, aut recuperari jure posse non negabis. At, regis est, inquis, *de vico municipium, de eo civitatem facere, ergo illos creat qui constituent domum inferiorem.* At inquam, oppida & municipia regibus antiquiora sunt; etiam in agris populus est populus. Jam Anglicisnis tuis magnopere delectamur; County Court, The Turn, Hundred; milia nempe docilitate centenos Jacobæos tuos Anglicè numerare didicisti.

*Quis expedivit Salmasio suam Hundredam,  
Picāmque docuit nostra verba conari?  
Magister artis venter, & Jacobæi  
Centum, exulantis viscera marsupii regis.  
Quod si dolosi spes refulerit nummi,  
Ipte Antichristi qui modò primatum Papæ  
Minatus uno est dissipare sufflatu,  
Cantabit ultrò Cardinalitium melos.*

Longam deinde de comitibus & Baronibus dissertationem subtexit; ut ostendas regem esse eorum omnium creatorem, quod facile concedimus, eoque nomine regibus plerunque serviebant; ideoque ne gentis liberi deinceps judices essent rectè providimus. *Potestatem convocandi parlamentum quoties libet, & quando vult dissolvendi ex omni temporis memoria penes regem esse affirmas.* Tibine igitur balatroni mercenario & peregrino, perfugarum dictata exscribenti, an disertis legum nostrarum verbis fides habenda sit, infra videbimus. At, inquis, *reges Anglie parlamento majus imperium habuisse alio argumento probatur, eoque invincibili; regis potestas perpetua est & ordinaria, qua per se sive Parlamento regnum administrat, Parlamenti extraordinaria est authoritas, & ad certas tantum res, nec sine rege quicquam validi statucre idonea.* Ubinam dicamus vim magnam latere hujus argumenti? an in ordinaria & perpetua? Atqui minores multi magistratus habent potestatem ordinariam & perpetuam, quos Irenarchas vocamus; an summam ergo habent? suprà etiam dixi potestatem regi idcirco traditam à populo fuisse, ut videret authoritate sibi commissa ne quid contra legem fiat; utque leges custodiret nostras, non ut nobis imponeret suas; regis proinde potestatem nisi in regni curiis & per eas, esse nullam: immo populi potius ordinaria est omnis, qui per duodecim viros de omnibus judicat. Atq; hinc est quod interrogatus in curiâ reus, *Cui te permittis judicandum;* respondet semper ex more atque lege, *Deo & populo,* non deo & regi, aut regis vicario. Parlamenti autem authoritas quæ re & veritate, summa populi potestas in illum senatum collata est, si extraordinaria est dicenda, id tantum propter ejus eminentiam dicitur; alioqui, ut notum est, ipsi ordinatesspellantur, non extra ordinem ergo; & si non actu, quod aiunt virtute tamén perpetuum habent in omnes curias & potestates ordinarias jus atque authoritatem; idque sine rege. Offendunt nunc limatulas, opinor, aures tuas nostrorum barbaræ locutiones: cuius ego si vacaret, aut operæ pretium esse, tot barbarismos hoc uno libro notare possem, quot si pro merito lueres, profectò omnes puerorum ferulas in te frangi oporteret, nec tot aureos tibi dari, quot illi quondam

dam pessimo poetæ ; colaphos longè plures. *Prodigium esse aīs, omnibus pertentis opinionum monstrosius, quod fanatici personam regis à potestate ejus sejungant.* Evidem dicta singulorum non præstitero : personam autem si pro homine vis dici, separari à potestate ejus nec absurdè posse Chrysostomus haud fanaticus docere te potuit ; qui præceptum Apostoli de potestatibus ita explanat, ut potestatem ibi & rem, non. hominem intelligi afferat. Quidni dicam regem, qui contra leges quid facit, id agere ut privatum vel tyrannum, non ut regem legitima potestate prædictum ? Tu si uno in homine posse plures esse personas, easque ab ipso homine sensu & cogitatione separabiles non intelligis, & sensus communis & latinitatis plānè exp̄s es. Sed hoc ed dicis, ut reges peccato omni absolvias, utque erepto Papæ primatu indutum te esse existimemus : *Rex, inquis, non posse peccare intelligitur, quia peccatum ejus pœna non consequitur.* Quisquis ergo non punitur, non peccat ; non furtum sed pœna fecit furem ; Salmarius Grammaticus non facit folcēismos, quia manum ferulæ subduxit : post eversum à te Papam sint isti sanè Pontificatus tui canones, vel certè indulgentiae tuae, sive sanctæ Tyrannidis, sive sanctæ Servitutis Pontifex dici mavis. Congesta extremo capite maledicta tua in *Anglicanæ reipub. & Ecclesiæ statum* prætero : hoc enim habent tui similes, homo contemptissime ; ut quidque plurimâ dignum est laude, id solent per calumniam maximè vituperare. Sed de jure regio apud nos, seu potius de jure populi in regem nequid temere affirmasse videar, proferre ex ipsis monumentis non gravabor, quamvis pauca quidem de multis, ea tamen quibus liquidò satis constabit, Anglos ex lege & instituto, & more etiam majorum suorum, regem nup̄ i judicavisse. Post Romanorum ex insula discessum sui juris Britanni circiter annos 40. sine regibus fuere ; quos primos crearunt, eorum nonnullos, trupicio affecere. Britannos eo nomine Gildas, contra quām tu facis reprehendit, non quōd regis necavere, sed quōd injudicatos, vel ut ejus verbis utar, *non pro veri examinatione.* Vortigernus ob incestas cum filia nuptias, teste Nennio historicorum nostrorum post Gildam antiquissimo, damnatur à beato Germano, & omni concilio Britonum, ejusque filio Guorthemiro regnum traditur. Haud multo haec post Augustini obitum gesta sunt : unde vanitas tua facile redarguitur, qui supra aīs uisi, primum omnium Papam, & nominatim Zachariam docuisse, judicari reges posse. Circa annum Christi 600. Morcantius, qui tunc temporis in Cambia regnabat, propter cædem patrui ab Oudoceo Landaviæ Episcopo in exilium damnatur ; quamquam is exilii sententiam latifundiis quibusdam ecclesiæ donatis redemit. Ad Saxones jam veniamus ; quorum jura cum reperiantur facta prætermittam. Saxones Germanis oriundos memineris ; qui nec infinitam aut liberam potestatem regibus dedere, & de rebus majoribus consultare omnes solebant ; ex quibus intelligere est, Parlamentum, si solum nomen excipias, etiam apud Saxonum majores summa autoritate viguisse. Et ab iis quidem Concilium Sapientum pañim nominatur ; ipsis Ethelberti temporibus, quem *decreta judiciorum juxta exempla Romanorum cum Concilio Sapientum constitisse* memorat Beda ; sic Edwinus Northanhymbrorum, Inas occidentalium Saxonum rex, *habito cum sapientibus & senioribus concilio, novas leges promulgavit* ; alias Aluredus editit ex concilio, item prudentissimorum ; atque iis, inquit, *omnibus placuit edici earum observationes.* His atque aliis multis hujusmodi locis luce clarius est, delectos etiam ex plebe conciliis maximis interfuisse ; nisi quis Proceres solos sapientes esse arbitratur. Extat etiam apud nos perantiquus legum liber cui titulus *Speculum Justiciariorum*, in quo traditur primos Saxones, post Britanniam subactam, cum reges crearent, ab iis jusjurandum exigere consueuisse, se, ut quemvis alium è populo, legibus ac judiciis subjectos fore. cap. 1. sect. 2. ibidem aīt jus esse & aequum ut rex suos in Parlamento habeat pares qui de injuriis quas vel rex vel regina fecerit, cognoscerent ; regnante Aluredo sanctum legibus fuisse, ut singulis annis Parlamentum bis Londini, vel eo saepius, si opus esset, haberetur. Quælex cùm pessimo juris neglectu in desuetudinem abiisset duabus sub Edovardo 3. sanctionibus renovata est. In alio etiam antiquo manuscripto, qui Modus Parlamenti inscribitur, haec legimus ; si rex Parlamentum prius dimiserit, quām ea omnia transligantur quorum causa concilium indictum erat, perjurii reus erit ; & juramentum illud quod regnum initurus dederat, violasse censabitur. Quomodo enim, quod juratus est, justas leges concedit, quas populus elegerit, si earum eligendi facultatem petenti populo non dat vel rariū Parlamentum convocando, vel citius dimittendo quām res populi ferunt ? Jus autem illud jurandum, quo rex Angliæ se obligat, nostri jurisperiti pro sanctissimâ

simâ lege semper habuere. Quod autem maximis reipub. periculis remedium inveniri potest ( qui solas convocandi Parlamenti finis erat ) si conventus ille magnus, & augustissimus ad regis libitum stultissimi sâpe & pervicacissimi dissolvetur ? Posse a Parlamento abesse, proculdubio minus est, quâm Parlamentum dissolvere : at rex per leges nostras illo Modorum libro traditis abesse à Parlamento nisi planè regotaret, neq; potuit, neq; debuit : & ne tum quidem nisi inspecto ejus corpore à duodecim regni paribus, qui de adversa regis valetudine testimonium perhibere in senatu possent : soléntne servi cum domino sic agere ? Contrà verò plebeius ordo sine quo Parlamentum haberri non potest, etiam à rege convocatus potuit non adesse, & secessione factâ, de repub. male gestâ cum rege expostulare : quod & predictus liber testatur. Verùm quod caput est, inter leges Edovardi regis vulgo Confessoris, una est eximia, quæ de regis officio tractat ; cui rex officio si desit, *nomen regis in eo non constabit*. Hoc quid esset, ne non satis intelligeretur, Chilperici Francorum regis exemplum subnecit, cui idcirco regnum à Populo abrogatum erat. Puniri autem malum regem ex legis hujus sententia oportere, significabat ille S. Edovardi gladius cui nomen Curtana erat, quem in regum creatione & pompâ gestare Comes Palatii solebat ; *insignum*, inquit noster Matthæus Paris, *quod & regem, si obserret, habeat de jure potestatem cohibendi* : gladio autem nemo fere nisi capite punitur. Hanc legem, cum aliis boni illius Edovardi, Guilielmus ipse conquæstor anno regni quarto ratam habuit : & frequentissimo Anglorum Concilio prope Verulamium religiosissimè juratus confirmavit : quo facto non solum jus omne belli, si quod in nos habuit, ipse extinxit, sed etiam hujus legis judicio atque tententiae se subjecit. Ejus etiam filius Henricus cùm in omnes Edovardi leges, cùm in hanc quoque juravit ; atque iis duntaxat conditionibus, vivente adhuc fratre Roberto natu majore, in regem est electus. Jurarunt eadem omnes deinceps reges, antequam insignia regni acciperent. Hinc celebris ille & antiquus noster jurisconsultus Bractonus, l. 1. c. 8. *Non est rex ubi dominatur voluntas & non lex.* Et l. 3. c. 9. *rex est dum bene regit, tyrannus dum populum sibi creditum violenta opprimit dominatione.* Et ibidem, exercere debet rex potestatem juris, ut vicarius & minister dei : potestas autem injuria diaboli est, non dei : *cum declinat ad injuriam rex, diaboli minister est.* Eadem ferine habet vestitus alter jurisconsultus, libri illius author qui Fleta inscribitur, memor nempe uterque & legis illius Edvardinæ, verè quidem regiæ, & regulæ illius in jure nostro primariae à me supra dictæ, quâ nihil dei legibus & rationi contrarium haberi pro lege potest ; uti nec tyrannus pro rege, nec minister diaboli pro ministro dei. Cum itaque lex maximè ratio recta sit, siquidem regi, siquidem dei ministerio obediendum est, eâdem prorsus & ratione & lege, tyranno diaboli ministro erit resistendum. Et quoniam de nomine sâpius, quam de re ambigitur, tradunt iidem, regem Angliæ, etiamsi nomen regis nondum perdiderit judicari tamen, ut quilibet è vulgo, & posse & debere. Bracton. l. 1. c. 8. Fleta. l. 1. c. 17. *non debet esse rege major quisquam in exhibitione juris ; minimus autem esse debet in judicio suscipiendo, si peccat, alii legunt si petat.* Judicari igitur cum debeat rex noster, sive tyranni sub nomine, sive regis, quos habeat item judges legitimos dictu difficile non debet esse. Eosdem consulere authores haud pejus erit. Bracton. l. 2. c. 16. Fleta. l. 1. c. 17. *In populo regendo rex habet superiores, legem, per quam factus est rex, & curiam suam, videlicet comites & Barones : comites dicuntur quasi socii regis, & qui habet solum, habet magistrum ; & ideo si rex fuerit sine frano, id est sine lege, debent ei frânum ponere.* Baronum autem nomine plebeium ordinem comprehendendi supra ostendimus ; quin & Pares etiam Parlamenti eosdem fuisse dictos, libri legum nostrorum antiqui passim tradunt : & imprimis liber ille cui titulus, Parlamenti modus ; *Eligentur*, inquit, *de omnibus regni paribus 15. quorum erunt quinque milites, quinque cives id est urbium delegati, quinque municipes ; & duo milites pro comitatu majorem vocem habent in concedendo & contradicendo quam major comes Angliae* ; & meritò quidem, illi enim pro tota aliqua provincia, aut municipio suffragia ferunt, isti pro se quisque duntaxat. Comites autem illos *Codicillares*, quos vocas, & *rescriptitios*, cum feudales jam nulli sint, ad judicandum regem à quo creabantur minimè omnium idoneos esse, quis non videt ? Cum itaque jus nostrum sit, ut est in illo speculo antiquo, regem habere pares, qui in Parlamento cognoscant & judicent, si quid rex in aliquem populi sui peccaverit, si notissimum sit licere apud nos cuivis è populo in minoribus quibusque curiis injuriarum actionem regi intendere, quanto justius est, quantoque magis necessarium, si rex in universos peccaverit, ut habeat qui eum non refrænare solum & coercere,

cere, sed judicare & punire possint. Pessimè enim & ridiculè institutam esse eam necesse est rempub. in qua de minimis regum injuriis etiam privato cuivis caustum sit, de maximis nihil in commune provisum, nihil de salute omnium, quo minus liceat ei universos sine lege perdere, qui ne unum quidem lacerare per legem poterat. Comites autem esse regis judices, cum ostensum sit neque decere neque expedire, sequitur judicium illud totum ad plebeium ordinem, qui & pares regni, & Barones, & populi totius potestate sibi delegata prædicti sunt, jure optimo pertinere. Cum enim (ut in nostro jure scriptum est, quod supra attuli) plebs sola cum rege sine Comitibus aut Episcopis Parlamentum constituat, quia rex cum sola Plebe, etiam ante Comites aut episcopos natos, parliamenta peragere solebat, eadem prorsus ratione plebs sola supremam & sine rege, & regem ipsum judicandi potestatem habebit, quod etiam ante ullum regem creatum, ipsa universi populi nomine Concilia & Parliamenta peragere, judicare, ferre leges, ipsa reges creare solita erat ; non ut populo dominarentur, sed ut rem populi administrarent. Quem si rex contrà injuriis afficeret, & servitute opprimere conatus fuerit, ex ipsa legis nostræ sententiâ nomen regis in eo non constat, rex non est ; quod si rex non sit, quid est quod ei pares amplius queramus ? Tyrannum enim jam re ipsa ab omnibus bonis judicatum nulli non satis pares atque idonei sunt, qui supplicio mactandum esse pro tribunali judicent. Hæc cum ita sint, tot testimoniorum, tot legibus prolatis, abundè hoc demùm, quod erat propotitum, evicisse arbitror, cum judicare regem penes plebem jure optimo sit, cùmq; plebs regem de repub. d'equo ecclesia, sine spe ulla sanitatis, pessimè meritum supplicio ultimo affecerit, rectè atque ordine, exque repub. suaque fide, dignitate, legibus denique patriis fecisse. Neque possum hic non gratulari mihi de majoribus nostris, qui non minore prudentia ac libertate, quam Romani olim, aut Graecorum præstantissimi, hanc rempub. instituerunt ; neque poterunt illi, siquid nostrarum rerum sentiunt, non sibi etiam gratulari de posteris suis ; qui tam sapienter institutam, tanta libertate fundatam ab impotenti regis dominatione, cum redacti penè in servitutem essent, tam fortiter, tamque prudenter vindicarunt.

## C A P. IX.

**S**Atis jam arbitror palam esse, regem Angliae etiam Anglorum legibus judicari posse ; suos habere judices legitimos ; quod erat probandum. Quid tu porro ? (Nam quæ tua repetis, ad ea non repetam mea) *ex rebus nunc ipsis propter quas comitia indici solent, proclive, inquis, est ostendere regem esse supra Parlamentum.* Sit sanè proclive quantum voles, in quo præcipitem te datur jam statim senties. *Parlamentum, inquis, congregari solet ad majoris momenti negotia in quibus regni salus & populi versatur.* Si rex Parlamentum convocat ad procurandas res populi, non suas, neque id nisi assensu eorum atque arbitrio quos convocat, quid aliud est, obsecro, nisi minister populi & procurator ? Cum, sine suffragiis eorum quos populus mittit, ne tantillum quidem, neque de aliis, neque de seipso decernere possit. Quod etiam argumento est, officium esse regis, toties Parlamentum convocare, quoties populus id petet : Quandoquidem & res populi, non regis, iis comitiis tractantur, idque populi arbitrio. Quamvis enim regis quoque assensus honoris causa peti soleret, quem in rebus minoris momenti ad privatorum duntaxat commoda spectantibus poterat non præbere, poterat pro illa formula dicere, *rex deliberabit, de iis tamen, quæ ad salutem omnium communem & libertatem pertinebant, prorsus abnuere nullo modo poterat ; cum id & contra juramentum regium esset, quo veluti lege firmissima tenebatur, & contra præcipuum magnæ Chartæ articulum, c. 29. Non negabimus, non differemus cuicunque jus aut justitiam.* Non negabit rex justitiam, negabit ergo justas leges ? Non cuicunque, an ergo omnibus ? Ne in Curiâ quidem ullâ minori, an ergo in Senatu supremo ? An verò rex ullus tantum sibi arrogabit, ut quid justum sit, quid utile. se unum universo populo scire melius existimet ? Cum *ad hoc creatus & electus sit, ut justitiam faciat universis,* Bracton, l.3. c.9. per eas nimis rurum leges quas vulgus elegerit. Unde illud in archivis nostris, 7 H. 4. Rot. Parl. Num. 59. *Non est ulli regis prærogativa, qua ex justitia & aequitate quicquam derogat.* Et reges olim

olim acta Parlamenti confirmare recusantes, Chartam videlicet magnam & hujusmodi alia, majores nostri s̄æpenumerò armis coēgere ; neque propterea minus valere illas leges, aut minus legitimas esse juris periti nostri statuunt. Quandoquidem assensum rex iis decretis coactus præbuit, quibus jure atque sponte assentiri debebat. Tu dum contendis aliarum etiam gentium reges in potestate vel Synedrii vel Senatus, vel Concilii sui aequè fuisse, non nos in servitutem asteris, sed eas in libertatem. In quo idem facere pergis quod ab initio fecisti, quodque faciunt pragmaticorum stultissimi, ut incauti seipso in lite s̄æpius contraveniant. At nos scilicet fatemur regem, ubiunque absit, in Parlamento tamen censi presentem vi potestatis : Ergo quocunque illic agitur à rege ipso actum intelligi. Tum quasi bolum aliquem nactus esses aut mercedulam, illorum recordatione Caroleorum delinitus, accipimus, inquis, quod dant. Accipe igitur, quo dignus es, magnum malum ; non enim damus, quod sperabas, inde sequi curiam illam non alia potiri potestate quam à rege delegata. Si enim dicitur, potestas regis, quæcunque ea sit, à Parlamento abesse non potest, an suprema continuò dicitur ? Annon potius transferri in Parlamentum potestas regia videtur, utque minor majore contineri ? Sanè si Parlamentum potest, nolente & invito rege, acta ejus & privilegia quibusvis data revocare atque rescindere, si ipsius regis prærogativas, prout videtur, circumscribere, si proventus ejus annuos & impensas aulæ, si famulitum ipsum, si totam denique rem domesticam regis moderari, si vel intimos ejus consiliarios atque amicos amovere, vel etiam ē sinu abripere ad supplicium potest, si cuivis denique de plebe à rege ad Parlamentum quacunque de re provocatio est lege data, non itidem à Parlamento ad regem, quæ omnia & possè fieri, & fuisse s̄æpius facta, cum monumenta publica, tum legum nostrarum consultissimi testantur, neminem esse arbitror, modò mens ei sana sit, qui Parlamentum supra regem esse non fateatur. Nam in interregno etiam Parlamentum viget ; & quod historiis nostris testatissimum est, nulla hereditatis ratione habita, s̄æpe, quem sibi visum est, suffragiis liberrimis regem creavit. Ut summatim dicam quod res est, Parlamentum est supremum gentis Concilium, ad hoc ipsum à Populo planè libero constitutum, & potestate plenâ instructum, ut de summis rebus in commune consulat ; rex ideo erat creatus, ut de consilio & sententiâ illorum Ordinum consulta omnia exequenda curaret. Quod cum Parlamentum ipsum edito nuper suo publicè declararet, neque enim pro æquitate sua recusabat vel externis gentibus actionum suarum rationem ultrò ac sponte reddere, ecce tibi ē gurgustio nullius homo authoritatis, aut fidei, aut rei, Burgundus iste Verna, qui summum Angliae Senatum, jus patrium atque suum scripto afferentem, detestande & horribilis impostura insimulat. Patriam mehercule tuam pudebit, verbero, se tantæ impudentiæ homuncionem genuisse. Sed habes fortasse quæ salutariter monitos nos velis ; agedum, auscultamus. Quia, inquis, leges sancire potest Parlamentum, in quo nec præsum ordo comparet ? Túne ergo, furiose, præsules ex Ecclesia extirpatum ibas, ut in Parlamenta induceres ? O hominem impium, & Satanæ tradendum, quem neque Ecclesia non ejicere hypocritam & atheum, neque ulla respub. recipere communem libertatis pestem atque labem déberet ; qui etiam quod nequit ex Evangelio, id ex Aristotele & Halicarnassio, deinde ex statutis Papisticis pravissimorum temporum probare adnititur, regem Angliae caput esse Anglicanæ Ecclesiæ, ut Episcopos compransores suos & necessarios nuper factos, quos ipse Deus exturbavit, novos iterum prædones & tyrannos, pro virili sua parte, sanctæ Dei Ecclesiæ imponat ; quorum universum ordinem tanquam religioni Christianæ perniciössimum, eradicandum esse stirpitūs, editis antea libris clamose contenterat. Quis unquam Apostata, non dico à sua, quæ nulla certa est, sed à Christiana doctrina, quam ipse asseruerat, defectione tam scœdā atque nefariâ descivit ? Episcopis de medio sublati, qui sub rege, & ex ejus arbitrio de causis ecclesia cognoscabant, quæreris ad quos redibit ea cognitio. O perditissime, verere tandem vel conscientiam tuam ; memineris dum licet, nisi si hoc serò nimis te moneo, memineris quam non impunè tibi erit, quam inexpiable demum sit, sanctum Dei Spiritum sic illudere. Subsistit aliquando, & pone aliquem furori modum, ne te accensa ira numinis repente corripiat ; qui Christi gregem, unctosque Dei minimè tangendos ; iis hostibus & sævissimis tyrannis obterendos iterum & persultandos tradere cupis, à quibus elata modò & mirifica Dei manus eos liberavit : Túque ipse, nescio eorumne ad fructum ullum, an ad perniciem & obdurationem tuam, liberandos esse docuisti. Quod si jus nullum dominandi in Ecclesiam est Episcopis, certè multo minus est regibus ; quicquid hominum

hominum statuta edicunt. Sciant enim qui labris aliquanto plusquam primoris  
 bus Evangelium gustarunt, Ecclesiae gubernationem divinam esse totam ac spi-  
 ritualem, non civilem. In secularibus autem, quod aīs supremam jurisdictionem ha-  
 buisse regem Anglia, id falsum esse jura nostra ubertim declarant. Curias omnes  
 ubi judicia exercentur, non rex, sed Parlamenti authoritas vel constituit, vel  
 tollit; in quibus tamen minimo cuivis ē plebe licebat regem in jus vocare; neque  
 rarojudices contra regem pronuntiare solebant: id si rex vel interdicto, vel  
 mandato, vel scriptis literis impedire conaretur, ex juramento & lege non pare-  
 bant judices, sed ejusmodi mandata rejiciebant, & pro nihilo habebant. Non  
 poterat rex quenquam in vincula conjicere, aut ullius bona in publicū addicere;  
 poterat neminem supplicio punire, nisi in aliquam curiam prius citatum, ubi non  
 rex, sed consueti judices sententias tulere; idque sāpe, ut supra dixi, contra  
 regem. Hinc noster Bractonus, l. 3. c. 9. *Regia potestas juris est, non injuriæ;*  
 & nihil aliud potest rex, nisi id solum quod de jure potest. Aliud tibi suggerunt Cau-  
 sidici tui, qui nuper solum verterunt; ex statutis nempe quibusdam haud anti-  
 quis sub Edvardo Quarto, Henrico Septimo, Edvardo Sexto promulgatis: Ne-  
 que viderunt, quamcumque regi potestatem statuta illa concedunt, eam à Parla-  
 mento concessam esse omnem & quasi precariam; quam & eadem authoritas po-  
 terat revocare. Cur sic passus es nasuto tibi imponi, ut quo maximè arguento  
 regis potestatem ex decretis Parlamenti pendere demonstratur, eo absolutam  
 esse & supremam probare te crederes? Nam & monumenta nostra sanctiora te-  
 stantur, reges nostros non hereditati, non armis, non successioni; sed populo  
 suam omnem potestatem debere. Talis potestas regia Henrico quarto, talis ante  
 eum Richardo Secundo à plebeio ordine concessa legitur; Rot. Parlament.  
 1 Hen. 4. Num. 108. haud secūs atque rex aliquis præsidibus suis præfecturas  
 & provincias edicto & diplomate solet concedere. Id nempe literis publicis  
 consignari disertè iussit Communium Domus, concessisse se regi richardo, ut tali bona  
 libertate frueretur, qualem ante eum reges Anglia habuere; quā cum rex ille contra  
 fidem Sacramenti sui ad eversionem legum abuteretur, ab iisdem orbatus regno  
 est. Idem etiam, quod & eadem rotula testatur, in Parlamento edicunt, se  
 prudentiâ & moderatione Henrici Quarti confisos, velle ac jubere ut in eadens  
 magna libertate regia sit quam ejus progenitores obtinuere. Illa autem nisi fiducaria  
 planè fuisset, quemadmodum hæc fuit, necesse est profectò & Parlamenti illius  
 ordines, qui concederent quod suum non erat, ineptos ac vanos, & reges illos  
 qui, quod suum jam erat, concessum ab aliis vellent accipere, & sibi & posteris  
 injurios nimis fuisse: Quorum utrumvis credibile non est. Tertia pars, inquis,  
 regia potestatis versatur circa militiam; hanc partem reges Anglie sine pari & amulo tra-  
 dierunt. Neque hoc verius quam cætera quæ perfugarat fide scripsisti. Primum  
 enim pacis & belli arbitrium penes magnum regni senatum semper fuisse, & hi-  
 storiarum passim nostræ, & exterorum quotquot res nostras paulo accuratiū atti-  
 gere testantur. Sancti etiam Edvardi leges, in quas jurare nostri reges teneban-  
 tur, certissimam fidem faciunt, capite de Heretochii, fuisse quādām potestates per  
 provincias & singulos comitatus regni constitutas, qui Heretoches vocabantur, latine du-  
 cētes exercitus, qui provincialibus copiis præerant, non ad honorem corona solūni,  
 sed ad utilitatem regni. Isti vero eligebantur per commune concilium, & per singulos  
 comitatus in pleno conventu populari, sicut & vicecomites eligi debent. Ex quo facile  
 perspicitur, & copias regni & copiarum duces in potestate populi, non regis  
 & antiquitatis fuisse, & esse oportere: illamque legem æquissimam nostro in  
 regno haud minus valuisse, quam olim in populari Romanorum statu valebat.  
 De qua & M. Tullium audire non ab re fuerit. Philipp. 10. *Omnes legiones, om-  
 nes copia qua ubique sunt, Populi R. sunt.* Neque enim legiones que Antonium Consulem  
 reliquerunt, Antonii potius quam reipub. fuisse dicuntur. Sancti autem Edovardi le-  
 gem illam, cum aliis illius legibus Guilielmus ille conquæstor dictus, populo sic  
 volente ac jubente, juratus confirmavit; sed & hanc insuper adjecit, c. 56. Om-  
 nes civitates, burgos, castella, singulis noctibus ita custodiri, prout vicecomes, & Alder-  
 manni, cæterique præpositi per commune concilium ad utilitatem regni melius providebunt;  
 & lege 62. Ideo castella, burgi, civitates adificatae sunt ad tuitionem gentium & popu-  
 lorum regni, idcirco & observari debent. cum omni libertate, integritate, & ratione.  
 Quid ergo? Custodientur arces & oppida in pace contra fures & maleficos non  
 nisi per commune Concilium ejusdem loci, non custodientur in maximo belli  
 metu contra hostes sive externos sive intestinos per commune concilium totius  
 gentis? Sanè illud nisi concedatur, neque libertas, neque integritas, nec ratio de-

nique in iis custodiendis ulla esse poterit ; neque eatum rerum quicquam asse-  
quemur, quarum causâ fundari primum urbes & arces lex ipsa dicit. Majores  
certè nostri quidvis potius regi quam sua arma & oppidorum præsidia tradere  
solebant ; idem est rati acsi libertatem ipsi suam ferocitati regum & impoten-  
tiae proditum irent. Cujus rei exempla in historiis nostris uberrima cum sint, &  
jam notissima, inserere huic loco supervacaneum esset. At protectionem rex debet  
*subditis, quomodo eos protegere poterit, nisi arma virosque habeat in sua potestate?* At,  
inquam, habebat hæc omnia ad utilitatem regni, ut dictum est, non ad civium  
interitum & regni disperditionem : Quod & Henrici Tertii temporibus, pru-  
denter Leonardus quidam vir doctus in Episcoporum conventu respondit Ru-  
stando Papæ nuntio & regis procuratori : *Omnes Ecclesiæ sunt Domini Pape, ut om-  
nia principis esse dicimus, ad tuitionem, non ad fruitionem vel proprietatem, quod aiunt;*  
*ad defensionem, non ad dispersionem :* Eadem & prædictæ legis Edovardi sententia  
erat ; quid est hoc aliud nisi potestate fiduciaria, non absoluta ? Qualem cum  
imperator bellicus fere habeat, id est delegatam, non planè propriam, non eo  
segnius populum, à quo eligitur, sive domi sive militia defendere solet. Frustra  
autem Parlamenta, & impari sane congressu de legibus Sancti Edovardi & liber-  
tate olim cum regibus contendissent, si penes regem solum arma esse oportere  
existimatissent ; nam & leges quamlibet iniquas ipse dare si voluisse, frustra se  
charta quantumvis magna contra ferrum defendissent. At quid proderit, inquis,  
Parlamento militia magisterium habere, cum ne teruncium quidem ad eam sustinendam  
queat, nolente rege, de populo cogere. Ne sit ea tibi cura : Primum enim hoc falsò  
ponis, Parlamenti ordines non posse sine rege tributa populo imponere, à quo & ipsi  
missi sunt, & cujus causam suscipiunt. Deinde non potest te fugere tam sedu-  
lum de alienis rebus percontatorem, sua sponte populum, vasis aureis atque ar-  
genteis conflatis, magnam vim pecuniae in hoc bellum contra regem impendisse.  
Amplissimos exinde regum nostrorum annuos redditus recenses : Nil nisi *millies*  
*quingenties quadragies crepas* ; *ex patrimonio regis maximas largitiones fieri solitas ab*  
*iis regibus qui liberalitatis laudibus emicuerunt, avidus audieras :* Hac te illecebrâ  
veluti Bileamum illum infamem proditores patriæ ad suam causam perduxere ;  
ut Dei populo maledicere, & divinis judiciis obstrepare auderes. Stulte ; quid  
tandem regi injusto ac violento tam immensæ opes profuere ? Quid etiam tibi ?  
Ad quem nihil prorsus eorum, quæ spe ingenti devoraveras, pervenisse audio,  
præter unam illam crumenulam vitreis globulis vermiculatam, & centenis aureoli  
consertam. Cape istam, Balaame, quam adamasti, iniquitatis mercedem, ac  
fruere. Pergis enim despere ; *Erectio standardi, id est vexilli ad regem solum per-*  
*tinet.* Quapropter ? Quia

— *Belli signum Laurentii Turnus ab arce*  
*Exstulit.*

Tune vero nescis, Grammatice, hoc idem cuiusvis imperatoris bellici munus esse ?  
At aut Aristoteles, *necesse est regi præsidium adiustare, quo leges tueri possit ; ergo oportet*  
*regem plus armis posse quam populum universum.* Tales hic homo consequentias tor-  
quere solet, quales Ocnus tunes apud inferos ; quæ nulli sunt usui, nisi ut come-  
dantur ab asinis : Aliud enim est præsidium à populo datum, aliud armorum  
omnium potestas, quam Aristoteles hoc ipso, quem protulisti, loco à regibus  
abjudicat. Oportet, inquit, habeat rex tantam circa se manum armatorum,  
*quanta singulis vel compluribus fortior sit, populo vero minor ;* ἔναι δὲ τοσαῦτην ιχνεύεται  
ἐκεῖς μεν διά τοὺς δια τομπλείοντας πειράω, τοις δὲ πλιθεσιν διέτω, Polit. I. 3. c. 11.  
Alioqui sane, sub specie tuendi, possit statim & populum & leges sibi subjicere.  
Hoc autem rex & tyrannus interest ; rex à senatu & populo volente, ac libente,  
quod satis est præsidii circa se habet contra hostes, & seditiones : Tyrannus in-  
vito senatu ac populo, vel hostium, vel perditionum civium præsidium sibi quam  
maximum comparare studet, contra senatum ipsum & populum. Concessit ita-  
que Parlamentum regi, ut alia omnia, sic *standardi erectionem* ; non ut infesta pa-  
triarum signa inferret, sed ut populum contra eos defenderet, quos Parlamentum  
hostes judicat ; si secus fecisset, ipse hostis judicandus erat ; cum juxta ipsam  
Sancti Edovardi, vel quod sanctius est, ipsam naturæ legem, nomen regis per-  
diderit. Unde in prædictâ Philippicâ, *amittit is omne exercitus & imperii jus, qui*  
*eo imperio & exercitu rempub. oppugnat.* Neque licebat regi feudales illos equites ad  
bellum evocare, quod Parlamenti authoritas non decrevisset ; id quod ex statutis  
pluribus

pluribus manifestum est. Idem de vectigalibus & censu navali censendum ; quem imperiale civibus sine senatusconsulto rex non potuit : atque ita gravissimi legum nostrarum interpres annis abhinc plus minus duodecim, tum cum adhuc firmissimum erat regium imperium, publicè statuerunt. Sic diu ante eos Fortescutius Henrici Sexti cancellarius juris nostri consultissimus ; rex Angliae, inquit, neque leges mutare potest, neque tributa, nolente populo, imponere, sed nec probaverit quisquam ullis testimonii antiquorum regni Angliae statum mere esse regalem. Habet rex, inquit Bractonus, jurisdictionem super omnes. Id est in curia ; ubi regis quidem nomine, nostris autem legibus jus redditur. *Omnis sub rege est* ; id est, singuli : atque ita se explicat ipse Bractonus locis à me supra citatis. Ad ea quæ restant, ubi eundem volvis lapidem, in quo vales ipsum, credo, Sisyphum delassare, ex supra dictis abunde responderetur. De cætero, si quando Parlamenta suum regibus bonis obsequium amplissimis verbis citra assentationem & servitutem detulere, id quasi eodem modo tyrannis delatum esset, intelligi, aut populo fraudi esse non debet ; neque enim justo obsequio libertas imminuitur. Quod autem ex Edvardo Coco & aliis citas, *Angliae regnum absolutum est imperium*, id est, si ad ullum regem exterrum, aut Cæsarem respicias ; vel, ut Cambdenus ait, *quia in imperii clientela non est* : alioqui adjicit uterque imperium hoc consistere non *ex rege solo, sed ex corpore politico*. Unde Fortescutius, de laud. legum Engl. c. 9. rex, inquit, *Angliae populum gubernat non mera potestate regia, sed politica* ; *populus enim iis legibus gubernatur, quas ipse fert*. Externos hoc etiam scriptores non latebat. Hinc Philippus Cominæus author gravissimus commentariorum quinto ; *inter omnia orbis terra regna, quorum ego notitiæ habeo, non est meā quidem sententiâ, ubi publicum moderatiū tractetur, neque ubi regi minus licet in populum, quam in Anglia*. Postremò ridiculum est, inquis, argumentum, quod afferunt, *regna ante reges fuisse, quasi dicas lucem ante solem extitisse*. At nos, ô bone vir, non regna, sed populum ante reges fuisse dicimus. Quem interim te magis ridiculum dicam, qui lucem ante solem extitisse, quasi ridiculum, negas. Ita dum in alienis curiosus esse vis, elementa dedidicisti. Miraris denique, eos qui regem in comitiis regni viderunt folio sedentem, sub aureo & serico cœlo, potuisse in dubium vocare utrum penes regem an penes Parliamentum majestas sit. Incredulos profectò homines narras, quos tam lucidum argumentum è cœlo ipso petitum nihil movit. Quod tu cœlum aureum homo stoicus adeò es religiosè & unicè contemplatus, ut & cœli Mosaici & Aristotelici oblitus esse penitus videare : cum in illo lucem ante solem extitisse negaveris, in hoc tres Zonas temperatas esse supra docueris. Quot Zonas in illo regis aureo & serico cœlo observaveris, nescio : hoc scio, te Zonam unam centum stellis aureis bene temperatam ex illa tua cœlesti contemplatione abstulisse.

## C A P. X.

**C**um hæc omnis controversia de jure, sive generatim regio, sive separatim regis Angliae, obstinatis partium contentionibus, quæm ipsa rei natura diffilior facta sit, spero, qui studium veritatis factionibus anteponunt, iis ea me ex lege Dei, jureque gentium, ex institutis denique patriis, copiose attulisse, quæ regni Angliae judicari posse, atque etiam capite puniri indubitatum reliquerint. Cum cæteris, quorum animos aut superstitione occupavit, aut mentis etiam anticipata regii splendoris admiratio ita perstrinxit, ut nihil in virtute ac libertate verâ illustre ac splendidum videre possint, sive ratione & argumentis agamus, sive exemplis, frustra contendimus. Tu verò, Salmasi, ut reliqua omnia, ita hoc etiam absurdè admodum facere videris, qui cum omnes independentes omnibus probris onerare non definis, regem ipsum quem defendis, maximè omnium independentem fuisse statuis : neque regnum populo, sed generi debuisse : deinde quem *capitis causam dicere coactum initio* graviter dolebas, eum nunc *inauditum periisse* quereris. At verò totam causæ dictionem ejus, fide summa Gallicè editam, inspicere si liber, persuasum tibi aliud fortasse erit. Carolo certè cum per aliquot dies continuos amplissima loquendi facta copia esset, non ille quidem est ea usus ad objecta sibi crimina diluendum, sed ad judicium illud ac judices

omnino rejiciendum. Qui autem reus aut tacet, aut aliena semper respondet, eum non est injuria, si manifestus criminum sit, vel inauditum condemnari: Carolum si mortem aīs plane egisse vitā respondentem, assentior: si dicas piē & sancte & securē vitam finiisse, scito aviam ejus Mariam, infamem foemianam, pari in speciem pietate, sanctitate, constantia in pegmate occubuisse. Ne animi præsentiae, quæ in morte quibusvis ē vulgo maleficis permagna sæpè est, niūium tribuas, sæpè desperatio aut obfirmatus animus tortitudinis quandam speciem & quasi personam induit; sæpè stupor tranquillitatis: videri se bonos, intrepidos, innocentes, interdum & sanctos pessimi quique non minus in morte quam in vita cupiunt; inque ipsa scelerum suorum capitali poena solent ultimam simulationis suæ & fraudum, quam possunt speciosissimè, pompam ducere, &, veluti poetæ aut histriones deterrimi, plaustrum in ipso exitu ambitiosissimè captare. Nunc ad istam quæstionem pervenisse te aīs, quā tractandum est quinam fuerint illius regie condemnationis præcipui authores. Cum de te potius inquirendum sit, quomodo tu, homo exterus, & Gallicanus erro, ad quæstionem de rebus nostris, tibi tam alienis, habendam perveneris? quo pretio emptus? verū de eo satis constat. Te vero percontantem de rebus nostris quis demum docuit? ipsi nimirum persugæ, & perduelles patriæ, qui te hominem vanissimum naecti, mercede ad maledicendum facile adduxerunt. Data deinde tibi est aliqua aut suribundi cūjuspiam facellani semipapistæ, aut servientis aulici, de statu rerum scriptiuncula; eam ut latinè verteres negotium tibi dabatur: hinc istæ narrationes confectæ, quas, si videtur, paulum excutiamus. In hanc condemnationem non centena milieſma pars populi consensit. Quid ergo cæteri, qui sese nolentibus tantum facinus fieri sunt paliſi? an stipites, an trunci hominum, an fortè quales illi in scena Virgiliana,

*Purpurea intexti tollunt aulae Britanni?*

Non enim veros tu quidem Britannos, sed pictos nescio quos, vel etiam acupictos videris mihi velle dicere. Cum itaque incredibile sit gentem bellicosam à tam paucis, iisque infimis de plebe sua, sub jugum mitti, quod in narratione tua primum occurrit, id esse falsissimum appetet. *Ordo ecclesiasticus erat ab ipso senatu ejectus.* Eo miterior itaque tua est insania, ne cum enim te sentis infanire, qui eos è Parlamento quereris ejectedos, quos tute ex ecclesia ejiciendos esse, libro longissimo scribis? *Senatus alter ordo qui in proceribus consistebat, ducibus, comitibus, vicecomitibus, statione sua dejectus est.* Et meritò, à nullō enim municipio missi pro se tantum sedebant, nihil juris in populum habebant, juri tamen ejus & libertati, suo quodam instituto refragari in plerisque consueverant: erant à rege constituti, ejus comites, & famuli, & quasi umbræ, quo amoto, ipsi necesse est ad plebem, unde orti sunt, redigerentur. *Una & deterrima portio Parlamenti potestatem sibi vindicare non debuit reges judicandi.* At plebeius ordo, quod te supra docui, non solum Parlamenti pars erat potissima, etiam sub regibus, sed per se ipse Parlamentum omnibus numeris absolutum & legitimum, etiam sine Comitibus, nedum Ecclesiasticis, constituebat. Atqui ne tota quidem hec ipsa pars ad sententiam de regis capite ferendam admissa est. Pars illa nempe non admissa, quem verbo regem, re hostem toties judicaverat, ad eum animis atque consiliis palam defecerat. Parlamenti ordines Anglicani cum iis qui à Scotiæ itidem Parlamento missi erant legati, idibus Januarii 1645. rescripserant regi, dolosas inducias & habenda secum Londini colloquia petenti, non posse se eum in urbem admittere, donec is de bello civili tribus jam regnis ejus operâ excitato, de cædibus tot civium ejus jussu factis reipub. satisfecisset; déque pace firma atque sincera iis conditionibus cavisset, quas ei utriusque regni Parlamenta & tulerant sæpius, & latura essent: ipse è contrario postulata eorum æquissima jam septies humillimè oblata, responsionibus aut surdis repudiaverat, aut ambiguis eluserat. Ordines tandem post tot annorum patientiam ut ne fraudulentus rex, quam debellare rempub. in acie non valebat, eam in vinculis per dilationes everteret, & jucundissimum ex nostris dissidiis fructum capiens, de victoribus etiam suis restitutus hostis insperatum sibi triumphum ageret, decernunt, se regis deinceps rationem non habituros, nullas se ei postulationes amplius esse misuros, aut ab eo accepturos. Post hæc tamen decreta reperti sunt ex ipso ordinum numero, qui invictissimi exercitūs odio, cuius maximis rebus gestis invidebant, quémque post ingentia merita, dimittere cum ignominia cupiebant, & ministris aliquot seditionis, quibus miserè fer-

serviebant, morem gerentes, opportunum sibi tempus nacti, cum eorum multi, quos à se longè dissentire sciebant, ad sedandos Presbyterianorum gliscentes jam tumultus, missi ab ipso ordine, in provinciis abescent, mira levitate, ne dicam perfidia, decernunt, inveteratum hostem, verbotenus duntaxat regem, nulla penè ab eo satisfactione priùs accepta, aut cautione facta, ad urbem esse reducendum; in summam dignitatem atque imperium æquè esse restituendum, ac si de repub. præclare meritus esset. Ita religioni, libertati, foederi denique illi à se toties jactato regem præponebant. Quid illi interea qui integratam pestifera agitari consilia videbant? An ideo deesse patriæ, saluti suorum non prospicere debuerant, eò quod istius mali contagio in ipsorum Ordinem penetraverat? At quis istos exclusit male sanos? *Exercitus*, inquis, *Anglicanus*, id est, non externorum, sed fortissimorum & fidissimorum civium; quorum tribuni plerique, senatores ipsi erant, quos illi boni exclusi patriâ ipsa excludendos, & in Hiberniam procul ablegandos esse censuerant; dum Scotti interim dubia jam fide quatuor Angliae provincias suis finibus proximas magnis copiis insidebant, firmissima earum regionum oppida præsidiis tenebant, regem ipsum in custodia habebant: dum ipsi etiam factiones suorum atque tumultus, Parlamento ipsi plusquam minaces, & in urbe & in agris passim fovebant, qui paulò post in bellum non civile solùm, sed & Scoticum illud erupere. Quòd si privatis etiam consiliis aut armis subvenire reipublicæ laudatissimum semper fuit, non est certè cur exercitus reprehendi possit, qui Parlamenti autoritate ad urbem accersitus imperata fecit; & regiorum factionem atque tumultum ipsi curiae saepius minitantem facile compescuit. In id autem discrimen adducta res erat, ut aut nos ab illis, aut illos à nobis opprimi necesse esset. Stabant ab illis Londinensium plerique institores atque opifices, & ministrorum factiosissimi qui que; à nobis exercitus magna fide, modestia, virtute cognitus. Per hos cum retinere libertatem, rempub. salutem liceret, an hæc omnia per ignaviam & stultitiam prodenda fuisse censes? Debellati regiarum partium duces arma quidem inviti, animum hostilem non deposuerant: omnibus belli renovandi occasionibus intenti ad urbem se receperant. Cum his, quamvis inimicissimis quamvis sanguinem eorum avidè sicutientibus, Presbyteriani, postquam non permitti sibi in omnes tam civilem quam ecclesiasticam dominationem viderunt, clandestina consilia, & prioribus tum dictis tum factis indignissima consociare, coperant: eoque acerbatis processere, ut mallent se regi denuò mancipare, quam fratres suos in partem illam libertatis quam & ipsi suo sibi sanguine acquiliverant, admittere; mallent tyrannum tot civium crux perfusum, ira in superstites, & concepra jam ultione ardenter rursus experiri dominum, quam fratres, & amicissimos æquo jure ferre sibi pares. Soli Independentes qui vocantur, & ad ultimum sibi constare, & sua uti victoria sciebant: qui ex rege hostem se fecerat, eum ex hoste regem esse amplius, sapienter, meo quidem judicio nollebant: neque pacem idcirco non volebant, sed involutum pacis nomine aut bellum novum, aut æternam servitutem prudentes metuebant. Exercitum autem nostrum quo fusi infamare possis, narrationem quandam rerum nostrarum inconditam & strigosam exordiris: in qua tametsi multa falsa, multa frivola reperio, multa abs te vitio data, quæ laudi ducenda essent, huic tamen alteram ex adverso narrationem opponere nihil arbitror attinere. Rationibus enim hīc non narrationibus certatur; atque illis utrobique, non his fides habebitur. Ec sanè sunt ejusmodi res istæ, ut nisi justa historia dici pro dignitate nequeant. Melius itaque puto, quod de Carthagine Sallustius, silere tantis de rebus, quam parum dicere: neque committam ut non solùm virorum illustrium, sed Dei præcipue maximi laudes, in hac rerum serie mirabili sæpiissimè iterandas, tuis hoc libro intexam opprobrii. Ea igitur duntaxat, quæ argumenti habere speciem videntur, pro more decerpam. *Anglos & Scotos* quòd aīs solenni conventione promississe, se regis majestatem conservaturos, omittis quibus id conditionibus promiseres; si salvā nimirum religione & libertate id fieri posset: quibus utrisque ad extremum usque spiritum iniquus adeò & insidiosus rex iste erat, ut, vivente illo, & religionem pericitaturam, & libertatem interitiram esse facile appareret. Sed rediis jam ad illos regii supplicii authores. Si res ipsa ponderibus suis, & momentis recte estimetur, exitus facti nefandi ita Independentibus impunitari debet, ut principii & progressus gloriam Presbyteriani sibi possent vindicare. Audite Presbyteriani, ecquid nunc juvat, ecquid confert ad innocentiae & fidelitatis opinionem vestræ, quòd à rege puniendo abhorrete tantopere videremini?

Vos isto regis actore verbosissimo, accusatore vestro, plusquam dimidium itine. is confecisti; vos ad quartum aetum & ultra in drame hoc desultando frigilientes spe-  
ctati estis; vos merito regis occisi crimine notari debetis; ut qui viam ad ipsum occi-  
endum muniesisti; vos nefariam illam securim cervicibus ejus inflixisti, non alii. Vx  
vobis imprimis, si unquam stirps Caroli regnum posthac in Anglos recuperabit:  
in vos, mihi credite, cedetur haec faba. Sed Deo vota persolvite, fratres dil-  
ligite liberatores vestros, qui illam calamitatem, atque certam perniciem ab in-  
vitis etiam vobis haec tenus prohibuere. Postulamini vos item, quod aliquos  
annos ante per varias petitiones jus regis immunuere moliti estis, quod voces contumelio-  
sas regi illis ipsis libelli quo nomine Senatus regi porrexisti, insertas publicasti;  
vi-  
delicet in illa declaratione dominorum & communium, Maii 26. 1642. aperte quid  
sensiisti de regis autoritate aliquoties perduellionem spirantibus & insanis positionibus fassi  
estis. Hullae oppidi portas Hothamus, tali mandato a senatu accepto, venienti regi oc-  
clusi; vos quid rex pati posset, hoc primo rebellionis experimento cognoscere concipi-  
vistis. Quid hoc dici potuit accommodatius ad conciliandos inter se Anglorum  
animos, atque a rege penitus abalienandos? cum intelligere hinc possint, si rex  
revertatur, se non solum regis mortem, sed etiam petitiones quondam suas. &  
frequentissimi Parlamenti acta de liturgia & episcopis abolendis, de triennali  
Parlamento, & quaecunque summo populi consensu ac plauis sancta sunt, tan-  
quam seditiosas atque insanas Presbyterianorum positiones luituros. Sed repente  
mutat animum homo levissimus; & quod modò rem ipsam rectè estimanti sibi  
videbatur solis Presbyterianis deberi, id nunc rem eandem ab alto revolventi In-  
dependentibus totum deberi videretur. Modò Presbyterianos vi aperta atque  
armis contra regem graffatos esse, eumque ab iis bello victum, captum, in carcerem  
conjectum affirmabat, nunc omnem hanc rebellionis doctrinam Independentium esse  
scribit. O hominis fidem & constantiam! quid aliam jam opus est narratio-  
nem comparare contra tuam, quæ ipsa sibi tam turpiter decoxit? Verum de te  
siquis dubitat, albûne an ater homo sis, tua legat quæ sequuntur. Tempus est,  
inquis, pandere unde & quando proruperit inimica regibus secta: belli isti sane Puritan-  
i sub regno Elisabethæ prodire tenebris Orci, & Ecclesiam inde turbare primùm cœ-  
perunt, immo rempub. ipsam: non enim sunt minores reipub. pestes quam ecclesiæ.  
Nunc te verè Balaamum vox ipsa sonat; ubi enim virus omne acerbatis evo-  
mere cupiebas, ibi insciens atque invitus benedixisti. Hoc enim tota Anglia  
notissimum est, si qui ad exemplum ecclesiarum vel Gallicarum vel Germani-  
carum, ut quasque reformatiores esse judicabant, puriori cultus divini rati-  
onem sequi studiebant, quam penè omnem Episcopi nostri ceremoniis & super-  
stitionibus contaminaverant, si qui tandem pietate erga Deum, aut vita integrata  
cæteris præstabant, eos ad Episcoporum fautoribus Puritanos fuisse no-  
minatos. Hi sunt quorum doctrinam regibus inimicam esse clamitas; neque hi  
solum, nam plerique reformatorum, inquis, qui in alias disciplinae ejus articulos non  
jurarunt, hunc tamen unum videntur approbasse, qui regie adversatur dominationi.  
Ita Independentes, dum gravissimè insectaris, laudas; qui eos ab integerima  
Christianorum familia deducis; & quam doctrinam Independentium esse pro-  
priam ubique asseris, eam nunc reformatorum plerosque approbasse confiteris; eò  
usque demum audaciæ, impietatis, apostasiae proiectus es, ut etiam Episcopos,  
quos tanquam pestes & Antichristos ex Ecclesia radicitus evellendos, atque ex-  
terminandos esse nuper docuisti, eos nunc a rege tuendos fuisse affirmas, ne quid  
Sacramento scilicet inaugurationis derogatum iret. Nihil est ulterius jam sceleris  
aut infamiae quod possis procedere, quam, quod solum supereft, ut reformatam,  
quam polluis, religionem quamprimum ejures. Quod autem nos aīs omnes  
sectas & hereses tolerare, id noli accusare; quandiu te impium, qui Christiano-  
rum sanctissimos, & plerosque etiam reformatos tibi adversos è tenebris orci pro-  
dire, audes dicere, te vanum, mendacem, & conductitum calumniatorem, te  
denique Apostamat Ecclesia tamen toleret. Tuas autem exinde sycophantias,  
quibus magnam reliqui capit is partem insumis, & quæ monstrosa dogmata In-  
dependentibus, ad cumulandam iis invidiam, affingis, quidni omittam? cum  
neque ad causam hanc regiam omnino pertineant, & ea ferè sint quæ risum po-  
tiū aut contemptum cuiusvis quam refutationem mereantur.

## C A P. XI.

**A**D undecimum hoc caput videre mihi, Salmasi, quamvis nullo cum pudore, cum aliqua tamen conscientia futilitatis tuae accedere. Cum enim hoc loco perquirendum tibi proposueris *qua authoritate* pronunciatum de rege fuerit, subjungis quod à te nemo expectabat, *frustra id quari*; scilicet, *quaestioni huic vix locum reliquit qualitas hominum qui id fecere*. Cum igitur, quam es importunitatis & impudentiae in hac causa suscipienda compertus, tam sis nunc etiam loquacitatis tibi conscius, eò à me brevius responsum feres. Quærenti jam tibi *qua authoritate* ordo plebeius vel judicavit ipse regem, vel aliis id judicium delegavit, respondeo supremā: supremam quemadmodum habuerit, docebunt te ea quae tunc à me dicta sunt, cum te suprà hac ipsa de re gnaviter ineptientem redarguerem. Quòd si tibi saltem crederes, posse te ullo tempore quod satis est dicere, non eadem tories cantare odiosissimè soleres. Aliis autem delegare suam judicandi potestatem ordo plebeius eadem sanè ratione potuit, qua tu regem, qui & ipse omnem potestatem à populo accepit, eandem aliis delegare potuisse dicis. Unde in illa solenni conventione, quam nobis objecisti, cum Angliae tum Scotiae summi ordines religiosè profitentur ac spondent, ea se supplicia de perduellibus esse sumptuosos, *quibus utriusque gentis potestas judicaria suprema, aut qui ab ea delegatam potestatem accepturi erant, plectendos* judicarent. Audis hīc utriusque gentis Senatum una voce testantem se posse suam autoritatem judicariam, quam *supremam* ipsi vocant, aliis delegare: vanam ergo & frivolam de ista potestatis delegatione controversiam moves. At *cum his, inquis, judicibus è domo inferiori selectis juncti etiam judices fuere ex cohortibus militaribus sumpti; nunquam autem militum fuit civem judicare*. Paucissimis te retundam; non enim de cive nūnc, sed de hoste memineris nos loqui: quem si imperator bellicus cum tribunis militaribus suis, bello captum, & è vestigio, si ita videretur, occidendum, pro tribunal iudicare voluerit, an quicquam præter jus belli aut morem censebitur fecisse? qui autem hostis reipublicæ, & bello captus est, ne pro cive quidem is, nedum pro rege in ea repub. haberit potest. Hanc ipsa lex Regis Edvardi sacrosancta sententiam tulit; qua negat malum regem aut esse regem, aut oportere regis nomine appellari. Ad illud autem quod aīs non *integrā* plebis domum, sed *mancam & multilam de regis capite iudicasse*, sic habeto; eorum, qui regem plectendum esse censebant, longè maiorem fuisse numerum, quam qui res quascunq; in Parlamento transigere, etiam per absentiam cæterorum, ex lege debebant; qui cum suo vitio atq; culpâ abelserent (*defectio enim animorum ad communem hostem pessima absentia erat*) nullam iis, qui in fide permanerant, afferre moram conservandæ reipub. poterant; quam vacillantem, & ad servitudinem atque interitum prope redactam, populus universus eorum fidei, prudentiæ, fortitudini primò commiserat. Atque illi quidem strenuè rem gessere; exulcerati regis impotentiae, furori insidiis fese objecere; omnium libertati atque saluti suam posthabuere; omnia antehac Parlamenta, omnes majores suos prudentia, magnanimitate, constantia supergressi. Hos tamen populi magna pars, quamvis omnem illis fidem, operam, atque auxilium pollicita, ingratiss animis in ipso cursu deseruit. Pars hæc servitudinem & pacem cum ignavia atque luxuria ullis conditionibus volebat; pars altera tamen libertatem poscebat, pacem non nisi firmam atq; honestam. Quid hīc ageret Senatus? partem hanc sanam, & sibi & patriæ fidelem defenderet, an desertricem illam sequeretur? Scio quid agere oportuisse dices; non enim Eurylochus, sed Elpenor es, id est vile animal Circéum, porcus immundus, turpisima servitute etiam sub foemina assuetus; unde nullum gustum virtutis, & quæ ex ea nascitur, libertatis habes; omnes esse servos cupis, quòd nihil in tuo peccatore generosum aut liberum sentis, nihil non ignobile atque servile aut loqueris aut spiras. Injicis porrò scrupulum quòd *& Scotia rex erat, de quo statuimus*, quasi idcirco in Anglia impune quidvis illi facere licet. Ut hoc caput denique præ cæteris elumbe atque aridum aliquo saltem facetè dicto queas concludere, *aut inquis, sunt vocula iisdem ac totidem elementis constantes, solo literarum situ differentes, sed immenso quantum significatione differentes, Vis, & Jus*. Minimè profectò mihi est te trium literarum hominem tam scitam ex tribus literis arguiolam exculpere potuisse; hoc magis mirandum est quod toto libro asseris, duas res tam inter se cætero-

cæteroqui *differentes*, in regibus unum atque idem esse. Quæ enim vis est unquam à regibus facta, quam non jus regium tu esse affirmasti? Hæc sunt quæ novem paginis bene longis responsione digna animadvertere potui; cætera sunt ea, quæ aut identidem repetita haud semel refutavimus, aut ad hanc causam disceptandam nullum habent momentum. Itaque solito nunc brevior si sum, id non meæ diligentia, quam in hoc summo tædio languescere non patior, sed tuæ loquacitati, rerum & rationum tam cassæ atque inani, imputandum erit.

## C A P. XII.

**V**Ellem equidem, Salmasi, ne cui forte videar in regem Carolum, suo fato  
atque suppicio defunctum, iniquior esse aut acerbior, ut totum hunc de  
criminibus ejus locum, quod & tibi & tuis consultius fuisset, silentio præteriisse.  
Nunc verò quoniam id magis placuit, ut de iis præfidenter & verbosè dices,  
faciam profectò ut intelligas, nihil à te fieri incogitantius potuisse, quām ut deterri-  
mam causæ tuæ partem, nempe ejus crima ad extremum refricanda & accuratiùs  
inquirenda reservares; quæ, cum vera & atrocissima ostendero fuisse, & ejus  
memoriam omnibus bonis ingratam atque invisam, & tui defensoris odium quām  
maximum in animis legentium novissimè relinquant. *Dñs, inquis, partes ejus  
accusationis fieri possunt; una in reprehensione vita versatur, altera in delictis que tan-  
quam rex potuit committere.* Et vitam quidem ejus inter convivia, & ludos, &  
fœminarum greges dilapsam facile racebo: quid enim habet luxus dignum me-  
moratu? Aut quid hæc ad nos, si tantùm privatus fecisset? postquam voluit rex  
esse, ut nec sibi vivere, ita ne peccare quidam sibi solum potuit. Primum enim  
exemplo suis vehementissimè nocuit; secundo loco, quod temporis libidinibus  
& rebus ludicris impendit, quod erat plurimum, id totum reipub. quam susce-  
perat gubernandam, subduxit; postremò immensas opes, innumerabilem pecu-  
niā, non suam, sed publicam luxū' domestico dilapidavit. Itaque domi rex ma-  
lus primū esse cœpit. Verum ad ea potius crima *qua male regnando commis-  
serit* transeamus. Hic doles *tyrannum* eum, *proditorem*, & *homicidam* fuisse ju-  
dicatum. Id non injuria factum demonstrabitur. Tyrannum autem priùs, non  
ex vulgi opinione, sed ex Aristotelis & doctorum omnium judicio definiamus.  
Tyrannus est qui suam duntaxat, non populi utilitatem spectat. Ita Aristoteles  
ethicorum decimo, & alibi; ita alii plerique. Suane commoda an populi spe-  
ctarit Carolus, pauca hæc de multis, quæ tantummodò perstringam, testi-  
monio erunt. Cum aulæ sumptibus patrimonium & proventus regii non suffice-  
rent, imponit gravissima populo tributa; ilsq; absumptis nova excogitavit: non  
ut rempub. vel augeret, vel ornaret, vel defendeter, sed ut populi non unius opes  
vel unam in domum congerendas inferret, vel una in domo dissiparet. Hunc  
in modum sine lege cum pervolaret omnia, quod unicum sciebat sibi fræno  
sore, Parlamentum aut funditus abolere, aut convocatum haud saepius quām id  
suis rationibus conduceret, sibi soli reddere obnoxium conatus est. Quo fræno  
sibi detracto, aliud ipse populo frænum injectit: Germanos equites, pedites Hi-  
bernos per urbes, pérque oppida quasi in præsidiis, cum bellum esset nullum,  
collocandos curavit: parūmne tibi adhuc tyrannus videtur? In quo etiam, ut in  
aliis multis rebus, quod supra per occasionem abs te datam ostendi ( quanquam  
tu Carolum Neroni crudelissimo conferri indignaris ) Neroni perquam similis  
erat: nam & Senatum ille à repub. se sublaturum persæpe erat minatus.  
Interea conscientiis religiosorum hominum supra modum gravis, ad cære-  
monias quasdam & supersticiosos cultus, quos è medio papismo in ecclesiam  
reduxerat, omnes adigebat; renuentes aut exilio aut carcere multabat; Sco-  
tos bis eam ob causam bello adortus est. Huc usque simplici saltem vice-  
nomen tyranni commeruisse videatur. Nunc cur adjectum in accusatione prodi-  
toris nomen fuerit exponam. Cum huic Parlamento saepius pollicitis, edictis,  
execrationibus confirmasset, se nihil contra rempub. moliri, eodem ipso tempore  
aut papistarum delectus in Hibernia habebat, aut legatis ad regem Daniæ clan-  
culum missis, arma, equos, auxilium disertè contra Parlamentum petebat, aut  
exercitum nunc Anglorum nunc Scotorum pretio sollicitabat; illis Urbem Lon-  
dinum diripiendam, his quatuor provincias Aquilonares Scotorum ditioni adjun-  
gendas promisit, si sibi ad Parlamentum quoquo modo tollendum commodare  
suam

suam operam vellent. Cum hæc non succederent, cùdem Dillonio perduelli dat secretiora ad Hibernos mandata, quibus juberentur omnes Anglos ejus insulæ colonos repente armis adoriri. Hæc fere prodigionum ejus monumenta sunt; non vanis rumoribus collecta, sed ipsis literis ipsius manu subscriptis atq; signatis comperta. Homicidam denique fuisse, cuius acceptis mandatis Hiberni arma ceperint, ad quinque centena millia Anglorum in summa pace nihil tale metuentium exquisitis cruciatibus occiderint, qui etiam tantum reliquias duobus regnis bellum civile conflarit, neminem puto negaturum. Addo enim quod in illo Vectensi colloquio hujus belli & culpam & crimen rex palam in te suscepit, eoque omni Parliamentum notissima confessione suâ liberavit. Habes nunc breviter quamobrem rex Carolus & tyrannus & proditor & Homicida judicatus fuerit. At cur non prius, inquis in illo solenni fœdere, neque postea cum dedititius esset, vel à Presbyterianis vel ab Independentibus sic judicatus est, sed potius, *ut regem decuit accipi, omni reverentia est exceptus?* Vel hoc solo argumento persuaderi cuivis intelligenti queat, non nisi serò tandem, & postquam omnia sustinuerant, omnia tentaverant, omnia perpepsi erant, deliberatum Ordinibus fuisse regem abjicere. Tu id solus maliciose nimis in invidiam rapis, quod summam eorum patientiam, equanimitatem, moderationem, fastisque regii tolerantium nimis fortasse longam apud omnes bonos testabitur. At mense Augusto, qui præcessit ejus supplicium, domus Communium quæ sola jam tum regnabat & Independentibus erat obnoxia, scripsit literas ad Scotos, quibus testabatur nunquam sibi in animo fuisse mutare statum qui huc usque in Anglia obtinuerat sub rege, domo dominorum, & Communium. Vide jam quām non doctrinæ Independentium abrogatio regis attribuenda sit. Qui suam dissimulare doctrinam non solent, etiam potiti rerum profitentur *nunquam sibi in animo fuisse statum regi mutare.* Quod si id postmodum in mentem venit, quod in animo non fuit, cur non licebat quod rectius, & è repub. magis esse videbatur, id potissimum sequi? præsertim cum Carolus neque exorari, neque electi ullo modo potuerit, ut justissimis eorum postulatis queque semper eadem ab initio obtulerant, assentiretur. Quas initio de religione, quas de jure suo sententias perversissimas tuebatur, nobisque adeò calamitosas, in iisdem permanebat: ab illo Carolo nihil mutatus, qui & pace & bello tanta nobis omnibus mala intulerat. Siquid est assensus, id & invitè facere, & quamprimum sui juris foret, pro nihilo se habiturum haud obscuris indicis significabat: idem apertè filius, abducta secum per eos dies classis parte, scripto, idem ipse per literas ad suos quosdam in urbe declarabat. Interea cum Hibernis Anglorum hostibus immanissimis, reclamante Parlamento, fœdis conditionibus occultè pacem coagmentaverat, Anglos ad repetita inutiliter colloquia & pacem quoties invitabat, toties contra eos omni studio bellum coquebat. Hic ille quibus concredita res pub. erat. Quò se verterent? an commissam sibi nostram omnium salutem in manus hosti acerbissimo traderent? An alterum belli propè internecini septennium, nequid pejus ominemur, gerendum nobis iterum, & exantlandum relinquerent? Deus meliorem illis mentem injectit, ut prioribus de rege non movendo cogitationibus, non enim ad decreta pervenerant, rempub. religionem, libertatem ex ipso illo fœdere solenni anteponerent; quæ quidem stante rege constare non posse, tardiū illi quidem quam oportuit, sed aliquando tamen viderunt. Sanè Parlamento nunquam non liberum atque integrum esse debet, ex re natâ quām optimè reipub. consulere; neque ita se prioribus addicere sententiis, ut religio sit in posterum, etiamsi Deus dederit, vel sibi, vel reipub. plus sapere. At Scotti non idem sentiunt, quinimo ad filium Carolum scribentes, *sacratissimum regem appellant parentem ejus, & sacerdulum facinus quo recatus est.* Cave plura de Scottis, quos non novisti; nos novimus, cum eundem regem *sacerdulum,* & homicidam & proditorem; facinus quo tyrannus necaretur *sacratissimum* appellarent. Nunc regi quam dicam scriptissimus, quasi parùm commodè scriptam cavillaris, & quid opus fuerit ad Elogium illud tyranni addere proditoris & homicide titulos, quæris: *cum tyranni appellatio omnia mala comprehendat: tum quis tyrannus sit grammaticè & glosmaticè etiam doces.* Aufer nugas istas, literator, quas una Aristotelis definitio modò allata nullo negotio diffablit; quæque te doctorem docebit nomen tyranni, quoniam tuā nihil interest praeter nomina intelligere, posse citra proditionem & homicidium stare. Atqui leges Anglicana non dicunt proditionis crimen regem incurrire si procuraverit seditionem contra se vel populum suum. Neque dicunt, inquam, Parliamentum læse Majestatis reum esse, si malum regem tollat, aut unquam fuisse, cum saepius olim sustulerit:

posse autem regem suam majestatem lādere atque minuere, immò amittere, clara voce testantur. Quod enim in illa lege Sancti Edovardi legitur, *nomen regis perdere*, nihil aliud est quām regio munere ac dignitate privari; quod accidit Chilperico Franciæ regi, cuius exemplum illustrandæ rei causa eodem loco lex ipsa ponit. Committi autem summam perduellionem tam in regnum, quām in regem non est apud nos jurisperitus qui inficias ire possit. Provoco ad ipsum, quem profers Glanvillanum. *Siquis aliquid fecerit in mortem regis, vel seditionem regni, crimen proditionis esse.* Sic illa machinatio quā Papistæ quidam Parlamenti curiam cum ipsis ordinibus uno iētu pulveris nitrati in auras disjicere parabant, non in regem solum, sed in Parliamentum & regnum, ab ipso Jacobo & utraq; ordinum domo *summa proditio* judicata est. Quid plura attinet in re tam evidenti, quæ tamen facile possem, statuta nostra allegare? cum ridiculum planè sit & ratione ipsa abhorrens, committi perduellionem in regem posse, in populum non posse, propter quem & cuius gratia, cuius, ut ita dicam, bonā veniā, rex est id quod est. Frustra igitur tot statuta nostra deblateras, frustra in vetustis legum Anglicarum libris exerces te atque volutas; ad quas vel ratas vel initias habendas Parlamenti authoritas semper valuit; cuius etiam solius est, quid sit perduellio, quid lāsa majestas interpretari: quam majestatem nunquam sic à populo in regem transiisse, ut non multo celsior atque augustior in Parlamento conspi ciatur, jam sāpiū ostendi. Te verò vappam & circulatorem Gallum jura nostra interpretantem quis ferat? Vos verò Anglorum perfugæ, tot episcopi, doctores, jurisconsulti, qui literaturam omnem & eruditio nem vobiscum ex Anglia aus fugisse prædicatis, adeōne ex vestrū numero nullus causam regiam atque suam defendere satis strenue satisque latine sciebat, gentibúsque exteris dijudicandum exponere, ut cerebrosus iste & crumenipeta Gallus mercede accersendus in partes necessariò esset, qui regis inopis, tot doctorum & sacerdotum infantia stipati, patrocinium susciperet? magna, mihi credite, infamia etiam hoc nomine apud exteris nationes flagrabitis; & meritò vos utique cecidisse causā omnes existimabunt, quam ne verbis quidem, nedum armis aut virtute sustinere valueris. Sed ad te redeo, vir bone, dicendi perite, si tu te modò ad te rediisti; nam stertentem te tam prope finem & de morte voluntaria nescio quid ab re somniantem offendō; tum statim negas *cadere in regem sua mentis compotem*, ut *populum seditionibus distractabat, exercitus suos hostibus debellandos iradat, ut factiones contra se susciteret.* Quæ omnia cum & alii multi reges, & Carolus ipse fecerit, dubitare non potes, præsertim Stoicus, quin ut omnes improbi, sic omnes quoque tyranni prorsus insaniant. Flaccum audi.


*Quem mala stultitia, & quæcumque inscitia veri  
Cæcum agit, insanum Chrysippi porticus & grec  
Antumat, hæ populos, hac magnos formula reges,  
Excepto sapiente, tenet.—*

Si igitur infani cuiuspiam facti crimen à rege Carolo amovere cupis, debebis improbitatem ab eo priùs amovere quām insaniam. At enim *rex non potuit proditionem in eos committere*, qui vassalli ipsius & subjecti fuere. Primum, cum æquè atque ulla gens hominum liberi simus, nullum barbarum morem fraudi nobis esse patiemur: fac deinde *vassallos* fuisse nos regis, ne sic quidem tyrannum perseire dominum tenemur. Omnis ea subjectio, ut ipsæ leges nostræ loquuntur, *honesto & utili* definita est. Leg. Hen. I. c 55. Fidem eam esse *mutuam* jurisconsulti omnes tradunt, si dominus *ligeam*, quod aīunt, *defensionem præstite-* rit: sin è contrario nimium laetus fuerit, aut atrocem aliquam injuriam intulerit, *dissolvi & penitus extingui omnem homagii connexionem.* Hæc ipsa Bractoni verba & Fletæ sunt. Unde vassallum est ubi lex ipsa in dominum armat; eumque singulare certamine à vassallo, si acciderit, interimendum tradit. Idem si universæ civitati aut nationi in tyrannum non licuerit, deterior liberorum hominum conditio quām servorum erit. Nunc Caroli homicidia aliorum regum partim homicidiis, partim justè factis excusare contendis. De lanienâ Hibernensi remittis lectorem ad opus illud regium *Iconis Basilica*; & ego te remitto ad *Iconoclastem*. *Captam Rupellam*, præditos Rupellenses, ostentatam potius quām datam opem, imputari Carolo non vis: imputetur necne meritò, non habeo dicere; satis supérque ab eo peccatum est domi, ne externa persequi curem: omnes interim ecclesiæ protestantium, quorū illo tempore se contra reges religionis hostes

hostes armis defenderunt, eodem nomine rebellionis damnas. Quam contumeliam ab alumno suo sibi illatam quanti intersit ad disciplinam ecclesiasticam, sumque tuendam integratem, non negligere, secum ipsi cogitent: nos etiam Anglos ea expeditione proditos acerbè tulimus. Qui enim regnum Angliae in tyrannidem convertere diu meditatus erat, non, nisi extincto prius militari ci-vium robore ac flore, cogitata perfidere se posse arbitrabatur. Aliud erat crimen regis, quod ex jurejurando à regibus regnum capessentibus dari solito verba quedam ejus iussu erauunt, at equam jurasset. O facinus indignum & execrandum! impium qui tecit, quid dicam qui defendit? nam quæ potuit, per Deum immortalem, quæ perfidia, aut juris violatio esse major? quid illi sanctius post sacratissima religionis mysteria illo jurejurando esse debuit? Quis quæso sceleratior, ille qui in legem peccat, an qui secum legem ipsam ut peccare faciat dat operam? aut denique ipsam legem tollit ne peccasse videatur? Agendum, jus hoc religiosissime jurandum rex iste violavit; sed ne palam tamen violasse videretur, turpissimo, quodam adulterio per dolum corrupit; & ne pejorasse diceretur, jus ipsum jurandum in perjurium vertit. Quid aliud potuit sperari, nisi iniquissime, vel satanice, atque infelicissime regnaturum esse eum, qui ab injuria tam detestanda auspiciatus regnum est; jusque illud primum adulterare auderet, quod solum impedimento sibi fore, ne jura omnia perverteret, putabat? At enim *Sacramentum* illud, sic enim defendis, *non magis obligare reges potest, quam leges; legibus autem se devinciri velle pra se ferunt, & secundum eas vivere, cum tamen re vera iis soluti sint.* Quemquām tam sacrilego, tamque incesto ore esse, ut sacramentum religiosissimum tactis Evangelii datum, quasi per se leviculum solvi sine causa posse afferat? Te vero, scelus atque portentum, ipse Carolus redarguit; qui cum sacramentum illud non esse per se leve quidpiam existimaret, idcirco ejus religionem aut subterfugere, aut fallaciā quavis eludere satius duxit, quam aperte violare; & corruptor jusjurandi hujus & falsarius esse maluit, quam manifeste perjurus. At vero *jurat quidem rex populo suo, ut populus vicissim regi; sed populus jurat regi fidelitatem, non populo rex.* Lepidum sane hominis commentum! annon qui juratus promittit atque spondet se quidpiam fideliter præstirum, fidem suam iis obligat qui jusjurandum ab eo exigunt? Rex sane omnis quoad præstanda ea quæ promittit, & fidelitatem, & obsequium, & obedientiam populo jurat. Hic ad Guilielmum Conquistorem recurris, qui ipse, non quod sibi collibitum erat; sed quod populus ab eo & magnates postulabant, id omne haud semel jurare est coactus se præstirum. Quod si multi reges coronam solenni ritu non accipiunt & proinde non jurant, & tamen regnant, idem de populo responderi potest; cūjus pars magna fidelitatem nunquam juravit. Si rex ob eam causam solutus erit, erit & populus. Quæ autem pars populi jurabat, non regi solum, sed regno & legibus jurabat, à quibus rex factus est, & quidem eatenus tantum regi, quoad is leges observaret, *quas vulgus, id est, communitas sive plebeius ordo elegerit.* Stultior enim sit, qui legum nostrarum loquelam ad puriorem semper latinitatem exigere velit. Hanc clausulam, *quas Vulgus elegerit*, Carolus, antequam coronam acciperet, ex formula juramenti regii eradendam curavit. At, inquis, *sine regis assensu nullas leges vulgus elegerit*; eoque nomine duo statuta citas, unam Anni xxxvii. Hen. 6. c. xv. alterum decimo tertio Edovardi iv. c. viii. Tantum autem abest quo minus eorum alterum in libro statutorum usquam appareat, ut annis abs te citatis, neque rex iste neque ille ullum omnino statutum promulgaverit. Tu fidem iam perfugaram, statuta tibi dictantium, elusus querere; dum alii tuam admirantur impudentiam simul & vanitatem, quem non pudebat iis in libris versatissimum videri velle, quos in pexisse nunquam, ne ydissē quidem tam facile argueris. Clasulam autem istam jusjurandi, quam tu perficti oris balatro *commentitiam* audes dicere, regis, inquis, *defensores fieri posse aīunt*, ut in aliquot antiquis exemplaribus extiterit, *sed in desuetudinem abiisse*, quod *commodam significationem non haberet.* Verum ob id ipsum maiores nostri illam clausulam in hoc regis jurejurando posuere, ut significationem tyrannidi semper non commodam haberet. In desuetudinem autem si abierat, quod tamen falsissimam est, quis neget multo meliori jure revocandam fuisset? frustra, si te audiam: quippe in regibus mos ille *jurandi qui hodie receptus est; ceremonialis est tantum.* Atqui rex, cum episcopos abolescere oportuit, per illud jusjurandum non licere sibi causatus est. Atque ita sacramentum illud sanctissimum, quoties ex usu est regis, vel solidum quiddam & firmum eiit, vel inane tantum & ceremoniale. Quod ego vos obtestor, Angli, etiam atque etiam

animadvertis: & qualem estis regem habitui, si redierit, vobiscum reputetis: non enim in mentem venisset unquam huic Grammatico sceleroso & extraneo de jure regis Anglorum velle scribere, aut posse, nisi Carolus ille extorris, disciplina patriâ innatus, urâque illi monitores ejus profligatissimi, quid hac de re scribi vellent omni studio suggestissent. Dictabant huic illi, *totum Parlamentum proditionis in regem insimulari posse*, vel ob hoc solum, quod sine assensu regis declaravit omnes esse proditores qui arma contra Parlamentum Anglie sumpserunt; *vassallum scilicet regis esse Parlamentum*; *jusjurandum verò régium ceremoniale tantum esse*, quidni *vassallum etiam?* Ita neque legum ulla sanctitas, neque sacramenti ulla fides, aut religio, quicquam valebit ad cohibendam à vita atque fortunis vestrum omnium vel libidinem effrenati regis, vel ultionem exacerbari: qui ita institutus à pueritia est, ut leges & religionem, ipsam denique fidem vassallari sibi, & servire suis libitis arbitretur debere. Quanto præstabilius esset, vobisque dignius, si opes, si libertatem, si pacem, si imperium vultis, à virtute, industria, prudentia, fortitudine vestra indubitanter petere haec omnia quam sub regio dominatu incalsum sperare? Certè qui sine rege ac domino parari hæc posse non putant, dici non potest, quam abjectè, quam non honestè, non dico quam indignè, de se ipsi statuant: quid enim aliud nisi se inertes, imbecillios, mentis inopes, atque consilii, corpore atque animo ad servitium natos satentur esse? Et servitus quidem omnis homini ingenuo turpis est; vobis autem post libertatem, Deo vindice vestroque marte recuperatam, post tot fortia facinora, & exemplum in regem potentissimum tam memorabile editum velle rursus ad servitatem, etiam præter fatum, redire, non modo turpissimum, sed & impium erit, & sceleratum: párque vestrum scelus illorum sceleri erit, qui servitudes olim Ægyptiacæ desiderio capti, multis tandem cladibus ac variis divinitus absumpti, liberatori Deo poenas tam servilis animi dedere. Quid tu interim, servitutis conciliator? Potuit, inquis, rex proditionis & delictorum aliorum gratiam facere; quod satis evincit legibus eum solutum fuisse. Prodicionis quidem, non quæ in regnum, sed quæ in sé commissa erat, poterat rex, ut quivis alias, gratiam facere: poterat & quorundam aliorum fortasse maleficiorum, quanquam non id semper: an idèo qui maleficum servandi nonnunquam jus quoddam habet, idem continuò omnes bonos perdendi jus ullum habebit? Citatus in curiam, eamque inferiorem, respondere non tenetur, nisi per procuratorem, rex; an ideo in Parlamentum citatus ab universis non veniet? non ipse respondebit? Conari non aīs Batavorum exemplo factum nostrum tueri, atque hinc, stipendo scilicet metuens quo te Batavi luem atque pestem alunt, ne Anglos infamando etiam Batavos altores tuos infamasse videaris, demonstrare cupis quam dissimile sit quod hi & quod illi fecerunt. Quam ego collationem tuam, quanquam in ea quædam sunt falsissima, alia, ne salario fortasse tuo non satis litares, palpum olen, omittam. Negant enim Angli opus sibi esse ut exterorum quorumvis exemplo facta sua tueantur. Habent leges; quas secuti sunt, patrias, hac in parte, sicubi terrarum aliæ sunt, optimas: habent quos imitantur, maiores suos, viros fortissimos, qui immoderatis regum imperiis nunquam cessere; multos eorum intolerantiū se gerentes per supplicium necavere. In libertate sunt nati, sibi sufficiunt, quas volunt leges possunt sibi ferre; unam præ ceteris colunt antiquissimam, à natura ipsa latam, quæ omnes leges, jus omne atque imperium civile non ad regum libidinem, sed ad bonorum maximè civium salutem refert. Jam præter quisquillas & rudera superiorum capitum restare nihil video; quorum quidem acervum cum satis magnum in fine congesferis, nescio quid aliud tibi volueris, nisi hujus tuæ fabricæ ruinam quasi præfigire. Tandem aliquando post immensam loquacitatem rivos claudis; *Deum testatus te hanc causam tuendam suscepisse, non tantum quia rogatus, sed quia meliorem nullam te potuisse defendere conscientia tibi suggestit.* Rogatus tu in res nostras tibi alienissimas, nobis non rogantibus, te interponas? Tu populi Anglicani summos magistratus pro authoritate præque imperio sibi commisso quod tuum munus est in sua ditione agentes, nulla injuriâ lacesitus (neque enim natum te esse sciebant) indignissimis verborum contumeliis laceres, librōque infami edito proscindas? A quo autem rogatus? An ab uxore, credo, quæ jus regium, ut perhibent, in te exercet; quæque tibi, quoties liber, ut illa Fulvia, cuius, ex epigrammate obsceno, centones modò consuisti (p. 320.) aut scribe aut pugnemus aīt: unde tu, ne signa canerent, scribere malebas. An rogatus fortasse à Carolo minore, & perditissimo illo peregrinantium aulicorum grege, quasi alter Balaamus ab altero Balacco rege accersitus,

situs, ut jacentem regis causam, & male pugnando amissam maledicendo erigeret dignare? Sic sanè fieri potuit; nisi quod hoc ferè intersuit; ille enim vir sagax asino insidens locutuleio ad execrandum venit; tu asinus loquacissimus infelix à sc̄. anima, & sanatis quos vulneraveras episcoporum capitibus obsitus, apocalypticus illius beatissimam parvam quandam imaginem exprimere videris. Sed ferunt poenituisse te hujus libri, post paulò quam scripsisses. Benè profectò habet; tamen itaque ut testere omnibus poenitentiam, nihil tibi prius faciendum erit, quam ut pro libro tam longo unam tantummodo literam adhuc longam ex te facias. Sic enim poenituit Iscarioten illum Judam cui similis es; idque novit puer Carolus, qui crumenam idcirco tibi, insigne illud Judæ proditoris, dono misit, quod primum audierat, & postmodum sciebat, te apostamat esse & Diabolum. Iudas ille Christum prodidit, tu Christi Ecclesiam; Episcopos Antichristos esse docueras, ad eos defecisti: Quos inferis damnaveras, eorum causam suscepisti: Chilicus omnes homines liberavit, tu omnes ad servitutem redigere conatus es: Ne dubita, postquam in Deum, in Ecclesiam, in omne genus hominum tam impius fuisti, quin te etiam idem exitus maneat, ut desperatione magis quam poenitentia ductus, tuique pertulsus, ab infelici tandem arbore pendens, sicut & par ille tuus olim, medius crepes; illamque malefidam & fallacem conscientiam, bonorum & sanctorum insectatricem, ad destinatas tibi quandoque supplicii sedes praemittas. Hactenus, quod initio institueram ut meorum civium facta egregia contra insanam & lividissimam furentis sophistæ rabiem, & domi & foris detenderem, jisque populi commune ab injusto regum dominatu asternerem, non id quidem regum ocio, sed tyrannorum, Deo bene juvante, videor jam milii absolvisse: Neque ullum sine responso vel argumentum, vel exemplum, vel testimonium ab adversario allatum sciens prætermisi, quod quidem similitatis in se quicquam, aut probationis vim ullam habere videretur; in alteram fortasse partem culpæ propior, quod sapientiæ ineptiis quoque ejus, & argutiis tritissimis, quasi argumentis, respondendo, id iis tribuisse videar, quo dignæ non erant. Unum restat, & fortasse maximum, ut vos quoque, ô Civiles, adversarium hunc vestrum ipsi refutetis; quod nulla alia ratione video posse fieri, nisi omnium maledicta vestris optimè factis exuperate perpetuo contentatis. Vota vestra & preces ardentissimas Deus, cum servitutis haud uno genere oppressi, ad eum consurgistis, benignè exaudiit. Quæ duo in vita hominum mala sanè maxima sunt, & virtuti damnosissima, Tyrannis & superstitione, iis vos gentium primos gloriösè liberavit; eam animi magnitudinem vobis injectit, ut devictum armis vestris & deditiitum regem judicio inclito judicare, & condemnatum punire primi mortalium non dubitaretis. Post hoc facinus tam illustre, nihil humile aut angustum, nihil non magnum atque excelsum & cogitare & facere debebitis. Quam laudem ut assequamini, hac sola incedendum est via, si ut hostes bello domuistis, ita ambitionem, avaritiam, opes, & secundarum rerum corruptelas, quæ subigunt cæteras gentes hominum, ostenderitis posse vos etiam inermes media in pace omnium mortalium fortissimè debellare: Si, quam in repellenda servitute fortitudinem præstis, eam in libertate conservanda justitiam, temperantiam, moderationem præstiteritis. His solis argumentis & testimoniis evincere potestis, non esse vos illos, quos hic probris inseguitur, *Perduelles, latrones, scarios, parricidas, fanaticos;* non vos ambitionis aut alieni invadendi studio, non seditione, aut pravis ullis cupiditatibus, non amentia aut furore percitos, regem trucidastis, sed amore libertatis, religionis, justiciæ, honestatis, patriæ denique charitate accensos, tyrannum puniisse. Sin autem, quod, bone Deus, ne unquam siveris, aliter in animum induxeritis, si in bello fortes, in pace turpes eritis, qui manifestum sensistis numen vobis tam propitium, hostibus tam grave, neque exemplo tam insigni & memorando ante oculos posito, Deum vereri, & justitiam colere didiceritis, quod ad me attinet, concedam sanè, & fatebor, neque enim potero negare, ea omnia quæ nunc maledici & mendaces de vobis pessimè aut loquuntur aut sentiunt, vera esse: Vosque multo iratiorem brevi tempore experti estis Deum, quam aut intensum inimici vestri, aut vos benignum & faventem & paternum, præ cæteris omnibus terrarum orbis gentibus hodiernis, experti estis:



# D E F E N S I O S E C U N D A

Pro Populo Anglicano,

Contra Infamem Libellum Anonymum,

Cui Titulus,

*Regii Sanguinis clamor ad Cœlum, adversus Par-  
ricidas Anglicanos.*

**Q**UOD in omni vita hominum, omnique genere officii est primum, ut grati semper erga Deum, ejusque memores beneficiorum simus, tum præsertim, si qua supra spem votumque evenerint, ut, ob ea, singulares atque solennes gratias quamprimum referamus, id mihi nunc in ipso limine orationis tribus potissimum de causis video esse faciendum. Primum iis me natum temporibus patriæ, quibus civium virtus eximia, & supergressa omnes majorum laudes magnitudo animi atque constantia, obrestata prius Deum, eundemque sequuta manifestissimum ducem, editis post orbem conditum exemplis factisque fortissimis, & gravi dominatione rem publicam, & indignissimâ servitute religionem liberavit. Deinde, cum extitissent subito multi, qui, ut est ferè ingenium vulgi, egregiè facta odiosè criminarentur, uniusque, præ cæteris, literatorio fastu, & conceptâ de se gregalium suorum opinione inflatus ac fidens, conscripto in nos libro admodum infami, tyrannorum omnium patrocinium nefariè suscepisset, me potius quam alium quemvis, neque tanti nominis adversario, neque tantis rebus dicendis visum imparem, ab ipsis patriæ liberatoribus has partes accepisse communis omnium consensu ultrò delatas, ut causam & populi Anglicani, & ipsius adeò Libertatis, si quis unquam aliis, publicè defendere. Postremò, in re tam ardù & expectationis plenâ, neque civium meorum de me sive spem, sive iudicium illud fefelleret, neque exterorum quamplurimis cum doctis viris, tum rerum peritis non satisfecisse; adversarium verò, quamvis audacissimum, ita profligasse, ut animo simul & existimatione fractâ cederet; triennioque toto, quo postea vixit, multa licet minatus ac fremens, nullam tamen amplius modestiam nobis exhiberet, nisi quod vilissimorum quorundam hominum obscuram operam subsidio sibi corrogaret, & laudatores nescio quos ineptos atque immodicos, ad inopinatam ac recentem infamiam, siquo modo posset, sarcinendam subornaret; quod statim patebit. Hæc ego divinitus mihi accidisse bona, & magna quidem ratus, appositissima denique non modò ad persolvendas numini ex debito gratias, sed ad auspicium quoque optimum instituti operis capiendum, cum veneratione, ut facio, imprimis commemoranda esse duxi. Nam quis est qui patriæ decora non arbitretur sua? quid patriæ cuiusquam esse magis decori aut gloriæ potest, quam libertas, non civili tantum vitæ, sed diuino etiam cultui restituta? quæ gens, quæ civitas aut felicius aut fortius hanc sibi utrobique peperit? Etenim fortitudo, cum non tota in bello atque armis eniteat, sed contra omnes æquè formidines diffundat vim suam arque intrepida sit, Græci quidem illi, quos maximè admiramur, & Romani, ad tollendos ex civitatibus tyraños nullam ferè virtutem, præter studium libertatis, expeditæ arma, promptasque manus attulere; Cætera omnia in proclivi, inter laudes omnium

omnium & plausus, & læta omnia, peragebant ; nec tam ad discriminem & ambiguum facinus quam ad certamen virtutis gloriosissimum atque pulcherrimum, ad præmia denique & coronas spemque immortalitatis certissimam properabant. Nondum enim Tyrannis res sacra erat ; nondum tyranni, Christi scilicet proreges atque vicarii repente facti, cum benevolentia non possent ; cæcum vulgi superstitione feso munierant : nondum Clericorum malis artibus attonita plebs, ad barbariem eam foediorem, quæ stolidissimos mortalium infamat Indos, degeneraverat. Illi enim noxios sibi Dæmonas, quos abigere noui possunt, pro Diis colunt ; hæc Tyranno nè liceret tollere cum posset, impotentissimos crebat in se Deos ; & humani generis pestes in suam perniciem consecrabat. At contra has omnes traditarum diu opinionum, religionum, calumniarum, atque terrorum densissimas acies, hoste ipso vehementius ab aliis formidatas, decertandum Anglis erat. Quæ omnia, edocti melius, & preculdubio cœlitus imbuti, tantæ causæ fiduciæ, tantæ animorum firmitate ac virtute superarunt, ut cum numero populus sanctè magnus essent, animis tamen tam erectis tamque excelsis, vulgus esse desirint ; Britanniæque ipsa posthac, quæ tyrannorum terra ferax dicta olim est, nunc liberatorum longè feracior, perpetuâ seculorum omnium celebratione dici meruerit. Quos non legum contemptus aut violatio in effrenatam licentiam effudit ; non virtutis & gloriae falsa species, aut stulta veterum æmulatio inani nomine libertatis incendit, sed innocentia vitæ, morumque sanctitas rectum atque solum iter ad libertatem veram docuit, legum & religionis justissima defensio necessariò armavit. Atque illi quidem Deo perinde confisi, servitutem honestissimis armis pepulere : cuius laudis etiè nullam partem mihi vendico, à reprehensione tamen vel timiditatis vel ignaviae, si qua insertur, facile me tueor. Neque enim militiae labores & pericula sic defugi, ut non alia ratione, & operam, multò utiliore, nec minore cum periculo meis civibus navârim, & animum dubiis in rebus neque demissum unquam, neque ullius invidiae, vel etiam mortis plus aquo metuentem præstiterim. Nam cum ab adolescentulo humanioribus essem studiis, ut qui maximè deditus, & ingenio semper quam corpore validior, posthabitâ castrensi operâ, quam me gregarius quilibet robustior facile superasset, ad ea me contuli, quibus plus potui ; ut parte mei meliore ac potiore, si saperem, non deteriore, ad rationes patriæ, causamque hanc præstantissimam, quantum maximè possem momentum accederem. Sic itaque existimabam, si illos Deus res gere tam præclaras voluit, esse itidem alios à quibus gestas dici pro dignitate atque ornati, & defensam armis veritatem, ratione etiam, (quod unicum est præsidium vere ac propriè humanum) defendi voluerit. Unde est, ut dum illos invictos acie viros admiror, de mea interim provincia non querar ; imino mihi gratuler, & gratias insuper largitori munerum coelesti iterum summas agam obtigisse talem, ut aliis invidenda multò magis, quam mihi ullo modo pœnitenda videatur. Et me quidem nemini vel intimo libens confero ; nec verbum de me ullum insolentius facio : ad causam verò omnium nobilissimam, ac celeberrimam, & hoc simul defensores ipsos defendendi munus ornatisimum ipsorum mihi suffragiis attributum atque judiciis quoties animum refero, fateor me mihi vix temperare, quin altius atque audentius quam pro exordii ratione insurgam ; & grandius quiddam, quod eloqui possim, queram : quandoquidem oratores illos antiquos & insignes, quantum ego ab illis non dicendi solum sed & loquendi facultate, (in extranea præsertim, quam utor necessariò, lingua, & persæpe mili nequam satisfacio) haud dubiè vincor, tantum omnes omnium ætatum, materiae nobilitate & argumento vincam. Quod & rei tantam expectationem ac celebritatem adjecit, ut jam ipse me sentiam non in foro aut rostris, uno duntaxat populo, vel Romano, vel Atheniensi circumfusum ; sed attentâ, & considente quasi torâ penè Europâ, & judicium ferente, ad universos quacunque gravissimorum hominum, urbium, gentium, confessus atque conventus, & priore defensione, dixisse, & hac rursus dicturum. Jam videor mihi, ingressus iter, transmarinos tractus & porrectas latè regiones, sublimis perlustrare ; vultus inumeros atque ignotos, animi sensus mecum conjunctissimos. Hinc Germanorum virile & infestum servituti robur, inde Francorum vividi dignique nomine liberales imperus, hinc Hispanorum consulta virtus, Italorum inde sedata tuique compos magnanimitas ob oculos versatur. Quicquid uspiam liberorum pectorum quicquid ingenui, quicquid magnanimi aut prudens latet aut se palam proficitur, alii tacite favere, alii aperte suffragari, accurrere alii & plausu accipere,

alii tandem vero vici, dediticos se tradere. Videor jam mihi, tantis circum-  
septus copiis, ab Herculeis usque columnis ad extremos Liberi Patris terminos,  
libertatem diu pulsam atque exulam, longo intervallo domum ubique gentium  
reducere: Et, quod Triptolemus olim fertur, sed longè nobiliorem Cereali illâ  
frugem, ex civitate mea gentibus importare; restitutum nempe civilem liberum  
que vitæ cultum, per urbes, per regna, pérque nationes disseminare. Sed nec  
ignotus planè, nec fortasse non gratus rursus advenero; si sum idem, qui  
pugnacissimum tyrannorum satellitem, & opinione plororumque, & suâ fiducia  
insuperabilem antea creditum, cùm nos nostrisque acies contumeliosè lacesse-  
ret, & Optimates nostri me primum intuerentur, singulari certamine congressus,  
adacto convitantis in jugulum hoc stylo, immò suistmet ipsius telis, collecavi;  
& nisi velim tot undique lectorum intelligentium calculis atque sententiis, neuti-  
quam addictis mihi aut obnoxiosis diffidere prorsus & derogare, opima spolia  
retuli. Hæc sine ulla vaniloquentia ita esse re vera, vel illud maximè argu-  
mento esè potest, quod ego nec sine Dei nutu reor accidisse, quòd, cùm à Re-  
gina Suecorum Serenissima, quâ vivit opinor nemo, aut olim vixit, vel opti-  
ma um artium, vel doctorum hominum studiosior, honorificè sancè esset invi-  
tatus, venissemque & Salmasius & Salmasia, (uter enim horum is erat, uxoris  
palam dominatus cum fama tum domi incertum admodum reddiderat) quo in  
loco peregrinus magno in honore degebat, ibi eum nostra Defensio nihil tale  
metuentem occupavit. Quâ statim à pluribus perfectâ, Regina quidem, quæ  
& ipsa cum primis perlegerat, de suâ pristinâ benignitate ac munificentia, id so-  
lum spectans quod se dignum erat, in hospitem nihil remisit: de cætero, si au-  
dita saepius & quæ arcana non sunt, licet referre, tanta animorum facta subito  
mutatio est, ut qui nudius tertius summâ gratiâ floruerat, nunc penè obsolesceret;  
nec ita multò post discedens cum bona venia hoc unum in dubio permultis re-  
linqueret, honoratiōne advenerit, an contemptior abierit. Sed neque aliis in  
locis detrimentum levius fecisse famæ satis constat. Verùm hæc omnia non eò  
attuli; quòd me cuiquam venditarem, neque enim est opus; sed quòd id duntaxat  
latius ostenderem, quod initio institui, quas ob causas, & quā non leves, ab  
agendis Deo Optimo Maximo gratiis potissimum sim exorsus; mihiq[ue] procēsi-  
um hoc fore honestissimum atque pulcherrimum, in quo præcipue, tot argumen-  
tis enumeratis, demonstrare liceat, me, haud expertem licet calamitatum hu-  
manarum, me tamen, résque meas Deo curæ esse; me maximis prope de rebus,  
& ad patriæ necessaria tempora accommodatis, & civilis vitæ religionisque ex  
usu maximè futuris, non uno pro populo, nedum uno pro reo, sed pro univer-  
so potius hominum genere, contra humanæ libertatis hostes, quasi in communi  
omnium gentium & frequentissimo concursu differentem, divino favore & auxi-  
lio adjutum atque auctum: quo ego majus aut gloriōsus quicquam mihi tribu-  
ere, neque possum ullo tempore neque cupiam. Eundem proinde immortalem  
Deum oro, ut consuetâ ejus ope ac benignitate solâ fretus, quâ integritate,  
diligentiâ, fide, felicitate etiam, fortissimè justissimèque simul facta haud ita  
pridem defendi, eâdem, vel eâ amplius, Authores ipsos, mèque tantis viris  
ignominiae causâ, non honoris additum ab immeritis opprobriis, atque calumniis  
vindicare sufficiam. Quòd si est, qui contemni hæc satiùs arbitretur potuisse,  
fateor equidem, si apud eos qui nos rectè nōssent hæc spargerentur: cæteris quâ  
tandem ratione constabit non esse verum quicquid adversarius noster est menti-  
tus? cùm autem, data, quæ par est, opera, à nobis erit, ut quo præcessit ca-  
lumnia, eodem vindex quoque veritas sequatur, & illos de nobis perperam  
sentire opinor desituros, & istum fortasse mendaciorum pudebit: si non pudue-  
rit, tum demùm, satiùs contempserimus. Huic interea responsum pro meritis  
celerius expedivissem, nisi se falsis rumoribus laetenus muniisset; dum saepius  
denuntiaret, ad incudem sudare Salmasium, nova volumina in nos fabricare,  
jam jámque editurum: ex quo hoc solum est consequutus, ut maledicentiae poe-  
nas aliquanto seriùs daret: expectandum enim duxi potius, ut potiori viribus  
adversario, integrum me servarem. Sed cum Salmasio debellatum jam puto  
mihi esse, utpote mortuo; & quemadmodum mortuo, non dicam: non enim  
ut ille mihi cæcitatem, sic ego illi mortem vitio vertam. Quanquam sunt, qui  
nos etiam necis ejus reos faciunt, illósque nostros nimis acriter strictos aculeos;  
quos dum repugnando altius sibi infixit, dum quod præ manibus habebat opus,  
vidit spissius procedere, tempus responsionis abiisse, operis gratiam periisse;  
recordatione amissæ famæ, existimationis, Principum denique favoris, ob rem  
regiam

regiam malè defensam, erga se imminuti, triennali tandem mœstia, & animi magis ægritudine, quàm morbo confectum obiisse. Utcunque sit, si iterum cum hoste satis mihi cognito, si bella etiam postuma gerenda sunt, cuius feroces ac strenuos impetus facilè sustinui, ejus languentes & moribundos conatus non est ut reformidem.

Nunc verò ad hoc quicquid est hominis, qui nos inclamat, aliquando venimus: clamorem quidem audio, non Regii sanguinis, ut præ se fert titulus, sed obscuri cujuspiam nebulonis; clamantem enim nusquam reperio. Echo! quis es? homone an nemo? hominum certè infimi, nè mancipia quidem, sine nomine sunt. Sempérne ergò mihi cum anonymis res erit? at verò hi regios haberi se vel maximè volunt: miror si regibus sic persuaserint. Regum sequaces atque amicos regum non pudet; quo pæcto igitur sunt isti regibus amici? non dant munera; immo verò libentiū multò accipiunt: res suas non impendunt, qui ne nomina quidem causæ regiæ dare audent: quid ergò? verba dant, sed nec verba gratis dare suis regibus, vel satis benevoli in animum inducunt, vel satis constantes nomine adscripto audent. Me quidem ἔτερος ἀνώνυμος, fas enim sit Græcè quos Latinè quid nominem non reperio, me inquam, cum vester ille Claudius de Jure Regio, materiā sanè gratiosissimā, sine nomine tamen orsus esset scribere, & exemplo possem uti, usque adeò neque mei, neque causæ pudicum est, ut ad rem tantam accidere, nisi nomen palam professus, turpe ducerem. Quod ego in Republica palam videor contra Reges, cur vos in Regno, vel Regum sub patrocinio, non nisi furtim & clanculum, contra Rempublicam audetis? cur in tuto pavidi, cur in luce nocturni, summam potentiam, sumimam gratiam, timiditate invidiosâ planè atq; suspectâ obscuratis? satiñe vobis ut præsidii sit in Regibus verebini? sic recti, sic obvoluti non vos mehercule ad asserendum jus Regium defensores, sed ad ærarium compilandum fures potius videmini venisse. Evidem quod sum, profiteor; quod Regibus nego jus esse, vel in regno quovis legitimo pernegare ausim: nemo me laeserit Monarcha, quin se priùs damnet, tyrannum fassus. Si tyrannos insector, quid hoc ad Reges? quos ego à tyrannis longissimè sejungo. Quantum à viro malo distat vir bonus, tantundem à tyranno discrepare Regem contendo: Unde efficitur, tyrannum non modò non esse Regem, sed Regi quidem adversissimum semper imprimere. Et sanè qui monumenta rerum percurrit, plures à tyrannis quàm à populo oppressos Reges, atque sublatos inveniet. Qui igitur tollendos affirmat tyrannos, non Reges, sed inimicissimos Regibus, immo infestissimos regum hostes tollendos affirmat. Vos contrà, quod regibus jus datis, ut quicquid libeat jus sit, non est jus, sed injuria, sed scelus, sed ipsa pernicies: venenato isto munere, non salutari, quos supra omnem vim atque periculum fore prædicatis, eos ipsi occiditis; regem & tyrannum idem esse, siquidem idem utrobique Jus est, statuitis. Nam si isto suo jure, Rex non utitur (utetur autem nunquam quamdiu Rex, non tyrannus, erit) non hoc Regi, sed viro assignandum est. Quid autem absurdius illo jure Regio fingi queat, quo si quis utatur, quoties Rex vult esse, toties esse vir bonus desinat: quoties vir esse bonus maluerit, toties se arguerit non esse Regem? quo quid in Reges dici contumeliosius potest? Hoc jus qui docet, ipse sit operet injustissimus, atque omnium pessimus: pejor autem quo pacto fiat, quàm si quales format ac fingit alios, talis ipse imprimis fuerit? Quod si omnis vir bonus, ut antiquorum secta quadam magnificè sanè philosophatur, est Rex, pari ratione sequitur, omnem virum malum pro suo quemque modulo tyrannum esse: neque enim magnum, nè hoc nomine intumescat, sed infimum quidam est tyrannus; & quantò omnium maximus, tanto omnium vilissimus, & maximè servilis. Alii enim suis tantum vitiis volentes serviunt; Hic non modò suis sed ministrorum etiam atque satellitum importunitissimis flagitiis etiam nolens cogitur servire; & suas quasdam tyrannides abjectissimo cuique suorum concedere: Tyranni igitur servorum infimi, suis serviunt etiam servitiis. Quamobrem rectè hoc nomen vel in minimum quemque tyrannorum fugilem, vel in hunc etiam clamatorem poterit convenire; qui in hac causa tyrannica cur tam strenuè vociferetur, ex his quæ dicta sunt, quæque mox dicentur, satis liquebit: uti etiam cur anonymous: aut enim turpiter conductus, clamorem hunc suum regio sanguini, Salmasium sequutus, vendidit; aut infamis doctrinæ conscientiâ pallens, aut virâ flagitosus ac turpis latere si cupit, mirum non est: aut fortassis ita se parat, ut sicubi spem quæstus uberiorem odoretur, desertis quandoq; regibus in-

integrum sibi sit, ad quamlibet etiam futuram rempublicam trans fugere; nē tunc quidem sine exemplo magni sui Salmasii, qui affulgente lucro captus, ab Orthodoxis ad Episcopos, à popularibus ad regios, etiam senex defecit. Tu igitur iste è gurgustio clamator, qui sis non fallis; frustrà tibi ista latibula quæsisti: Extrahere mihi crede, neque Plutonis ista galea diutiùs te teget: Dejebis, quoad vixeris, me aut cæcum non esse, aut tibi saltem non connivere. Quis igitur sit, quod genus hominis, quā spe adductus, quibus illecebris, quibus lenociniis delinitus, ad hanc causam regiam accesserit, (Milesia propemodum, aut Baiana fabula est) si vacat nunc audite.

Est *Morus* quidam, partim Scotus, partim Gallus; nē tota hominis infamia gens una, aut regio nimium laboraret; homo improbus, & cùm aliorum, cum, quod gravissimum est, amicorum, quos ex intimis inimicissimos sibi fecit, testimoniis quam plurimis infidus, mendax, ingratus, maledicus, & virorum perpetuus obtrectator & fœminarum, quarum nec pudicitiae plus unquam parcere, quam famæ consuevit. Is, ut primæ ætatis obscuriora præterea, primùm Genevæ Græcas literas docuit; verùm, sepius licet nōmen suum Græcè Morum discipulis interpretatus, stultum & nequam ipse dediscere nequivit. Quin eo potiùs furore est agitatus cùm tot scelerum esset sibi conscius, quamvis fortasse nondum compertus, ut pastoris in Ecclesia munus ambire, atque istis moribus inquinare non horresceret. Verùm haud diu Presbyterorum censuram effugere potuit mulierarius ac vanus, multisque aliis criminibus notatus, multis ab Orthodoxâ fide erroribus damnatus, quos & turpiter ejuravit, & ejuratos impiè retinuit, tandem adulterii manifestus. Hospitis ancillam quandam forte adamaverat; eam paulò pòst etiam alteri nuptam festari non destitit; tugurium quoddam intrare hortuli, solum cum sola, vicini sàpè animadverterant. Citra adulterium, inquis; poterat enim quidvis aliud: Sanè quidem; poterat confabulari, nimirum de re hortensi, prælectiones quasdam suas sciolæ fortasse fœminæ & audiendi cupidæ expromere de hortis, Alcinoi putà vel Adonidis; poterat nunc areolas laudare, umbram tantummodo desiderare, liceret modò sicui morum inséreré, complures indè sycomoros quam citissimè enasci, ambulationem amoenissimam; modum deinde insitionis mulieri poterat monstrare: Hæc & plura poterat, quis negat? Veruntamen Presbyteris satisfacere non poterat, quin illum tanquam adulterum censurâ ferirent, & pastoris munere indignum prorsus judicarent: Harum & hujusmodi accusationum capita in Bibliotheca illius urbis publica etiamnum asservantur. Interea, dum hæc palam nota non essent, ab Ecclesia, quæ Middelburgi erat Gallica, procurante Salmasio, in Hollandiam vocatus, magnâ cum offensione Spanhemii, viri sanè docti, & pastoris integeri, qui eum Genevæ antea probè noverat, literas testimoniales, quas vocant, dum alii non ferendum existimarent, ut homo istiusmodi Ecclesiæ testimonio ornaretur, alii quidvis potiùs ferendum, quam ipsum hominem, ægrè à Genevensibus, & non aliâ quam sui discessus conditione, atque illas quidem frigidulas, tandem impetravit. In Hollandiam ut venit, ad salutandum Salmasium profectus, domi ejus in uxoris ancillam, cui Pontiæ nomen erat, oculos nequierer conjectit: Semper enim in ancillis prolabitur libido hominis; hinc summâ assiduitate Salmasium coepit colere, & quoties licuit Pontiam. Nescio an ille commoditate hominis & assentatione captus, an hic optabilem excogitasse se conveniendæ eo sàpius Pontiæ occasionem ratus, prior sermones injecerit de responso Miltonii ad Salmasium. Ut ut fuit, Morus propugnandum suscipit Salmasium: Et Salmasius quidem Theologicam in ea urbe cathedram suâ operâ pollicetur Moro; Morus & hanc & aliud insuper suavulum, furtivos Pontiæ concubitus pollicetur sibi. Per causam consulendi de hoc opere Salmasium, dies ac noctes eam domum frequentat. Jamque ut olim Pyramus in morum, ita nunc repente morus in Pyramum transmutatus sibi videtur, Genevensis in Babylonum; verùm illo juvete quanto improbior, tanto fortunatior, nunc suam Thisben, factâ sub eodem tecto copiâ, ut libitum est, Pontiam alloquitur; rimam in pariete conquirere opus non erat: Spondet matrimonium; eâ spe pellectam vitiat; eodemque scelere, horreo dicere, sed dicendum est, Sacrosancti Evangelii minister, hospitalem etiam domum constupravit. Ex hoc demum congressu, mirum quiddam, & præter solitum naturæ prodigiosum accidit, ut & fœmina & mas etiam conciperet, Pontia quidem Morillum, quod & Plinianum exercitatorem diu postea exercuit Salmasium; Morus ovum hoc irritum & ventosum, ex quo tympanites iste clamor regiū

sanguinis prorupit. Quod quidem primò regiis nostris in Belgio esurientibus pergrata admodum sorbitio fuit ; nunc rupto putamine, vitiosum ac putridum repertum aversantur. Nam Morus hoc suo fœtu haud mediocriter inflatus, & Arausiacam factionem totam demeruisse se sentiens, jam integras professionum cathedras spe improbabè devoraverat, & suam Pontiam ute pote ancillam & pauperculam, jam gravidam sceleratus deseruerat. Illa despectam se atque delusam querens, & synodi fidem & magistratū imploravit. Sic tandem evulgata hæc res, & conviviis penè omnibus, ac circulis diu risum & cachinnos præbuit. Unde aliquis, & lepidi sanè, quisquis erat, ingenii, hoc distichon,

*Galli ex concubitu gravidam te, Pontia, Mori,  
Quis bene moratam, morigerāmque néget ?*

Sola Pontia non risit ; sed nec querendo quicquam profecit ; Clamor enim regii sanguinis clamorem stupri, & stupratæ mulierculæ ploratum facile obruerat ; Salmasius quoque illatam sibi hanc totique familie & injuriam & labem ægrè ferebatur, séque ab amico & laudatore suo sic ludos factum, sic adversario rursus obnoxium, accedente ad priores ejus in causa regia infelicitates forsitan hoc etiam infortunio, haud ita multò post supremum diem obiit. Veùm aliquantò hæc posterius. Interim Salmasius, Salmacidis quodam fato, ut enim nomen, ita & fabula non abludit, nescius Hermaphroditum se adjunxit sibi Morum tam gignendi quam pariendi compotem, quid is domi genuisset ignarus, quod peperit exosculatur ; librum nempe istum in quo sentit se Magnum toties dici, & suo sortè judicio dignè, aliorum certè stultè atque ridiculè laudatum. Itaque typographum festinanter quærit ; & fugientem ab se jam diu famam, retinere frustrè conatus, quas laudes, quas potius foedas suè adulationes per hunc atque alias miseriè concupiverat, iis etiam divulgandis obstetricatur ipse atque subservit. Ad hanc operam Vlaccus quidam est visus omnium maximè idoneus ; huic facile persuadet, non modò ut librum illum excudendum curaret, quod nemo reprehendisset ; sed etiam ut Epistolæ ad Carolum videlicet missæ, multis in me, qui hominem nunquam nōram, probris & contumeliis refertæ, subscripto nomine se prosteretur authorem. Ne quis igitur miretur cur se exorari tam facile sit passus, ut me tam impudenter nullâ de causâ lacefferet, & alienas etiam intemperies in se transferre atque præstare tam pro nihilo duceret, erga omnes etiam alios quemadmodum se gesserit, sicuti ego compertum habeo, ostendam. Est Vlaccus unde gentium nescio, vagus quidam librariolus, veterator atque decorctor notissimus ; is Londini aliquandiu Bibliopola fuit clancularius ; quæ ex urbe, post innumeræ fraudes, obæratus aufugit. Eundem Parisiis fide cassum & male agendo insignem, via tota Jacobæa cognovit : Unde olim quoque profugus nè multis quidem parafangis audet appropinquare ; nunc si cui opus est balatrone perditissimo atque venali, prostat Hagæcomitis Typographus recœctus. Hunc ut intelligatis, quid dicat, quidve agat, quam nihil pensi habeat, nihil esse tam sanctum, quod non lucro vel exiguo posterius putet, séque non causa publica, quod quis purâasset, sic in me esse debacchatum, fatentem ipsum in se testem producam. Is cum vidisset quod in Salmasium scripsoram, nonnullis librariis æra meruisse, scribit ad amicos quosdam meos mecum agerent, ut siquid haberem excudendum, sibi committeretur ; se typis longè melioribus, quam qui priùs excudisset, mandaturum : Respondi per eosdem, non habere me in præsentia, quod excuso esset opus. Ecce autem ! cui suam operam tam officiosè modò detulerat, in eum haud ita multò post, scripti contumeliosissimi non excusor solùm sed & author, subditicius licet, prodit. Indignantur amici ; rescribit impudentissimus, mirari se simplicitatem eorum, & rerum imperitiam, qui officii rationem aut honesti ab se exigant aut desiderent, cùm videant quibus rebus quæstum faciat : Se ab ipso Salmasio illam epistolam, cùm libro accepisse ; qui iogabat, id uti suâ gratiâ, vellet facere quod fecit ; si Miltonio, vel cuivis alteri visum esset respondere, nullum sibi esse scrupulum ; siquidem eadē suâ operâ uti voluerint : Id est, vel in Salmasium vel in Carolum ; namque id erat solum quod in responso ejusmodi futurum expectare poterat. Quid plura ? Hominem videtis ; ad reliquos nunc pergo, non enim unus est duntaxat, qui hanc in nos regii Clamoris quasi tragœdiam adornavit. En igitur initio, ut solet, dramatis personæ : Clamor prologus, Vlaccus Balatro, aut si mavultis, Salmasius Vlacci Balatronis persona & lacernis involutus, Duo Poetastrī Cerevisiali vappâ temulentî,

lenti, Morus adulter & stuprator. Mirificos sanè tragœdos! Bellum certamen mihi paratum! Verùm qualescumque sortiti, quoniam alios atque hujusmodi adversarios vix est ut causa nostra habere possit, nunc singulos aggrediamur; hoc tantum præfati, si cui minus gravitatis nostra alicubi refutatio habere videbitur, cogitare eum debere, non cum gravi adversario, sed cum grege histriónico, nobis rem esse s ad quem dum refutationis genus accommodandum erat, non semper quid magis decuisset, sed quid illis dignum esset, spectandum duximus.

*Regii Sanguinis clamor ad Cœlum adversus Parricidas Anglicanos.*

Siquidem non jure fusum ostendisses, More, istum sanguinem, haud incredibile narrares: Nunc, quemadmodum primis restituti Evangelii temporibus, Monachi, cùm argumentis minùs valerent, ad spectra nescio quæ, & ficta monstra decurrere solebant; sic vos, postquam omnia defecere, ad clamores nusquam auditos, & obsoletas fraterculorum artes revertimini. Voces è cœlo audire quemquam nostrorum, longè abest ut credas; ego te clamores ab Inferis audisse, quod postulas, facile crediderim. Verùm hunc regii sanguinis clamorem dic fides quis audivit? Te ait: Nugæ: Primum enim male audis: Ad Cœlum autem qui clamor perveniat, si quis præter Deum, justi puto soli & integerimi quique audiunt, ut qui possint, immunes ipsi, iram Dei consciis denunciare. Tu verò quorsum audires, an ut satyram cynædus scriberes? Videbis enim eodem tempore, & ementitus hunc clamorem ad cœlum, & cum Pontia furtim libidinatus esse. Multa te impediunt, More, multa intus forsque circumsonant, quæ te res istiusmodi ad cœlum perlatas audire non sinunt; & si nihil aliud certè qui contra ipsum te ad Cœlum quam plurimus fit clamor. Clamat contra te, si nescis, Mœcha illa tua hortensis, tuo maximè Pastoris sui exemplo, deceptam se esse questa; clamat contra te maritus, cuius torum violasti; clamat Pontia, cui pactum nuptiale temerasti; clamat, si quis est, quem probro genitum, infantulum abdicasti; horum omnium clamores ad Cœlum contra te, si non audis, neque illum regii sanguinis audieris: Interea libellus iste, non regii Sanguinis clamor ad Cœlum, sed lascivientis Mori hinmitus ad Pontiam, rectius inscribetur. Quæ sequitur Epistola prolixia quidem, & bene putida, partim Carolo, partim Miltonio, alteri amplificando, alteri infamando, dedicatur. Ab ipso statim initio Authorem discite: Caroli Regna, inquit, in *Sacrilegam parricidarum*, & (quia verba desunt idonea, Tertullianæ voce abutimur) *Deicidarum potestatem* venerunt. Hæc sive Salmasæa, sive Moræa, sive Vlaccæa sartago sit, prætereamus. Hoc verò aliis ridiculum, Carolo indignandum profectò est, quod paulò post, neminem, ait vivere felicitatis Caroli studiorum. Quisne eandem & epistolandi, & excudendi operam Caroli hostibus detulisti, te vivit nemo felicitatis ejus studiosior? Miserum profectò dicis regem sic ab amicis omnibus derelictum, ut qui intimi restant, iis Vappa typographus comparare se audeat. Miserrimum, cuius fidelissimus, Vlaccus perfidus fide ac studio non cedat: Quo quid insolentius de se, contemptius de rege amicisque regiis pronunciare potuit? Neque hoc minùs ridiculous, induci Idiotam & operarium de rebus gravissimis ac regiis virtutibus phisophantem, eaque dicentem, qualiacunque sunt, quibus nec Salmasius ipse, nec Morus meliora dixisset. Evidem Salmasium, ut saepe alias, ita hoc loco haud obscurè, si multâ lectione, judicio tamen puerili & nullius usus hominem deprehendi; qui cùm legere potuisse summos in Spartanâ civitate optimè institutâ magistratus, si quid forte viro malo excidisset sapienter dictum, id ei adimi jussisse, & in virum aliquem bonum ac frugi sortitione conferri, adeò id omne quod decorum dicitur ignorârit, ut è contra, quas probum atque prudentem decere sentias arbitraretur, eas homini nequissimo attribui sustineret. Bono es animo, Carole: Veterator Vlaccus, quæ sua est in Deum fiducia, bono animo té esse jubet. *Noli tot mala perdere:* Vlaccus decoctor perditissimus, qui bona omnia, si qua habuit, perdidit, author tibi est, perdere ut nolis mala: *Fruere novocante fortunâ:* Potines ut nè fruare, hortatore præser-tim tali, qui alienis etiam fortunis frui per fas & nefas tot annis consuevit? In sapientiam penitus ingurgitasti, & ingurgita: Sic monet, sic præcipit regum Institutor sanè optimus Vlaccus gurges, qui arreptâ atramentosis manibus, coriacæ lagenâ, inter combibones operas, ingenti haustu, sapientiam tibi propinat. Hæc audet tuus Vlaccus, tam præclara monita, nomine etiam conscripto, quæ Salmasius,

Salmasius, quæ Morus, cæterique pugiles tui aut timidi non audent, aut superbi non dignantur; nimis quoties te monito est opus aut defenso, alieno semper nomine, atque periculo, non suo, sapientes aut fortis sunt. Desinat ergo, quisquis hic est, strenuam & animosam facundiam ipse suam inaniter jactare; dum vir, si diis placet, insignis, decro ingenio nomen suum celesterrimum edere metuit; librum quo regium sanguinem ulcisci se ait, ne dicare quidem Carolo nisi per Vlaccum interpretarem & vicarium ausus, verbis typographi miserè contentus significare, librum se, sine nomine, si pateris, O Rex, tuo nomini dicatum ire. Sic functus Carolo in me impetum parat minitabundus: Post hæc proœmia, tubam terribilem inflabit o Salmasius. Salubritatem prædicens & concentus musici novum genus futurum; isti enim tubæ terribili, cum inflabitur, nulla aptior ex cogitari symphonia poterit, quam si affatim oppedetur. Buccam vero Salmasius nimis inflatam ne afferat moneo; quo enim attulerit inflatiorem, eò mihi crede, opportuniorem ad Colaphos præbebit; qui thaumasii Salmasii rhythmicum hunc sonum, quo delectaris, buccis ambabus resonantibus, numerole reddent. Pergis cornicari. Qui nec parem nec secundum habet, in universo literarum & scientiarum orbe. Vestram fidem! Eruditi, quotquot estis, vestram fidem! Siccine vobis omnibus anteferri Cimicem Grammaticum, cuius res atque spes omnis in glossario vertebatur? Quem vel extreum meritò occupet scabies, si cum viris vere doctis comparetur. Hæc autem, nisi ab infimo quopiam & infra Vlaccum ipsum væcorde affirmari tam fatuè nequierunt. Quaque jam stupendam & infinitam eruditioñem cœlesti junctam ingenio ad causam tua majestatis contulit. Si meministis quod suprà narravi, ipsum Salmasium, attulisse hanc epistolam cum libro excudendam, vel ab ipso scriptam, vel ab anonymo quovis, veniamque typographum exorâsse, ut quod author nolle, ipsum nomen adscriberet, cognoscetis profectò pusilli omnino, & abjectissimi hominem ingenii suis laudibus tam miserè velificantem, & immensa encornitam stolidi laudatoris aucupantem. Opus aeternum frustrâ sagittantibus nonnullis, jurisconsuli mirari satis nequeunt quod homo Gallus ita subito res Anglicas, leges decreta, instrumenta, ita teneat, enodet, &c. Immo quam ineptierit in nostris legibus & plittacus fuerit, nostris etiam jurisconsultis testibus abunde ostendimus. Sed ipse mox altera, quam in Rebello molitur, impressione, simul Theatinum ora comprimet, simul Miltonum nobis pro eo ac meretar concastigatim bit. Tu igitur ut pisces ille anteambulo, præcurris Balænam Salmasium, impressiones in hæc littora militantem; nos ferramenta acuimus, pressuri si quid habent impressiones & concastigatices illæ sive olei sive gati Bonitatem interea magni viri mirabimur plusquam Pythagoricam, qui annis quoque miseratus, & præsertim pisces, quorum carnis, ne quadragesima dem parcit, iis tam decenter involvendis tot volumina destinavit, tot pauperum millibus, Thunnorum, credo, aut Scombrorum, chartaceas in singulos testamento legârit.

Gaudete Sombri, & quicquid est piscium salo,  
Qui frigidâ hyeme incolitis algentes freta,  
Vestrûm misertus ille Salmasius eques  
Bonus amicûre nuditatem cogitat;  
Chartaque largus apparat papyrinos  
Vobis cinculos preferentes Claudi  
Insignia nomenque & decus Salmasi,  
Gestetis ut per omne cetarium forum  
Equitis clientes, scriniis munigenium  
Cubito virorum, & capsulis gratissimos.

Hæc habui in Editionem diu exspectatam tam nobilis libri; cuius impressionem, dum, ut ait, molitur Salmasius, tu ejus domum, More, fædissimâ compressione Pontiae contaminâsti. Et videtur sane, ad hoc opus absolendum, Salmasius diu multumque incubuisse; paucis enim ante mortem diebus, cum vir quidam doctus, à quo hoc ipsum accepi, misisset, qui ex eo quereret, ecquando apparatus partem secundam in Primatum Papæ editurus esset, respondit, ad illud opus non ante reversurum se, quam absolvisset quod adhuc commentaretur adversus Miltonum. Ita ego etiam Papæ refutandus præfector; & quem illi primatum in Ecclesia negavit, eum mihi ultro in

in inimicitia sua concedit ; sic ego primatui Papæ jam jam evertendo salutem attuli ; ego redivivum hunc Catilinam, non in toga, ut consul olim Tullius, nè per somnum quidem, sed aliud omnino agens, Romanis mœnibus averti ; non unus profecto cardinalatus mihi hoc nomine debebitur ; vereor, nè translato in me regum nuper nostrorum titulo, Defensor fidei ab Romano Pontifice appellandus sim. Videtis quantus invidiæ artifex in me concitandæ, Salmafius fuerit ; verùm ipse viderit, qui tam honestâ provinciâ turpiter relictâ, alienis se controversiis immiscuerit, ab Ecclesiæ causa, ad civiles & externas, quarum suâ nihil intererat, se traduxerit ; cum Papa inducias fecerit ; & quod fœdissimum fuit, cum Episcopis, post bellum apertissimum, in gratiam redierit. Veniamus nunc ad mea crimina ; éstne quod in vita aut moribus reprehendat ? Certè nihil : Quid ergo ? Quod nemo nisi immanis, ac barbarus fecisset, formam mihi ac cæcitatem objectat.

*Monstrum, horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.*

Nunquam existimabam equidem fore, ut de forma, cum Cyclope certamen mihi esset ; verùm statim se revocat. *Quanquam nec ingens, quo nihil est exilius, exsanguius, contractius.* Tametsi vitum nihil attinet de forma dicere, tamen quando hic quoque est, unde gratias Deo agam, & mendaces redargam, nè quis (quod Hispanorum vulgus de hæreticis, quos vocant, plus nimio Sacerdotibus suis credulum opinatur) me fortè Cynocephalum quempiam, aut Rhinocerota esse putet, dicam. Deformis quidem à némine, quod sciam, qui modò me vidit, sum unquam habitus ; formosus nécne, minus labore, statura fateor non sum procerus : Sed quæ mediocri tamen quam parvæ propior sit : Sed quid si parvæ, quæ & summi sæpe tum pace tum bello viri fuere, quamquam parva cur dicitur, quæ ad virtutem satis magna est. Sed neque exilis admodum, eo sanè animo iisque viribus ut cùm ætas vitæque ratio sic ferebat, nec ferrum tractare, nec stringere quotidiano usu exercitatus nescirem ; eo accinctus, ut plerumque eram, cuvis vel multò robustiori exæquatum me putabam, securus quid mihi quis injuriæ vir viro inferre posset. Idem hodie animus, exdem vires, oculi non iidem ; ita tamen extrinsecus illæsi, ita fine nube clari ac lucidi, ut eorum qui acutissimum cernunt : In hac solùm parte, memet invito, simulator sum. In vultu, quo nihil exsanguius esse dixit, is manet etiamnum color exsangui & pallenti planè contrarius, ut quadragenario major vix sit cui non denis prope annis videar natu minor ; neque corpore contracto neque cute. In his ego si ulla ex parte mentior, multis millibus popularium meorum, qui de facie me nôrunt, exteris etiam non paucis, ridiculus meritò sim : Sin iste in re minimè necessariâ, tam impudenter & gratuitò mendax comperietur, poteritis de reliquo eandem conjecturam facere. Atque hæc de forma mea vel coætus : De tua quanquam & contemptissimam accepi, & habitantis in te improbitatis atque malitiaæ vivam imaginem, neque ego dicere, neque ullus audire curat. Utinam de cæcitate pariter liceret inhumanum hunc refellere adversarium ; sed non licet ; feramus igitur : Non est miserum esse cæcum ; miserum est cæcitatem non posse ferre : Quidni autem feram, quod unumquemque ita parare se oportet, ut si acciderit, non ægrè ferat, quod & humanitus accidere cuvis mortalium, & præstantissimis quibusdam, atque optimis omni memoriâ viris accidisse sciam : Sive illos memorem vetustatis ultimæ prisces vates, ac sapientissimos ; quorum calamitatem, & Dii, ut fertur, multò posterioribus donis compensarunt, & homines eo honore affecerunt, ut ipsos inculpare maluerint deos, quam cæcitatem illis criminis dare. De augure Tiresia quod traditur, vulgo notum. De Phineo sic cecinit Apollonius in Argonauticis :

— οὐδὲ στὸν ὄπιζεο καὶ Δίος ἀυτῷ  
χρων ἀλεγέκτως ἱερὸν νόον ἀνθρώποισι.  
Τῶν καὶ οἱ γῆραις μὲν ἔπει διωαδόν ἕαλεν  
Ἐκ δέ ἐλετ' ὄφθαλμῶν γλυκερὸν φάγο.

— neque est veritus Jovem ipsum  
Edens veraciter mentem divinam hominibus :  
Quare & senectam ei diuturnam dedit,  
Eripuit autem oculorum dulce lumen.

Cæterum deus & ipse veritas est: in qua homines edocenda quò quis veracior è similior deo acceptiorque sit, oportet. Non est pius veritatis invidenter deum credere; aut nolle hominibus quām liberrimè imperitam: Ob nullam igitur noxam, divinus vir, & humani generis erudiendi studiōissimus, ut philosophorum etiam complures, caruisse luminibus videtur. Sive illos commorem civili prudentiā, gestisque rebus admirabiles olim viros; primum Timoleontem Corinthium, & civitatis suę, & Sicilię totius liberatrem; quo virum meliorem, aut in republika sanctiore nulla ætas tulit; tum Appium Claudiū, cuius in Senatu pulcrè dicta sententia, Italiam Pyrrho, gravi hoste, seipsum cæcitate non liberavit; tum Cæciliū Metellum Pontificem, qui non urbem solum, sed & fatum urbis Palladium, & penitissima sacra dum ab incendio servavit, suos oculos perdidit; quanquam aliás certè Deus pietati tam egregiæ favere se, etiam inter gentes, testatus est: quod rali igitur viro usu venit, ponendum in malis esse vix putem. Quid alios recentiorum temporum adjungam, vel illum Venetiarum Principem Dandulum longè omnium præstantissimum; vel Boëmorum Ziscam ducem fortissimum, orthodoxæ fidei propugnátorem? Quid summi nōminis theologos Hieronymum Zanchium, nonnullosq; alios? cùm & ipsum Isaacum Patriarcham, quo nemo unquam mortalium Deo charior fuit, annos haud paucos, cæcum vixisse constet; aliquot fortasse Jacobum etiam ejus filium, & ipsum Deo haud minus dilectum: cùm deniq; Christi servatoris nostri divino testimoniū compertissimum sit, illum hominem ab se sanatum, neque ob suum, neque ob parentum suorum aliquod peccatum, etiam ab utero cæcum fuisse. Ad me quod attinet, te testor, Deus, mentis intimæ, cogitationūmque omnium indagator, me nullius rei (quanquam hoc apud me scepis, & quām maximè potui, serio quæsivi & recessus virtę omnes excusii) nullius vel recens vel olim commissi, mihi met conscientiū esse, cuius atrocitas hanc mihi præ cæteris calamitatē creare, aut accersisse meritò potuerit. Quod etiam ullo tempore scripsi (quoniam hoc nunc me luere quasi piaculum regii existimant, atque adeò triumphant) testor itidem Deum, me nīil istiusmodi scripsisse, quod non rectum & verum, Deoque gratum esse, & persuaserim tum mihi, & etiamnum persuasus sim; idque nullā ambitione, lucro, aut gloriā ductus; sed officii, sed honesti, sed pietatis in patriam ratione solā; nec reipublicæ tantum, sed Ecclesiæ quoque liberandæ causā potissimum fecisse: adeò ut cùm datum mihi publicè esset illud in defensionem regiam negotium, eodemque tempore & adversa simul valetudine, & oculo jam penè altero amissō, conflictaret, prædicerentque disertè medici, si hunc laborem suscepisse, fore, ut utrumque brevi amitterem, nihil ista præmonitione deterritus, non medici nè Æsculapii quidem Epidaurii ex adyto vocem, sed divinoris cuiusdam intus monitoris viderer mihi audire: duāsque sortes, fatali quodam nutu, jam mihi propositas, hinc cæcitatē, indè officium; aut oculorum jacturam necessariō faciendam, aut summum officium deserendum: occurrebantque animo bina illa fata, quæ retulisse Delphis consulentem de se matrem, narrat Thetidis filius.

Διχθαδίας πῆγας φερέμενος θανάτῳ τίλοσδε.  
Εἰ μέν καὶ αὖτις μέθων τέων πόλιν ἀμφιμάχουμεν  
“Ωλετό μέν μοι νόσος ὁ ἀταρεὶς μλέθρος ἀφθάλον ἔσαι.  
Εἰ δέ κεν σίηχοδον ἵπαμου φίλων ἐς πατεῖδα γαῖαν.  
“Ωλετό μοι μλέθρος ἐδλόν ἔπι μλρὸν δέ μοι αἰών  
Εσσεται: —

Iliad. 9.

Duplicia fata ducere ad mortis finem:  
Si hic manens circa Troum urbem pugnavero,  
Amittitur mihi reditus; sed Gloria immortalis erit:  
Si domum revertor dulce ad Patrum solam,  
Amittitur mihi Gloria pulchra, sed diuturna vita  
Erit. —

Unde sic mecum reputubam multos graviore malo minus bonum morte gloriam, redemisse; mihi contrà majus bonum minore cum malo proponi: ut possem cùm cæcitate sola vel honestissimum officii munus implere; quod ut ipsa gloria per se est solidius, ita cuique optatius atque antiquius debet esse. Hac igitur tam brevi luminum usurā, quanta maxima quivi cum utilitate publica, quoad

quoad liceret, fruendum esse statui. Videlis quid prætulerim, quid amiserim, quâ inductus ratione: desinant ergo judiciorum Dei calumniatores maledicere, déque me somnia sibi fingere: sic denique habento; me fortis meæ neque pigere neque pœnitere; immotum atque fixum in sententia perstare; Deum iratum neque sentire, neque habere, immo maximis in rebus clementiam ejus & benignitatem erga me paternam experiri atque agnoscere; in hoc præfertim, quod solante ipso atque animum confirmante in ejus divina voluntate acquiescam; quid is largitus mihi sit quâm quid negaverit sapius cogitans: postremò nolle me cum suo quovis rectissimè factò, facili mei conscientiam permutare, aut recordationem ejus gratam mihi semper atque tranquillam deponere. Ad cæxitatem denique quod attinet, malle me, si necesse est, meam, quam vel suam, More, vel tuam. Vesta imis sensibus immersa, nequid fani videatis aut solidi, mentem obcæcat: mea, quam objicitis, colore tantummodo rebus & superficiem demit; quod verum ac stabile in iis est contemplationi mentis non adimit. Quâm multa deinde sunt quæ videre nolle, quâm multa quæ possem libens non vide-re, quâm pauca reliqua sunt quæ videre cupiam. Sed neque ego cæcis, afflictis, mœrentibus, imbeciliis, tametí vos id miserum ducitis, aggregari me discri-tor; quandoquidem spes est, eo me proprius ad misericordiam summi patris atque tutelam pertinere. Et quoddam per imbecillitatem, præente Apostolo, ad maximas vires iter: sim ego debilissimus, dummodo in mea debilitate immor-talis ille & melior vigor eo se efficacius exerat; dummodo in meis tenebris divini-vultus lumen eo clarius eluceat; tum enim infirmissimus ero simul & validissimus, cæcus eodem tempore & perspicacissimus; hac possim ego infirmitate consummari, hac perfici, possim in hac obscuritate sic ego irradiari. Et sanè haud ultima Dei cura cæci sumus; qui nos, quò minus quicquam aliud præter ipsum cernere valemus, eò clementius atque benignius respicere dignatur. Væ qui illudit nos, vae qui laedit, execratione publicâ devovendo; nos ab injuriis hominum non modo incolumes, sed penè sacros, divina lex reddidit, divinus favor; nec tam oculorum hebetudine, quâm cœlestium alarum umbrâ has nobis fecisse tenebras videtur, factas illustrare rursus interiore ac longe præstabiliori lumine haud raro solet. Huc resero, quòd & amici officiosius nunc etiam quâm solebant, colunt, obseruant, adsunt; quòd & nonnulli sunt, quibuscum Pyladéas atque Theséas alternare voces verorum amicorum liceat.

Oges. Ἐεπει τὸν οἴαξ ποδές μει. Πυ. φίλα γ' ἔχων καὶ λόγια,  
Vade gubernaculum mei pedis. Py. per gratiam mihi habens curam. Eurip. in Orest.

Et alibi,

Δίδε χεῖρά ιπηρτη φίλω,  
Da manum ministro amico.

Δίδε δέρη στῶ χεῖρά σδημησωδ' ἔχα,  
Da collo manum tuam, ductor autem via ero tibi ego. Id. in Her. furent.

Non enim hoc casu factum me omnino nullum; non quicquid est probi aut cordati hominis, positum in oculis putant esse. Quin & summi quoque in re-publica viri, quandoquidem non otio torpentem me, sed impigrum & summa discrimina pro libertate inter primos adeuntem oculi deseruerunt, ipsi non dele-runt; verùm humana qualia sint, secum reputantes, tanquam emerito favent, indulgent, vocationem atque otium faciles concedunt; si quid est ornamenti, non detrahunt; si quid publici muneris, non adimunt; si quid ex ea re commo-di, non minuunt; & quamvis non æquè nunc utili, præbendum nihilo minus benignè censem; eodem planè honore, ac si, ut olim Atheniensibus mos erat, in Prytanéo alendum decrevissent. Sic mihi & apud Deum & apud homines cæxitatem solari meam quandiu licuerit, amissos honesti causâ oculos, nemo meos lugeat; absit quoque ut ipse lugeam, aut vel animi satis ut nè habeam quo cæxitatis convitiatores facile possim contemnere, vel veniae ut nè possim facilius condonare. Ad te, quisquis es, redeo, qui parùm tibi constans, nunc pu-milionem me, nunc Antæum vis esse: Non alind postremò optas libentiū federa-tis Belgii Provinciis, quâm ut tam facile, tamque feliciter defungantur hoc Bello, quâm defungetur Salmasius Miltonio. Cui ego voto si facile assenserio, arbitror me no-stris successibus Reique Anglicanæ nec ominari malè nec malè precari.

En verò iterum clamorem, alienum quendam & stridulum ! anseres puto ali-  
cunde advolare : Jam sentio quid sit ; memini clamoris hanc esse tragœdiam ;  
prodit Chorus : en duo Poëtastris, vel duo vel unus, biformi sanè specie & bi-  
colore ; Sphingémne dicam an Horatianum illud monstrum Poëticum, capite  
muliebri, cervice asinina variis indutum plumis, undique collatis membris : id  
profecto ipsissimum est. Rhapsodus videlicet quispiam, centonibus & pannis  
obsitus ; unusne an duo incertum, nam & Anonymus quoque est. Poëtas equi-  
dem verè dictos & diligo & colo, & audiendo sœpissimè delector ; illorum eti-  
am plerosque tyrannis esse scio inimicissimos, si vel à primis exorsus ad Bucha-  
nanum usque nostrum recenserem : istos verò versiculorum nugivendos, quis  
non oderit ? quo genere hominum nihil stultius, aut vanius, aut corruptius, aut  
mendacius. Laudant, vituperant, sine delectu, sine discriminé, judicio, aut  
modo, nunc principes, nunc plebeios, doctos juxta atque indoctos, probos an  
improbos, perinde habent ; prout Cantharus, aut spes nummuli, aut fatuus ille  
furor inflat ac rapit ; congestis undique & verborum & rerum tot discoloribus  
ineptiis tamque putidis, ut laudatum longè præstet sileri, & pravo, quod aiunt,  
vivere naso, quam sic laudari : vituperatus verò qui sit, haud mediocri sanè ho-  
no i sibi ducat, se tam absurdis, tam stolidis nebulonibus displicere. Primus  
qui est, si modò bini sunt, dubito Poëta sit an Cæmentarius ; ità Salmasio os  
oblinit, immo totum quasi parietem dealbat atque incrustat. Curru nempe tri-  
umphantem inducit, Heroëm Gigantomachum, bastilia & castis, & nescio quæ  
nugamenta armorum vibrantem, doctos omnes pedibus quadrigam sequentes,  
sed post terga ejus innumeris spatiis relictos, utpote quem numen rebus trepidis salu-  
tem orbis admiraverit ; tandem ergo tali tempus erat tegi umbone reges parente nimirum  
*Juris & imperii.* Delirus necesse est fuerit & bis puer Salmasius, qui his laudi-  
bus non solùm tantopere sibi placuerit, sed excudendas etiam quam primùm de se  
tam sedulò curaverit : Misellus etiam poëta atque indecorus, qui Grammati-  
cum, quod genus hominum poëtis ministrum semper atque subserviens fuit, tam  
immodicis laudibus dignetur. Alter verò non versus facit, sed planè insanit,  
enthusiastrarum omnium quos tam rabide insectatur, ipse amentissimus : hic Sal-  
masii carnifex quasi sit, Syri Damæ filius, Lorarios invocat & Cadmum ; vera-  
tro deinde ebrius, totam, quicquid ubique est, Servulorum & Ballionum sen-  
tinam, ex Indice Plautino evomit ; credas lingua Oscum non latine loquentem,  
aut inferarum, quas natat, paludum coaxare ranam. Tum ut intelligatis, quantus  
sit Iamborum artifex, duabus syllabis unâ in voce peccat, alterâ producētâ alterâ  
perperam correptâ.

*Hi trucidato rege per horrendū nefas.*

Ausser istas, asine, *vacivitatum* tuarum clitellas ; & trii verba, si potes fani ac  
sobrii hominis tandem affer ; si tua ista cucurbita & *blennum caput* vel ad pun-  
ctum temporis potest sapere : interea te ego puerorum *virgidemiis* tuis cædendum  
trado Orbilium. Tu mihi sic perge maledicere, ut *Cromuello* pejor tibi sim, quâ  
nullâ majore me laude afficere potuisti. Te verò benevolūne dicam, an sto-  
lidum, an hostem insidiosum ? benevolus certè non es, verba enim hostem in-  
dicant ; cur ergò tam stolidus fuisti vituperator, ut anteferre me tanto viro in  
buccam tibi venerit ; ecquid tu non intelligis, an me putas non intelligere, quò  
graviora vestra in me esse odia ostenditis, eò vos ampliora mea in rem publicam  
merita prædicare, vestra tot opprobria, tot mea esse apud meos præconia ?  
Nam si vos me omnium maximè odistis, sanè ego vos omnium maximè exul-  
ceravi, vos ego maximè affixi, causæque vestræ nocui : id si ità est, idem ego  
de meis civibus optime quoque merui ; hostis enim vel testimonium vel judici-  
um, et si alias leve admodum, de suo tamen dolore longè est gravissimum.  
An Poëta non meministi, cùm de Achillis mortui armis, Ajax & Ulysses  
contenderent, non Græcos populares sed Trojanos hostes ex sententia Nestoris  
Judices datos ?

*Τὸνεχα τρωσὶν ἐφῶμψι ἐύφροσι τιώδε δίκησαι.*

*Quapropter Trojanis permittamus prudentibus hanc litem judicandam.*

Et paulò post,

*Οἱ εἰς δικὺς ιδεῖσι οὐτὶς Γρῖφοι ποιήσονται.*

*οὐ την ἔργα φέροντες ἐπει μάλα πόλις Ἀχαιῶν  
ιπποις ἀπεχθαιεῖσι κακῆς μετανιηθεῖσι ἀπτοι.*

*Qui justum judicium de iis fecerint,  
Nemini gratificantes, cum vehementer omnes Achivos  
Æque odent, mali memores damni.*

Hec Smyrnaeus ille, sive Calaber. Infidiosus itaque sis oportet, mēquē in invidiam conjicere labores, qui quod judiciū in holte rectum atque sincerum esse solet, id dolo malo & gravius laedendi animo corruptis atq; depravas, ita non vir modò sed & hostis depravatissimus es. Verū ego, nullo négōtiō frustabor te, vir bone; quanquam enim Ulyssēm, id est, quām optimè de patria meritum me esse sanè perquām velle, tamen Achillei arma non ambio; coelum in clypeo pictum, quod alii, non ego, in certamine aspiciant, præferre, onus non pīctum sed verum, humeris portare, quod ego, non alii sentiant, non quāro: Evidēt cūm nullas oīnnīo similitates aut inimicitias ullo cūm homine privatas geram, neque ullus, quod sciam, mecum gerat, tot in me maledicta jactari, tot probra torqueri, reipublicæ duntaxat causā, non meā, eo & quiore animo fero: nec præmī & commodorum inde provenientium, partem longè minimam, ignominiae longè maximam peiuenisse ad me quēror; contentus quæ honesta factu sunt, ea propter se solū appetisse, & gratis perseguī: Id alii viderint, rūque scito, me illas opīmitates atque opes, quas mihi exprobaz, non attigīs, neque eo nomine quo maximè accusas, obolo factum ditionem. Hic rursus infit Morus, & secunda epīstola causas scribendi resert; cuinam? *Lectori Christiano nempe Moechus & Stuprator Morus salutem: piam sanè epīstolam promittis; jam causas incipe. Excitatī sunt Europaeum gentium animi, maxime omnium Galli nostri reformati, ut parricidium & parricidas, &c. cognoscētent. Galli & ipsi reformati contra reges bella gesserunt; quid ulterius suissent facturi paribus usi rerum successibus, affirmari non potest: certè reges ipsorum, si qua earum rerum monumentis fides, ab illis haud minūs meruebant tibi, quam à nobis noster: neque injuria, quoties meminissent quæ etiam illi scriptitarunt, & minati sēpe sunt: Nolint igitur, quicquid tu causare, splendide nimis de te polliceri, iniquius de nobis sentire. Pergit in causis. Evidēt ea Anglorum melioris nota consuetudine sum usus. Qui tibi sunt melioris notæ, viris bonis sunt pessimæ. Ut ausim dicere me ista hominum monstra nosse intus & in cute. Putabam te mœchas tantummodo tuas & scorta; tu etiam monstra intus & in cute. Ut nomen meum premerem, facile impetrarunt Angli quibuscum consuevi. Et astutè quidem illi: sic enim sperabant & se impudentia tua eo largiore fruituros, & te tua fama, etiam tum mala, eo minus causæ nocitum. Noverant enim te, & quām es̄t̄ oīl bonus hortorum custos, & nunc ratus licet & punicatus sacerdos, ut à Pontia ne Pilata quidem abstinere manus potueris; nec de nihilo sanè, si enim à confiencia carne carnifex dictus putatur, cur minūs tu confiiendo Pontiam Pontifex factus ex sacerdote tibi videare? Hec cūm de te non nescirent alii, cūm non posset ipse quin tibimet consires, tamen incredibili, & execrandâ quadam impietate palam audes profiteri, te Dei gloriam unice querere, & vindicare: & dum ipse turpissima queris, simul accusare alios, quod pietatis larvam criminibus imponat: cūm id nemo manifestius ac sceleratius quām tu ipse facis, unquam fecerit. Ad rerum aīs gestarum seriem magno tibi fuisse adjumento cum alios scriptores tum maxime elenchum motuum nuperorum in Anglie. Næ tu ineptus homo es, qui tanto clamore facto, quod tuum sit nihil afferas; sed scriptores tantum, regiis partibus addictos eōq; meritò suspectos authores contra nos adducere potuisti, quorum fides si elevabitur, progredi nequeas. Nos igitur scriptores illos, si opus erit & elenchum elencho refutabimus, non illis per te, sed tibi per illos, cum visum erit respondebimus; tibi quæ de tuo protuleris, videndum interea, ut tueri queas; quæ cujusmodi sint, ab impio & planè Atheo homine profeta, audiant nunc omnes pii & horrescant. Juber amor Dei, & injuria sancto ejus nomini factæ sensus acerrimus cogit supplices manus ad Deum attollere. Abde abde obscenas illas manus, quas libidine & ambitione supinatus attollere non veteris, nè coelum ipsum quoque audeas iis manibus incestare, quibus sacra religionis mysteria contrectando polluisti. Quam enim divinam ultionem aliis temerarius & væcors imprecari, eam in ipsius tuum impurissimum caput devocasse te oīl intelliges.*

Hactenus clamoris quasi præludia fuere; nunc (summas enim, & proprie solas in hoc drāmate partes clamor obtinet,) quām potest maximo hiatu.

richtum diducit : in cœlum scilicet iturus ; quo si ascenderit, in neminem profectò acriùs clamabit quam in ipsum clamatorem Morum. *Cum omnibus seculis, sacra fuerit regum majestas, &c.* Multa tu quidem More vulgariter, multa malitiosè in nos declamas, quæ nihil attinent : regis enim cædes, & tyranni supplicium non sunt idem, More, non sunt, inter se distant longissimè, atque distabunt, dum sensus & ratio, jus atque fas, rectique & obliqui judicium hominibus concedetur. Verùm de his satìs jam sæpius dictum, satìs defensum est : non patiar qui tot diris inanibus lædere non potes, ut repetitâ crambe nos demum occidas. De patientiâ, deinde & pietate bellè disputas : Sed

— de virtute loquutus  
Clunem agitas : ego te ceventem more verebor ?

*Omnès aïs reformatos, prefertim Belgas & Gallos, factum nostrum horruisse : & statim, bonis ubique non licuisse, idem sentire & loqui.* Sed te tibi repugnare leviculum est ; hoc multo indignius atque atrocius : *præ nostro, inquis, scelere, nihil fait Judaorum scelus, Christum crucifigentium, sive hominum mentem, sive sceleris effectus compares.* Furose ! tune Christi minister perpetratum facinus in Christum tam leviter fers, quacunque demum mente vel effectu ut pari scelere interfectum quemlibet regem audeas dicere ? Judæi certè clarissimis indiciis Dei filium aguovisse poterant ; nos Carolum non esse tyrrannum, nulla ratione potuimus intelligere. Eventus autem, ad minuendum scelus, ineptissimè facis mentionem : verūm semper animadverto regios, quò quisque acrior est, eò leviùs ferre quicquid committitur in Christum, quām si quid in regem : cui tamen cùm Christi præcipue causa obediendum doceant, facile ostendunt se neque Christum verè colere, neque regem : sed aliud quiddam sibi querentes, incredibilem hanc erga reges fidem ac religionem suam, vel ambitioni, vel occultis quibusdam aliis cupiditatibus obtendere. *Prodiit ergo magnus literarum princeps Salmasius.* Define toties magnum illud, More ; quod millies licet ingesseris, haud cuiquam profectò intelligenti persuaseris magnum esse Salmasium, sed minimum esse Morum, & nullius pretii homulum, qui, quid deceat ignarus, magni cognomine tam imperitè abutatur. Nos grammaticis atque criticis, quorum summa laus aut in alienis lucubrationibus edendis, aut librariorum mendulis corrigendis versatur, industriam quidem ac literarum scientiam, doctrinæ etiam haud contemnendæ laudem, ac præmia libenter concedimus, magni cognomen haud largimur. Is solus magnus est appellandus, qui res magnas aut gerit, aut docet, aut dignè scribit : res autem magnæ sunt solæ, quæ vel vitam hanc nostram efficiunt beatam, aut saltem cum honestate commodam atque jucundam, vel ad alteram ducunt beatorem. Horum verò Salmasius quid egit ? egit verò nihil ; quid autem docuit aut scripsit magnum ? nisi forte contra Episcopos, & primatum Papæ, quod ipse postea & suis moribus, & aliis in nos pro episcopatu scriptis, recantatum penitus evertit. Magnus ergo scriptor dici non debet, qui aut nihil magnum, aut quod optimum in vita scripserat, ei sædissimè renunciavit. *Literarum princeps ut sit, & Alphabeti per me licet ; at verò tibi non princeps modò literarum est, sed patronus regum, & patronus quidem dignus tantis clientibus.* Pulchritè tu quidem regibus consulisti, ut poit alios insignes titulos, Claudi Salmasii clientes appellantur. Ea nimirum lege solvi nini cunctis aliis legibus Reges, ut in clientelam Grammatico tradatis vos Salmasio, sceptra ferulae submittatis : *Debebunt ei Reges, dum stabit orbis, dignitatis & salutis sua vindicias.* Audite Principes ; qui pessimè vos defendit, immo ne defendit quidem, nemo enim oppugnavit, dignitatem & salutem vestram sibi imputat. Hoc nempe solum consequi sunt, qui superbissimum Grammaticum sustinendis regum rationibus ex tinearum & blatarum foro advocâtunt. *Cui quantum res regia, tantundem etiam ecclesia debebit ; non laudem sanè, sed meritissimam desertaæ suæ cause notam.* Nunc in laudes effunderis Defensionis regiæ ; *ingenium, doctrinam, infinitum pro rerum usum, & intimam sacri & profani juris penum, concitata orationis vigorem, eloquentiam, facundiam aurei illius operis admiraris,* quorum cum nihil affuisse homini contendō (quid enim Salmasio cum eloquentia ?) tum aureum fuisse illud opus vel centies fateor ; tot enim Carolus aureos numeravit, ne dicam quid Arausiacus etiam princeps in idem opus profuderit. *Nunquam major surrexit vir magnus, nunquam magis Salmasius :* Et tantò quidem major ut se ruperit, quām magnus enim fuerit in illo opere jam vidimus ; & siquid ejusdem argu-

menti,

menti, ut fertur, posthumum reliquit, fortasse videbimus. Non equidem insí-  
cior, edito illo libro, Salmasium in ore omnium fuisse, regiis mirè placuisse;  
ab angustissima Suecia regina, amplissimis præmiis invitatum; quinum tota illa con-  
tentione Salmasio secunda omnia, adversa mihi penè omnia fuere. Primum de  
illius eruditione, erat hominum summa opinio, quam multis ab annis jam diu  
collegerat, libros conscribendo multos, & bene magnos, non eos quidem ple-  
rūmque utiles, sed abstrusissimis de rebus, & summorum authorum citariunculis  
differtos; quo nihil citius literatorum vulgus in admirationem rapit; me verò  
quis essem, nemo in iis ferè regionibus nōrat; magnam ille sūi expectationem  
concitārat, attentior operi quām solebat alias, ut in re tanta; ego mei nullam  
potui movere: immò verò multi me ab illo dehortabantur, tyronem cum ve-  
terano congressurum, partim invidentes, nè utcunque mihi gloriae foret cum  
tanto hoste decertāsse; partim & mihi, & causæ metuentes, nè utriusque gravi  
cum ignominia victus discederem; causa denique speciosa atque plausibilis, in-  
veterata vulgi opinio, sive supersticio dicenda potius est, & propensus in regium  
nomen favor Salmasio vires & spiritus addiderat; eadem omnia contra me fe-  
cere, quo magis est mirandum, quamprimum responsio nostra prodiit, non si  
a plerisque avidè arriperetur, videre gestientibus ecquis tam præcepis animi  
eset ut auderet cum Salmasio configere, sed tam esse placitam multis atque  
gratam, ut, non authoris, sed ipsius veritatis ratione habitat, qui modò summo  
in honore fuerat Salmasius, nunc quasi detractā, sub qua latuerat, personā, &  
existimatione, & animo repente caderet; sēque alſerere, tametsi omnibus nervis  
id agens, quoad vixit postea non valuerit. Te verò, serenissima Suecorum  
regina, tuūmque illud acre judicium fallere haud diu potuit; tu veritatis par-  
tium studiis antefereadæ, Princeps atque Author propè dicam cœlestis extitisti.  
Quamvis enim illum hominem eximiæ doctrinæ fama, causæque regiæ patro-  
cinio tunc temporis longè omnium celeberrimum, à te invitatum, multis ho-  
noribus affecſles, tamen prodeunte illo responſo, & singulari æquanimitate abs-  
te perlecto, postquam vanitatis & apertissimæ corruptelæ redargurum Salmasi-  
um, multa leviter, multa immoderatè, falsa quædam, adversus seipsum alias  
& prioribus sententiis contraria differuisse animadverteras, ad quæ, coram acci-  
tus, ut ferunt, quod satis responderet nihil habuit, ita palam animo affecta es,  
ut ab illo tempore neque hominem, ut ante, colere, neque ejus ingenium aut  
doctrinam magni facere, &, quod erat planè inopinatum, ejus adversario pro-  
pensiùs favere, omnes te intelligerent. Quod enim erat in tyrannos dictum,  
negabas id ad te ullo modo pertinere: unde & apud te fructum, & apud alios  
famam rectissimæ conscientiæ adepta es. Cūm enim tua facta satis declarent,  
tyrannum te non esse, hæc tua tam aperta animi significatio adhuc clarius demon-  
strabat, te ejus rei ne omnino quidem tibi esse consciam. O me spe meā omni  
feliciorem! (Eloquentiam enim, nisi quæ in ipsa veritate Suada est, nullam  
mihi sumo) qui, cūm in ea patriæ tempora incidiſſein, ut necesse eset in causa  
tam ardua tamque invictiosa versari, ut jus omne regium iinpugnare viderer,  
tam illustrem, tam verè regiam nactus sim integratatis meæ testem atque inter-  
pretem, nullum me verbum fecisse contra reges, sed contra regum labes ac pestes  
duntaxat tyrannos. Te verò magnanimam, Augusta, te tutam undique divinā  
planè virtute ac sapientiâ munitam! quæ quod in jus tuum ac dignitatem pote-  
rat videri scriptum, non solū tam æquo animo atque fedato, tam incredibili  
mentis candore, vultusque verâ serenitate perlegere sustinuisti; sed contra ip-  
sum Patronum tuum ejusmodi sententiam ferre, ut ejus adversario palmam  
etiam adjudicare à plerisque existimeris. Quo te honore, quâ te veneratione,  
Regina, prosequi semper debuero, cuius excelsa virtus ac magnitudo animi non  
tibi solū glorioſa, sed mihi etiam tam fausta atque fortunata, & suspicione  
me omni atque infamiâ apud alios reges liberavit, & præclaro ac immortali hoc  
beneficio tibi in perpetuum devinxit. Quâm bene de æquitate tua, dēque justi-  
tia & sentire exteri, & sentire & sperare semper tui populi debebunt, qui, cūm  
tua res ac majestas ipsa agi videretur, tam nihil turbaram te de tuo haud inimicuſ  
placide, quâm de populi jure soles, judicantem viderunt. Jam tu quidem haud  
temerè, tot conquista undique volumina, tot literarum monumenta concessisti,  
non quasi te illa quicquam docere, sed ut ex illis tui cives te discere, tuæque  
virtutis ac sapientiæ præstantiam contemplari possint; cuius ipsa Divæ species,  
nisi tuo animo penitus infedisset, & quasi oculis conspiciendam se tibi præbuſſet,  
haud ulla profectò librorum lectione, tam incredibiles amores excitâſſet in te  
sui:

sui : quò magis illum mentis tuæ vigorem planè æthereum & quasi purissimam divinæ auræ partem in illas ultimas regiones delapsam admiramur ; quam neque cœlum illud triste ac nubilosum ullis frigoribus extinguere aut gravare, neque solum illud horridum ac salebrosum, quod & ingenia quoque incolarum haud raro indurat, quicquam in te inæquale aut asperum creare potuit : quin & ipsa terra illa, tot metallis fæcunda, si aliis noverca, tibi certè alma patens, te summis enixa viribus totam auream produxisse videtur. Dicerem Adolphi filiam invicti atque incliti regis unicam prolem, nisi tu illi, *Christina*, tantum præluceres, quantum viribus sapientia, belli artibus pacis studia præcellunt. Jam inde profectò regina Austri haud sola celebrabitur : habet nunc & septentrio reginam suam, & dignam sanè quæ non modo sapientissimum illum Judæorum regem, aut si quis unquam similis futurus esset, auditum proficeretur, sed ad quam alii tanquam ad clarissimum regalium virtutum exemplar, & visendam omnibus Heroinam, undique concurrant : nullumque in terris fætigium par esse ejus laudibus ac meritis fateantur, in qua minimum hoc esse videant, quod sit Regina, tot gentium monarcha. Non autem hoc minimum, quod etiam hoc esse decorum suorum minimum ipsa sentiat, aliudque longè majus atque sublimius meditetur, quam regnare ; hoc ipso nomine innumeris regibus præponenda. Potest itaque, si ea manet Suecorum gentem calamitas, regnum abdicare, Reginam deponere nunquam potest, non Sueciæ sed totius orbis terrarum dignam se imperio testata.

In has digressum me Reginæ meritissimas laudes, nemo est, opinor, qui non collaudet, nedum reprehendat ; quas ego quidem sine summa ingratitudinis culpa, vel aliis tacentibus, prætermittere non potui ; qui nescio quam mea sorte, sanè felicissimam, aut si quis est occultus vel siderum, vel animorum, vel rerum consensu aut moderamen, tantam arbitram quam omnium minimè sperabam, omnium maximum optabam, tam mihi æquam & faventem in ultimis terris reperirem. Nunc ad relictum opus, longè quidem diversissimum, redeundum tamen est, *Infremuisse*, aïs, nos ad *Defensionis regie famam* ; dispexisse igitur Grammaticastrum aliquem famelicum, qui venalem calamum parricidii patrocinio vellet commodore. Hæc abs te malitiosissimè ficta sunt, ex quo memineras, regios, cum suis mendaciis ac maledicentia præconem dispicerent, adiisse Grammaticum, si non famelicum, certè auri plus nimio sitionem Salmasium ; qui non solùm præsentem operam suam, sed bonam quoqè mentem, si quam priùs habuit, illis libentissimè vendidit ; ex quo memineras Salmasium, famam jam deploratam atque perditam, cum dispiceret, qui existimationem afflictam atque obtritam, quoquo modo reparare quiret, te invenisse justo Dei judicio, non, unde excussus es, ministrum Genevensem, sed episcopum Laplacenum, id est, ex horto Priapum, suæ domus constupratores ; unde & insultissimas laudes, rango cum dedecore emptas aversatus, & ex amico inimicissimus factus, tibi laudatori suo, multa moriens imprecatus est. *Unus inventus est*, magnus scilicet *Heros*, quem *Salmasio* opponerent, *Ioannes Miltonus*. Ego Heroëm me esse nesciebam, tu Heroës cujuspiam fortè filius per me sis licet ; rotus enim noxa es. Atque unum me esse inventum, qui causam populi Anglicani tuear, si reipublicæ rationes cogito, sanè quam doleo, si laudem, ejus participem habere me reminem facile patior. Quis & unde sim dubium aïs esse. Tam olim erat dubium quis Homerus, quis Demosthenes. Evidem tacere diu, & posse non scribere, quod nūquam potuit Salmasius, didiceram ; eaque in sinu gestubam tacitus. quæ si tum proferre libuisset, æquè ac nunc, inclaruisse jamdudum poteram : sed cunctantibus famæ avidus non eram, ne hæc quidem, nisi idonea data occasione unquam prolaturus ; nihil laborans eti si alii me quæcumque nōsssem scite nesciebant ; non enim famam sed opportunitatem cujusque rei præstolabar ; unde factum est, ut multò ante plurimis essem notus, quam Salmasius hotus esset sibi ; nunc Andremonæ notior est caballo. *Homone an vermis*. Evidem malim me verinem esse, quod fatetur de se etiam rex Davides, quam tuum vermem in pectore nūquam moriturum intus celare. *Aiunt*, inquis, *hominem Cantabrigiensis Academia ob flagitia pulsus, dedecus & patriam fugisse, & in Italiam commigrasse*. Vel hinc licebit conjicere quam veraces illi fuerint, ex quibus res nostras auditione accepti ; hic enim & te & illos impudentissimè mentiri & nōrunt omnes qui me nōrunt, & statim amplius ostendam. Pulsus vero Cantabrigiæ, cur in Italianam potius quam in Galliam aut Hollandiam commigrarem ? ubi tu tot flagitiis co-operatus, Minister Evangelii, non modò impunè vivis, sed concionaris, sed sacra etiam

etiam ministeria, summo cum illius Ecclesiae opprobrio, inquinatissimis manibus conspurcas. Cur verò in Italianam, More? novus credo Saturnus, ut alicubi latrem, in Latum scilicet profugi. Verùm ego Italianam, non, ut tu putas, facinorosorum latibulum aut asylum, sed humanitatis potius, & civilium doctrinarum omnium hospitium & noveram antea, & expertus sum. *Reversus librum de divortiis conscripsit.* Non aliud scripsi, atque ante me Bucerus de regno Christi copiose, Fagius in Deuteronomium, Erasmus in Epistolam primam ad Corinthios deditā operā in Anglorum gratiam, aliique multi per celebres viri, in commune bonum scripserunt. Quod in illis nemo reprehendit, cur id mihi præ cæteris fraudi esset, non intelligo: vellem hoc tantum, sermone vernaculo me non scripsisse; non enim in vernas lectores incidisse; quibus solenne est sua bona ignorare, aliorum mala irridere. Téne verò, turpissime, de divortiis obstrepare, qui cum Pontia ancilla tibi despontata, post stuprum eo obtentu illatum, immanissimum omnium divortium fecisti? Et tamen erat illa Salmasii famula, Anglicula, ut fertur, foemina, regiis partibus apprimè dedita; nempe hoc erat, scelerate, adamasti ut rem regiam, reliquisti ut rem publicam, cuius tamen conversionis, quam odiisse adeo vis videri, vide ne ipse author fueris; vide inquam ne subversa funditus dominatione Salmasiana Pontiam ipse in rem publicam converteris. Et hoc modo multas tu quidem una in urbe res publicas, regius licet, aut fundasle diceris aut ab aliis fundatas minister publicus administrare. Hæc tua sunt divortia, seu mavis, diverticula, unde in me Curius prodixisti. Ad mendacia nunc redis. *Cum de regis capite inter conjuratos ageretur, scripsit ad eos, & nutantes in malam partem impulit.* Ego vero neque ad eos scripsi, neque impellere attinebat, quibus id omnino agere sine me delibera- tum jam erat: verùm ea de re quid scripsirim, infrà dicetur, ut etiam de Ico- noclaste. Nunc quoniam iste (Hominem an dicam hæreco purgamentum potius hominis) ab ancillarum adulteriis ad adulterandam omnem veritatem pro- gressus, congestis in me tot una serie mendaciis, apud exterros infamem reddere conatus est, petone quis rem secùs interpretetur, aut in invidiam trahat, néve moleste serat, si de me plura quam vellem & dixi suprà, & porrò dicam: ut si oculos à cœcitate, nomen ab oblivione aut calumnia non possum, vitam tamen possim ab ea saltē obscuritate quæ cum macula sit, in lucem vindicare. Id- que non unam ob causam mihi erit necessariò faciendum. Primum ut tot viros bonos atque doctos, qui per omnes vicinas gentes nostra jam legunt, deque me haud malè sentiunt, né propter hujus maledicta mei pœnitentia; verùm ita sibi persuadeant non eum esse me, qui honestam orationem in honestis moribus, aut liberè dicta, serviliter factis unquam dedecorârim; vitamque nostram, Deo bene juvante, ab omni turpitudine ac flagitio remotam longè semper fuisse: deinde, ut quos laudanos mihi sumo viros illustres ac laude dignos, hi sciant nihil me pudendum magis existimare, quam si ad eorum laudes vituperandus ipse ac nequam accederem; sciat denique populus Anglicanus, quem ut defenderem, meum sive fatum sive officium, sua virtus impulit, si vitam pudenter atque hon- nestè semper egí, meam defensionem, nescio an honori aut ornamento, certè pudori aut dedecori nunquam sibi fore: qui igitur, & unde sim, nunc dicam. Londini sum natus, genere honesto, patre viro integerrimo, matre probatissima, & eleemosynis per viciniam potissimum nota. Pater me puerulum humaniorum literarum studiis destinavit; quas ita avidè arripiui, ut ab anno ætatis duodecimo vix unquam ante medianam noctem à lucubrationibus cubitum discederem; quæ prima oculorum pernicies fuit: quorum ad naturalem debilitatem accesserant & crebri capitum dolores; quæ omnia cum discendi impetum non retardarent, & in ludo literario, & sub aliis domi magistris erudiendum quotidie curavit: ita variis instructum linguis, & percepta haud leviter philosophiæ dulcedine, ad Gymnasium gentis alterum, Cantabrigiam misit: Illuc disciplinis atque artibus tradi solitis septennium studui; procul omni flagitio, bonis omnibus probatus, usquedum Magistri, quem vocant, gradum, cum laude etiam adeptus, non in Italianam, quod impurus ille comminiscitur, profugi, sed sponte meâ domum me contuli, meique etiam desiderium, apud Collegii plerisque socios à quibus eram haud mediocriter cultus, reliqui. Paterno rure, quo is transigendæ se- necutis causâ concesserat, evolvendis Græcis Latinisque scriptoribus summum per otium totus vacavi; ita tamen ut non unquam, rus urbe mutarem, aut coemendorum gratia librorum, aut novum quidpiam in Mathematicis, vel in Mu- sicis, quibus tum oblectabar, addiscendi. Exacto in hunc modum quinquennio,

post matris obitum, regiones exterias, & Italiā potissimum, videndi cupidus, exorato patre, uno cum famulo profectus sum. Abeuntem vir clarissimus Henricus Woottonus, qui ad Venetos Orator Jacobi regis diu fuerat, & votis & praceptis, eunti peregrē sanè utilissimis, eleganti epistolā perscriptis, me amicissimè prosequutus est. Commendatum ab aliis nobilissimus vir Thomas Scudamorus Vicecomes Slegonensis, Caroli regis Legatus, Paritiis humanissimè accepit; méque Hugoni Grotio viro eruditissimo, ab Regina Suecorum tunc temporis ad Galliæ regem Legato, quem invisere cupiebam, suo nomine, & suorum uno atque altero deducente, commendavit: Discedenti post dies aliquot Italiam versūs, literas ad mercatores Anglos, quā iter eram facturus, dedit, ut quibus possent officiis mihi præstò essent. Nicæa tolvens, Genuam perveni; mox Liburnum & Pisas, inde Florentiam. Illa in urbe, quam præ cæteris propter elegantiam cum linguae tum ingeniorum semper colui, ad duos circiter menses substiti; illic multorum & nobilium sanè & doctorum hominum familiaritatem statim contraxi; quorum etiam privatas academias (qui mos illic, cum ad literas humaniores, tum ad amicitias conservandas laudissimus est) assidue frequentavi. Tui enim Jacobe Gaddi, Carole Dati, Frescobalde, Cutille, Bonmatthæi, Clementille, Francine, aliorumque plurium memoriam, apud me semper gratam atque jucundam, nulla dies delebit. Florentia Senas, inde Romam profectus, postquam illius urbis antiquitas & prisca fama me ad bimestre serè spatium tenuisset (ubi & Luca Holstenio, aliisque viris cum doctis tum ingeniosis, sum usus humanissimis) Neapolim perrexī: Illic per Eremitam quandam, quicum Roma iter feceram, ad Joannem Baptistam Mansum, Marchionem Villensem, virum nobilissimum atque gravissimum (ad quem Torquatus Tassus insignis poeta Italus de amicitia scripsit) tum introductus; eodēnque usus, quamdiu illic fui, sanè amicissimo; qui & ipse me per urbis loca & Proregis aulam circumduxit, & visendi gratia haud semel ipse ad hospitium venit: Discedenti serio excusavit se, tametsi multò plura detulisse mihi officia maximè cupiebat, non potuisse illa in urbe, propterea quod nollebam in religione esse tector. In Siciliam quoque & Græciam trajicere volentem me, tristis ex Anglia belli civilis nuntius revocavit: Turpe enim existimabam, dum mei cives domi de libertate dimicarent, me animi causā otiosè peregrinari. Romam autem reversurum, monebant Mercatores se didicisse per literas parari mihi ab Jesuitis Anglis insidias, si Romam reverterem; eò quod de religione nimis liberè loquutus essem. Sic enim mecum statueram de religione quidem iis in locis sermones ultro non inferre; interrogatus de fide, quicquid essem passurus, nihil dissimulare. Romam itaque nihil minus redii: Quid essem, si quis interrogabat, neminem celavi; si quis adorabatur, in ipsa urbe Pontificis, alteros prope duos menses, Orthodoxam Religionem, ut antea, liberrimè tuebar: Deoque sic volente, incolumis Florentiam rursus perveni; haud minus mei cupientes revisens, ac si in patriam revertistem. Illic totidem, quot prius, menses libenter commoratus, nisi quod ad paucos dies Luccam excurreti, transcenso Apennino, per Bononiam & Ferraram, Venetas contendit. Cui urbi lustrandæ cum mensem unum impendissim, & libros, quos per Italiam conquisiveram, in navem imponendos curasse, per Veronam ac Mediolanum, & Pæninas Alpes, Lacu denique Lemanno, Genevam delatus sum. Quæ urbs, cùm in mente mihi hinc veniat Mori calumniatoris, facit ut Deum hic rursus testem invocem, me his omnibus in locis, ubi tam multa licent, ab omni flagitio ac probro integrum atque intactum vixisse, illud perpetuò cogitantem, si hominum latere oculos possem, Dei certè non posse. Genevæ cum Joanne Deodato, Theologiae professore doctissimo, quotidianus versabar. Deinde eodem itinere, quo prius, per Galliam, post annum & tres plus minus menses in patriam revertor; eodem ferme tempore quo Carolus cum Scotis, ruptâ pace, bellum alterum quod vocant Episcopale, redintegrabat; in quo fusis primo congressu regiis copiis, cùm videret etiam omnes Anglos, & meritò quidem, in se pessimè animatos, malo coactus, non spente, Parlamentum haud ita multò post, convocavit. Ipse, sicubi possem, tam rebus turbatis & fluctuantibus, locum consistendi circumspiciens, milii librisque meis, sat amplam in urbe domum conduxi; ibi ad intermissa studia beatulus me recepi; rerum exitu Deo impensis, & quibus id muneris populus dabat, facile permisso. Interea Parlamento rem strenuè gerente, Episcoporum fastus detumuit. Ut primū loquendi saltē cepta est libertas concedi, omnia in Episcopos aperiri ora; alii de ipsorum vitiis,

vitiis, alii de ipsius ordinis vitio conqueri; iniquum esse, se solos ab Ecclesiis omnibus, quotquot reformatæ sunt, discrepare; exemplo fratum, sed maximè ex verbo Dei, gubernari Ecclesiam convenire. Ad hæc sanè experitus, cùm veram affectari viam ad libertatem cernerem, ab his initiis, his passibus, ad liberandam servitutem vitam omnem mortalium, rectissimè, procedi, si ab religione disciplina orta, ad mores & instituta reipublicæ emanarer, cùm etiam me ita ab adolescentia parâsem, ut quid divini, quid humani esset juris, ante omnia possem non ignorare, méque consuluisset ecquando ullius usus esset futurus, si nunc patriæ, immo vero ecclesiæ tótque fratribus evangelii causâ, periculo sese objicentibus deessem, statui, et si tuac alia quædam meditabar, hoc omne ingenium, omnes industriae vires transferre. Primum itaque de reformanda ecclesiæ Anglicana, duos ad amicum quendam libros conscripsi: Deinde, cum duo præ cæteris magni nominis Episcopi suum jus contra Ministros quosdam primarios assererent, ratus de iis rebus, quas amore solo veritatis, & ex officii Christiani ratione didiceram haud pœnus me dicturum quām qui de suo quæstu & injustissimo dominatu contendebant, ad hunc libris duobus, quorum unus de Episcopatu prælatico, alter de ratione Disciplinæ Ecclesiasticae inscribitur, ad illum, scriptis quibusdam animadversionibus, & mox Apologia, respondi; & ministris facundiam hominis, ut cerebatur ægiè sustinentibus, luppétias tuli; & ab eo tempore, si quid postea responderent, interfui. Cùm petiti omnium telis Episcopi tandem cecidissent, otiumque ab illis esset, verti aliò cogitationes; si qua in re possem libertatis veræ ac solidæ rationem promovere; quæ non foris, sed intus querenda, non pugnando, sed vitam rectè instituendo, recteque administrando adipiscenda potissimum est. Cùm itaque tres omnino animadverterem libertatis esse species, quæ nisi adsint, vita ulla transigi commode vix possit, Ecclesiasticam, domesticam seu privatam, atque civilem, déque prima jam scripsisse, déque tertia Magistratum sedulò agere viderem, quæ reliqua secunda erat, domesticam mili desumpsi; ea quoque tripartita, cùm videretur esse, si res conjugalis, si liberorum institutio rectè se haberet, si denique liberè philosophandi potestas esset, de conjugio non solùm ritè contrahendo, veùm etiam, si necesse esset, dissolvendo, quid sentirem explicui; idque ex divina lege, quam Christus non sustulit, nedum aliam, tota lege Mosaïca graviorem civiliter sanxit; quid item de excepta solùm fornicatione sentiendum sit, & meani aliorūmque sententiam exprompsi, & clarissimus vir Seldenus noster, in Uxore Hebræâ plus minus biennio post editâ, uberiorùs demonstravit. Frustrâ enim libertatem in comitiis & foro crepat, qui domi servitutem viro indignissimam, inferiori etiam servit; ea igitur de re aliquot libros edidi; eo præsertim tempore cùm vir sœpè & conjux hostes inter se acerrimi, hic domi cum liberis, illa in castris hostium materfamilias versaretur, viro etiam atque perniciem minitans. Institutionem deinde liberorum uno opusculo brevius quidem tractabam; sed quod satis arbitrabar iis fore, qui ad eam rem, qua par esset diligentia, incumberent; quā quidem re, nihil ad imbuendas, unde vera atque interna oritur libertas, virtute hominum mentes, nihil ad rem publicam bene gerendam, & quam diutissimè conservandam majus momentum potest afferre. Postremò de typographia liberanda, ne veri & falsi arbitrium, quid edendum, quid premendum, penè paucos esset, eosque ferè indoctos, & vulgaris judicii homines, librorum inspectioni præpositos, per quos neimini ferè quicquam quod supra vulgus sapiat, in lucem emittere, aut licet aut libet, ad justæ orationis modum Areopagitam scripsi. Civilem, quæ postrema species restabat, non attigeram; quam Magistratu satis curæ esse cernebam: Neque de jure regio quicquam à me scriptum est, donec Rex hostis à Senatu judicarus, bellisque victus, causam captivus apud Judices diceret, capitisque damnatus est. Tum vero tandem, cùm Presbyteriani quidam Ministri, Carolo priùs infestissimi, nunc Independentium partes suis anteferri, & in Senatu plus posse indignantibus, Parlamenti sententiæ de Rege latæ (non facto irati, sed quod ipsorum factio non fecisset) reclamitarent, & quantum in ipsis erat, tumultuarentur, ausi affirmare Protestantium doctrinam, omnésque ecclesiæ reformatæ ab ejusmodi in reges atroci sententiâ abhorrente, ratus falsitati tam aperta palam evindum obviâm esse, ne tum quidem de Carolo quicquam scripsi aut suasi, sed quid in genere contra tyrannos liceret, adductis haud paucis summorum Theologorum testimoniis, ostendi; & insignem hominum meliora profidentium, five ignorantiam sive impudentiam propè concionabundus incessi. Liber iste non nisi

nisi post mortem Regis prodiit, ad componendos potius hominum animos fatigatus, quam ad statuendum de Carolo quicquam quod non mea, sed Magistratum intererat, & peractum jam tum erat. Hanc intra privatos parietes meam operam nunc ecclesiae, nunc reipublicae gratis dedi ; milbi vicissim vel haec vel illa praeter incolumitatem nihil ; bonam certe conscientiam, bonam apud bonos existimationem, & honestam hanc dicendi libertatem facta ipsa reddidere : Commoda alii, alii honores gratis ad se trahebant : Me nemo ambiente, nemmo per amicos quicquam petentem, curiae foribus affixum petitorio vultu, aut minorum conventuum vestibulis haerentem nemo me unquam vidit. Domi sere me continebam, meis iple facultatibus, tametsi hoc civili tumultu magna ex parte saepe detentis, & censum ferre iniuius mihi impositum, & vitam utcunque frugi tolerabam. His rebus confectis, cum iam abunde otii existimarem mihi futurum, ad historiam gentis, ab ultima origine repetitam, ad haec usque tempora, si possem, perpetuo filo deducendam me converti : Quatuor jam libros absolveram, cum ecce nihil tale cogitantem me, Caroli regno in rem publicam redacto, Concilium Statutus, quod dicitur, tum primum auctoritate Parlamenti constitutum, ad se vocat, meaque operam ad res praesertim externas uti voluit. Prodiit haud multo post attributus Regi liber, contra Parliamentum invidiosissime sane scriptus : Huic respondere jussus, Iconi Iconoclasten opposui ; non regis manibus insultans, ut insimulor, sed reginam veritatem regi Carolo anteponendam arbitratus ; immo cum praeviderem hanc calumniam cuivis maledico in promptu fore, ipso exordio, & saepe alias, quoad licuit, a me istam invidiam sum amolitus. Prodiit deinde Salmasius ; cui quis responderet, adeo non diu, quod ait Morus, dispiciebat, ut me in concilio tum etiam praelentem statim omnes ultro nominarent. Haec tenus ad obturandum os tuum, More, & mendacia redarguenda bonorum maximè virorum in gratiam, qui me alias non norint, mei rationem reddidi. Tu igitur, More, tibi dico immunde, obmutesc inquam ; quo enim magis mihi maledixeris, eo me rationes meas uberiori explicare coegeris ; ex quo aliud lucrari nihil poteris, quam ut tibi mendaciorum opprobrium adhuc gravius concilies, mihi ad integratatis commendationem eo latius viam aperias. Reprehenderam ego Salmasium, quod extraneum se & alienigenam rebus nostris immiscisset : Tu instas, ad eos qui ad Angliam non pertinent, hanc defensionem maxime pertinere. Quid enim ? Possunt, inquis, Angli existimari studio partium acrius agere ; Gallos vero consenteaneum est rei, non hominum, rationem habuisse. Ad haec eadem quae prius regero ; externum & longinquum, qualis tu es, in alienas res praesertim turbatas, immersurum se neminem nisi corruptum ; Salmatium prius demonstravi mercede conductum ; te constat per Salmasium & Arausisionenses professoriam cathedram petuisse ; deinde, quod saepe est, exagitas Parliamentum, & subagitas Pontiam. Quam autem affers rationem, cur haec ad exteros potius pertinerent, deridicula prorsus est ; si enim Angli partium studiis fervuntur, quid vos aliud, qui illos solos sequimini, quam eorum affectus duntaxat in vos transfertis ? Adeo ut, si Anglis illis credendum in sua causa non est, vobis profecto sit multo minus ; qui rerum nostrarum nihil intelligitis, aut saltem creditis, nisi quas ab ipsis accepistis quibus, vestra quoque sententia, vix est credendum. Hic rursum effundis te in laudem magni Salmasii : Magnus sanè tibi suit, quem tu quasi pro lenone habuisti ancillæ suæ ; laudas tamen ; at is te non laudat, immo ante mortem palam est abominatus, sequitur ipse millies incusavit, quod Spanhemio gravissimo Theologo, de te, quam impius es, non credidisset. Nunc totus in rabiem versus rationi quasi renuntias ; Jamdudum ratione scilicet defunctus est Salmasius. Tu clamandi tantum & furendi partes tibi depositis, & tamen primas in maledicendo etiam tribuis Salmasio ; non quia verbis sive, sed quia Salmasius. Ω σπερμαλόγε ! Has nemp̄ argutias morigeranti debemus Pontiae. Hinc clamor tuus argutari atque etiam minurizare didicit ; hinc minitabundus quoque, experiemini, inquis, aliquando, fadissime bellus, quid stylus potuerint. Tene experiemur, ancillariole, tene moeche, aut stylum tuum, ancillis tantummodo metuendum ? Cui si quis raphanum aut mugilem solum intenderit, actum mehercule preclarè tecum putas, si nate non fissâ & incolumi stylo isto falaci tuo queas aufugere. Evidem non adsum, inquis, vacui capitum ut Provinciam à Salmasio suscepit aggrediar : Quam ille quidem sine capite admodum vacuo, nunquam aggressus fuisset ; tenui vē tu quidem vacuitate capitum, magnum Salmasium tibi anteponis.

regis sanguinis clamorem ad cælum vñcre quod incerti etiam debent: hoc nempe  
 tuum esse ais. Clama, vociferare, bo; perge hypocritari, sancta verba utur-  
 pare, & Priapeia vivere: Exurget, mili crede, aliquando quem inclamas toties  
 ultiōnum Deus; exurget, tēque imprimis eradicabit, diaboli ministrum, & re-  
 formatae ecclesiæ infandum dedecus & luem. Inculpantibus Salmasii male-  
 dicientiam quamplurimis, respondes, *Sic cum parricidis monstrorum omnium tur-  
 pissimis, fuisse agendum.* Laudo; telis enim nos instruis: & quo te pacto,  
 tuosque perduelles tractari conveniat, commodus doces, nōsq; ipse absolvis.  
 Nunc quando ratione nihil potes, ne audes quidem ooccupatum ab Salmasio jus  
 omne regium, & quicquid est in eo rationis causatus, à contumeliis & rabie ad  
 narrationes quasdam miserabiles conversus, expers rationis, institutos ab initio  
 clamores tantum persequeris: quas partim Salmasianas recoxisti, partim ex elen-  
 cho illo ἐλέχειο anonymo, qui non patria solum sed nomine etiam profugit,  
 descriptas interpolasti: quarum ad præcipua capita, vel in Iconoclastie, vel in  
 Salmasianis ita jam respondi, ut citra modum Historie, responderi appliūs  
 posse non putem. Sempérne ego ut identidem eandem orbitam teram, & ad Ba-  
 latronis cuiusque stridorem dicta toties cogar iterare? non faciam; neq; meā sic  
 abutar vel operā vel otio. Si quis conductitios ejulatus, & compositos vænalis-  
 simi hominis ploratus, si quis declamatiunculas, quas etiam ancillaris concubitus,  
 adulterinas edixit & spurias, Morilli nothi gemellas, fide satis locupletes,  
 arbitratur esle, ad me quod attinet, nihil quidem moror, quo minus ita existi-  
 met; neque enim est ut ab ejusmodi credulo ac temerario metuendum nobis  
 quicquam sit: attingam tamen pauca, multorum instar, ex quibus tam quis ipse,  
 quam quid dicat, & quid de reliquo judicandum sit, summatim intelligetis.  
 Postquam de camera plebis & camera procerum, ad unum redigenda, multa  
 exoticus deblateravit (quod postulatum nemo sanus reprehenderet) *ut æquali-  
 te,* inquit, *in rem publicam invecta, ad eandem in ecclesiam introducendam procedere-  
 tur;* tunc enim adhuc stabant episcopi: hic nisi sit purus putus Anabaptismus, nihil vi-  
 deo. Quis hoc à Theologo & ministro Gallico sperasset unquam? sanè qui  
 Anabaptismus quid sit, nisi hoc sit, non videt, eum ego crediderim haud magis  
 videre quid sit Baptismus. Sed si res propriis vocabulis appellare malimus, æqua-  
 litas in republica non est Anabaptismus, sed Democratia, longè antiquior; in  
 ecclesia præfertim constituta, est disciplina Apostolica. At enim stabant episco-  
 pi. Fatemur, stabant & Genevæ; cum illa civitas & episcopum & eundem le-  
 gitimum principem religionis causâ expulit; quod illis laudi, cur id nobis probro  
 ducitur? scio quid tibi vis, More, Genevensium suffragia ultum is; quibus  
 dimissus cum ignominia, an ejectus ex illa ecclesia fueris, in dubio est. Te ergo  
 cum Salmasio tuo ab evangelico hoc instituto descivisse, & ad episcopos trans-  
 fugisse, si modo refert quo tu transfugeris, appareat. Deinde ad ministrorum,  
 inquis, nostratum æqualitatem res publica transit, *ut palam sit eundem spiritum tunc  
 vixisse qui octavo demum anno nefando regis parricidio rem peregit.* Ergo idem ut vi-  
 deretur spiritus & ministros constituit vestrates, & parricidium peregit: Perge ut  
 occepisti, quas par est apostatam eructare insanias. Non plures, inquis, tribus  
 libellis supplicibus confecerunt, qui in regem animadverti postulabant. Quod notum est,  
 & ipse memini fallissimum esse. Sanè qui has res apud nos memoriae mandarunt,  
 non tres tantummodo libellos istiusmodi, sed multos ex diversis Angliae provin-  
 ciis, exercitūsque legionibus unius ferè mensis spatio, tres uno die allatos fuisse  
 memorant. Vides quanta cum gravitate hac de re deliberaverit Senatus, cuius  
 cunctationem Populus lenitatis nimiae suspectam tot supplicibus libellis eximen-  
 dam putavit. Quot reris millia hominum fuisse idem sentientium, qui Senatum  
 ad id hortari, quod jam tum serio agitabat vel importunum existimarent vel su-  
 pervacaneum? quorum ex numero & ipse fui, qui tamen quid voluerim obscu-  
 rum non est. Quid si conticuissent omnes rei magnitudine perculsi, eone minùs  
 habuisset Senatus in re tanta quod statueret, expectandusne populi nutus erat,  
 ex quo tantorum exitus consiliorum penderet? enimiverò supremum gentis Con-  
 cilium, ab universo populo ea mente adhibitum, ut impotentem regis domina-  
 tum coerceret, posteaquam efferatum & repugnantem bello cepisset, si recur-  
 rere ad iussa populi deberet, velit jubeatne de captivo hoste supplicium sumi,  
 profecto qui rem publicam fortissimè recuperassent, quid aliud fecisse viderentur  
 quam in laqueos tyranni à populo, si fors ita ferret, absoluti sese præcipites de-  
 disse? aut si accepta maximis de rebus decernendi summa potestate, de iis quæ  
 præfertim vulgi captum superant, non dico ad populum (nam cum hac potesta-  
 te ipsi populus jam sunt) sed ad multitudinem rursus referre cogerentur quæ

imperitiæ suæ, conscientia ad eos prius omnia retulerat, quis ultro citróque referendi finis esset? quis tandem in hoc Euripo consistendi locus? quod firmamentum inter libellos istiusmodi tot capitum levissimum, quæ salus quassatis rebus hominum foret? quid si restituendum regno Carolum postulassent? cujusmodi libellos extitisse aliquot non supplices sed minaces fatendum est feditiosorum hominum, quorum nunc odium, nunc miseratio æquè stulta aut malitiosa esse solebat; horumne ratio habenda fuit? qui *ut cum Rege colloquium institueretur, ingenti, inquis, numero pagis relictis ad Parlamenti fores accurrebant; quorum Senatores, immiso milite, plurimos trucidarunt.* Et Surrienses dicis paganos, qui nescio aliorumne malitia, agrestes ipsi, an sua improbitate impulsi, cum libello supplice bene poti, & comessabundi potius, quam aliquid petituri, per urbem ibant; mox curiae fores facto agmine, ferociter obsederunt; collocatos ibi milites stationibus deturbarunt, unum ad ipsas curiae fores occiderunt, priusquam illos vel dicto vel facto quisquam lacestisset: inde meritò pulsi ac male multati, haud ultra duos tisve occisi, vinolentiam potius quam libertatem spirantes. Passim concedis potiores fuisse Independentium partes, non numero, sed consilio & virtute militari. Unde ego & jure & merito superiores quoque fuisse contendō: nihil enim est naturæ convenientius, nihil justius, nihil humano generi utilius aut melius, quam ut minor majori, non numerus numero, sed virtus virtuti, consilium consilio cedat; qui prudentiâ, qui rerum usu, industriâ, atque virtute pollut, himeâ quidem sententiâ, quantumvis pauci, quantovis numero, plures erunt, & suffragiis ubique potiores. Multa sparsim inseris de *Cromuello*, quæ cujusmodi sint infra videbimus; de reliquis responsum jampridem Salmasio est. Judicium quoque Regis non prætermittis, quamvis & illud à magno tuo rhetore misericiliter sit declamatum. Proceres, id est, Regis purpuratos, & ministros ferè aulicos, à judicando Rege aīs abhoruisse: Nos id parūm referre, altero libro ostendimus. Deinde curiarum judices eraſos; quippe qui responderant esse contra Angliae leges, Regem judicio sibi. Nescio quid tunc responderint, scio quid jam approbent atque defendant: non est novum, Judices, quos minimè decet, meticulosos esse. Præficitur ergo sordide & scelerate curia, par Praeses, obscenissimus & petulantissimus nebulo. Te verò tot vitiis & sceleribus obstrictum, immo meram froucitiem, merum scelus, usque adeo obduxisse menti & sensibus callum, nisi tua mens potius tota callus est, ut in Deum atheus, & sacrorum contaminator, in homines inhumanus, cuiusque optimi calumniator esse ausis, quid aliud est esse quam germanum Iscariotam atq; diabolum? Quamvis autem tua vituperatio laus summa sit, tamen præstantissimo viro cui oblatras, nec non amico mihi semper plurimum colendo, nequam deero; quo minus ab improbissimis perfugarum & Mororum linguis, quas nisi causa reipublicæ nunquam sensissit, vindicem. Est *Ioannes Bradſcius* (quod nomen libertas ipsa, quacunq; gentium colitur, memoriae sempiternæ celebrandum commendavit). nobili familia, ut satis notum est, ortus; unde patriis legibus addiscendis, primam omnem æratem sedulò impendit; dein consultissimus causarum ac disertissimus patronus, libertatis & populi vindex acerimus, & magnis reipublicæ negotiis est adhibitus, & incorrupti Judicis mune- re aliquoties perfunctus: Tandem uti Regis judicio præsidere veller, à Senatu rogatus, provinciam sanè periculissimam non recusavit. Attulerat enim ad legum scientiam ingenium liberale, animum excelsum, mores integros ac nemini obnoxios; unde illud munus omni prope exemplo majus ac formidabilius, tot Sicariorum pugionibus ac minis pétitus, ita constanter, ita graviter, tanta animi cum præsentia ac dignitate gessit atq; implevit, ut ad hoc ipsum opus, quod jam olim Deus edendum in hoc populo mirabili providentia decreverat, ab ipso Numine designatus atque factus videretur; & Tyrannicidarum omnium gloriam tantum superaverit, quanto est humanius, quanto justius, ac majestate plenus, Tyrannum judicare, quam injudicatum occidere. Alioqui nec tristis, nec severus, sed comis ac placidus, personam tamen quam suscepit tantam, æqualis ubique sibi, ac veluti consul non unius anni, pari gravitate sustinet: ut non de tribunali tantum, sed per omnem vitam judicare Regem diceret. In consiliis ac laboribus publicis maximè omnium indefessus, multisque par unus; domi, si quis alius, pro suis facultatibus hospitalis ac splendidus, amicus longè fidelissimus, atque in omni fortuna certissimus, bene merentes quoscunque nemo citius aut licentius agnoscit, neque majore benevolentia prosequitur; nunc pios, nunc doctos, aut quavis ingenii laude cognitos, nunc militares etiam & fortes viros ad inopiam redactos suis opibus sublevat; iis si non indigent, colit tamen libens atque

que amplectitur; alienas laudes perpetuò prædicare, suas tacere solitus; hostium quoque civilium, si quis ad sanitatem rediit, quod experti sunt plurimi, nemo ignoscentior. Quòd si causa oppressi cujuspiam defendenda palam, si gratia aut vis potentiorum oppugnanda, si in quenquam bene meritum, ingratitudo publica objurganda sit, tum quidem in illo viro, vel facundiam vel constantiam nemo desideret, non patronum, non amicum, vel idoneum magis & intrepidum, vel disertorem alium quisquam sibi optet; habet, quem non minæ dimovere recto, non metus aut munera proposito bono atque officio, vultusque ac mentis firmissimo statu dejicere valeant. Quibus virtutibus, & plerisque merito charus, & inimicissimis non contemnendus, gestarum egregiè rerum in republica laudem, dirupto te, More, tuique similibus, apud omnes tum exteros tum posteros, in omne ævum propagabit. Sed pergendum, Rex capite damnatus est: *contra hanc vesaniam Londini pulpita fere omnia detonare.* Ligneo isto tonitru haud multum terres; istos Salmoneas nihil veremur, qui fictitium illud fulmen & arrogatum sibi, aliquando luent; graves profectò authores & sinceri, qui paulò ante ex iisdem pulpitibus contra Pluralistas & Nonresidentes strepitu & que horribili detonabant; paulò post, raptis hic sibi ternis, ille quaternis Prælatorum sacerdotiis, quos tonando abegerant, atque inde nonresidentes necessariò saëti, eodem ipsi criminè tenebantur in quod detonabant, & sui quisque tonitrus bidental factus est: neque ullus adhuc pudor; nunc in vendicandis sibi decimis toti sunt; & sanè si decimarum tanta sitis est, censeo affatim decimandos: non terræ fructus tantum, sed & maris fluctus sibi habeant decumanos. Idem primò bellum suadebant in Regem, ut in hostem exitio devotum; mox capto hosti, & imputatae à semetipsis toties cædis ac sanguinis effusi damnato, parci volebunt utpote regi. Ita in pulpitibus tanquam in taberna quadam meritoria, quæ volunt mercimonia, quæ volunt scruta, vendunt popello; & quod miserius est, quæ jam vendidere, quoties volunt reposcunt. At *Scoti regem sibi reddi flagitabant, commeniorant Senatus missa quando Anglis regem tradiderant.* Atqui ego vel Scotos etiam fatentes habeo, nulla omnino missa publica intercessisse, cum rex traderetur; & turpe sanè fuisse Anglis, regem suum à Scottis in Anglia conductitiis, reddendum non fuisse nisi per conditiones: quid? quod ipsa Parlamenti responsio ad Scotorum cartulas Id. Mart. 1647. edita, ullam hac de re interpositam ab se fidem, quo pacto rex tractandus esset, dilucidè negat; indignum quippe censuisse, non nisi eâ lege sua jura obtineri à Scottis potuisse. Artamen regem reddi sibi flagitabant. Mites, credo, homines frangebantur animo, desiderium sui regis ferre diutius non poterant: immoverò iisdem illi, cum ab initio horum in Britannia motuum, de jure regio haud semel in Parlamento retulissent, essetque ab omnibus assensum, ob tres maximè causas regem privari regno posse, si tyrannus existat, si fundum regium alienet, si suos defesarat, circa annum 1645. Parlamento Perthæ habito sententias rogare cæperunt, sicne rex quem sanctis infestum esse constet, communione ecclesiae interdicendus? verum antequam ea de re quicquam decerneretur, Montrossius ad eam urbem cum copiis accedens conventum disturbavit. Idem in suo quodam ad Cromuellum Imperatorem responso, An. 1650. fatentur punitum jure regem, juris tantummodo formam fuisse vitiosam, eo quòd ipsi in illius judicij consortium non vocarentur. Hoc ergo facinus sine illis atroc, cum illis egregium fuisse; ex eorum quippe nutu fas atque nefas pendebat, justum atque injustum definendum erat: quid isti, obsecro, rege sibi reddito lenius in eum statuissent? At *Delegati Scotti à Senatu Anglico responsum hoc prius tulerant, nolle se regni Anglicani formam immutare, postea tamen respondere se tunc noluisse, nunc velle, prout salus reipublicæ postularet.* Et rectè quidem responderunt: quid tu hinc? *hic stropha,* inquis, *omnia fædera, commercium, ipsumque sensum communem everit.* Tuum quidem evertit, qui nescis inter libera missa, & pactam fæderis fidem quid intersit: Angli de forma reipublicæ suæ futura, cuius rationem Scottis reddere necesse non erat, quod tum ipsis videbatur, liberè quidem respondent; nunc salus reipublicæ aliud suadebat; si fidem, si jusjurandum populo datum violare nollent. Utrum sanctius obligare putas, liberumne de forma reipublicæ futura datum Scotticis legatis responsum, an necessarium de salute reipublicæ procuranda datum suo populo jusjurandum & sumnam fidem? Licere autem Parlamento vel Senatui, prout expedit, consilia mutare, quoniam quicquid nos affirmamus, anabaptisticum tibi est & monstruosum, malo ex Cicerone audias pro Plancio. Stare omnes debemus tanquam in orbe aliquo reipublicæ; qui quoniam verterur;

setur, eam deligere partem debemus, ad quam nos illius utilitas salūsq; converterit. Et statim. Neq; enim inconstantis puto, sententiam, tanquam aliquod navigium atq; cursum, ex reipublicæ tempestate moderari. Ego verò hæc didici, hæc vidi, hæc scripta legi, hæc de sapientissimis & clarissimis viris & in hac republika, & in aliis civitatibus monumenta nobis literæ prodiderunt, non semper easdem sententias, ab iisdem, sed quascunq; Reipublicæ status, inclinatio temporum, ratio concordia postularet, esse defendendas. Hæc Marcus Tullius: sed tu, More, Hortensium mavis; hæc illæ ætates quæ civili maximè prudentiâ floruerunt; quæ si sequuntur anabaptistæ, meâ quidem sententiâ sapiunt. Quàm multa alia possem proferre, quæ à ministerculis hisce & suo Salmasio, si res non verba spectemus, planè indocto, pro anabaptisticis dominantur. At nihilo, inquis, plus potuerant potentissimi Belgii fœderati ordines, qui per oratores suos & prece & pretio oblato strenue allaborarunt sacram Regis caput redimere. Velle prosectori justitiam sic redimere, idem erat atque regem salvum nolle: verùm didicerunt, non omnes esse mercatores; non adeò vendacem esse Senatum Anglicanum. Quod autem ad judicium regis, ut plurima, inquis, Christo similia Carolus pateretur, milites in eum ingeminant ludibria. Plura quidem passus est similia Christus maleficiis, quàm Carolus Christo; & multa istiusmodi jactabantur vulgo ab iis quibus ad invidiam facti majorem excitandam, quidvis fingere aut si-  
 etum reserre studium erat: Fac tamen gregarios milites insolentius se gessisse; non id continuò in causam est conferendum. Maestatum vero esse quempiam ad pedes regis prætereuntis, appreçantem in Deus ejus misereretur, nec antea audivi unquam, nec convenire quenquam adhuc potui qui audivisset: quin immo tribunum ipsum, qui toto illius judicii tempore custodiis præsuit, regisque à latere vix discessit, interrogandum hac de re curavi: is denique nec audisse se hoc ante, & pro certo scire fallissimum id esse, constanter asseverabat. Ex quo intelligi potest tuarum narrationum fides, etiam in reliquis quàm firma sit. Nam in benevolentia quoque & adoratione, si posses, Carolo post mortem procuranda, quàm in odio nobis vel iniquissimè conflando haud multo veracior invenieris. Auditum, ais, fuisse Regem in fatali pegmate episcopo Londinensi ingeminantem, memento, memento. Id regis Judices anxios nempe habuit, quid illa ultimum iterata vox sibi voluisset; accersitur, ut ais, episcopus, & illud geminum memento quid sibi quæsivisset, additis minis, enuntiare jubetur. Is primò (sic enim fingi expediebat) ex composito nimirum delicias fecit, &, quasi arcanum quoddam, prodere recusavit. Cum illi vehementius instarent, id quasi metu sibi expressum, & nolenti extortum, ægrè tandem edidit, quod re vera quovis pretio divulgatum veller; füsserat me, inquiens, rex, ut si possem ad filium pervenire, hoc supremum morientis patris mandatum ad eum perferrem, ut regno & potestati sue restitutus, vobis sua necis authoribus ignosceret: hoc me meminisse, rex iterum atque iterum jussit. O magis, régémne dicam pietatis, an episcopum rimarum plenum! qui rem tam secreto in pegmate suæ fidei commissari ut effuriret, tam facile expugnari potuit. At o taciturne! jampridem Carolus hoc idem inter alia præcepta filio mandaverat: in illa Icone Basilica; quem librum ideo scriptum fatis appareret, ut omni cum diligentia nobis vel invitis secretum illud, qua ostentatione simulatum erat, eadem paulo post evulgaretur. Sed video planè decrevisse vos Carolum quendam absolutissimum, si non Stuartum hunc, at saltem hyperboreum aliquem & fabulosum, fucatis quibuslibet coloribus depictum, imperitis rerum obtrudere: ita fabellam hanc velut acroama quoddam, diverbiis & sententiolis pulchrè distinctum, nescio quem ethologum imitatus, ad inescandas vulgi aures putidè concinnasti. Ego verò, ut non negaverim interrogatum fortasse obiter ab uno vel altero confessorum hac de re episcopum, ita accersitum, dedita opera vel à concilio vel ab illo judicium collegio, quasi id omnes curassent, aut sollicitè quæsivissent non comperio. Sed deimus inde quæ vis: dederit in pegmate suprema hæc episcopo mandata, ut suæ necis authoribus ignosceretur, perferenda ad filium Carolus: quid tam egregium aut singulare præter cæteros eo loci deductos fecit? quotusquisq; est morientum in pegmate, qui peracturus jam vitæ fabulam, cùm hæc mortalia quàm vana sint videt, non idem faciat; & inimicitias, iras, odia, tanquam ex scena quadam jam exiturus, libens non deponat, aut saltem simulet, ut vel misericordiam, vel innocentiae opinionem suæ in animis hominum relinquat? Simulasse Carolum, neque unquam ex animo, & sincero mentis proposito tale mandatum dedisse filio, ut suæ necis authoribus ignosceret, vel si hoc palam, aliud tamen clanculum mandasse,

mandâsse, argumentis non levibus demonstrari potest: nam filius, alioqui plus satis patri obsequens, patris gravissimo atque ultimo præcepto tam religiosè sibi per episcopum tradito, haud dubiè parvissit: qui autem paruit, cuius vel iusli vel authoritate duo Legati nostri, alter in Hollandia, alter in Hispania, & hic ne suipitione quidem ulla regiae necis reus, trucidati sunt? qui denique haud semel scripto publico edixit atque omnibus palam fecit, se nolle patris sui interfectoribus ullo pacto veniam concedere? Hanc igitur narratiunculam tuam vide an veram esse velis; quæ quo magis collaudat patrem, eo magis vituperat filium. Nunc instituti oblitus, non regii sanguinis ad cœlum, sed populi ad Senatum clamores ementiris, odiosissimus post Salmasium in republica aliena pragmaticus & ardelio, qui tam fœdè præsertim res tuas domi agas. Tuâne voce, impurissime, populus pro se utatur, cuius halitum ipsum oris lue venerea foetidum, purus omnis aversaretur? tu veò perfugarum ac perditorum voces populo attribuis; & quod agyrta peregrinus ad coronam solet, vilissimorum duntaxat animalium voces imitaris. Quis autem negat ea posse tempora saepius accidere, in quib' us civium longè major numerus improborum sit; qui Catilinam vel Antonium, quam saniorem senatus partem sequi malint; neque idcirco boni cives obniti contra, & fortiter facere non debebunt, sui magis officii, quam paucitatis rationem ducentes: tuam ergo tam bellam pro nostro populo oratiunculam, ne charta omnino pereat, in annales Volusi suadeo inseras; nobis rhetorculo tam hircolo atque olico, non est usus. Dehinc injuriarum in ecclesiam postulamur. *Exercitus est omnium hæresēs terna.* Qui non maledicunt, exercitum nostrum ut fortissimum, ita modestissimum ac religiosissimum esse confitentur: aliis in castris ferè potatur, variis libidinibus indulgetur, rapitur, aleâ luditur, juratur & perjuratur; in his nostris quod datur otii, disquirendæ veritati impenditur, sacræ Scripturæ invigilatur; nec quisquam pulchrius existimat hostem ferire, quam se atque alias coelestium cognitione rerum erudire, aut bellicam magis quam evangelicam militiam exercere. Et sancte si proprium belli usum consideramus, quid aliud magis deceat milites? qui ideo constituti sunt atque conscripti, ut essent legum defensores, paludati justitiæ satellites, ecclesiæ propugnatores: quid illis, non ferocius aut truculentius, sed civilius aut humanius esse oporteat? qui non bellum ferere ac metere, sed pacem & incolumitatem humano generi arare, vero ac proprio fine laborum suorum debent. Quid siquos ad hæc præclara, instituta aspirantes vel alienus error, vel sua animi infirmitas transversos abducit, in eos, non ferro sœvendum, sed rationibus ac monitis precibus quoque ad Deum fusis enitendum, cuius est solius omnes animo errores dispellere, & coelestem veritatis lucem, cui volet impertire. Hæreses quidem, sic verè dictas, nos nullas approbamus, ne omnes quidem toleramus; extirpatas etiam volumus, sed quibus convenit modis, præceptis nimirum & saniore doctrina, ut in mente sitas, non ferro ac flagris quasi ex corpore evellendas. Altera, inquis, par nostra injuria est in temporali, quod vocant, ecclesiæ fundo. Percontare Belgas vel etiam Germaniæ superioris potestantes, numquid ab ecclesiæ bonis abstinuerint; in quos Cæsar Austriacus quoties bellum movet, vix alium querit belli titulum, quam ut bona ecclesiæ restitui jubeat. Verum illa profectò non ecclesiæ, sed ecclesiasticorum duntaxat bona suere, qui hoc maximè sensu clericu, vel etiam holoclerici, ut qui sortem totam invalidissent, rectius nominari poterant; immo lupi verius plerique eorum, quam aliud quidvis erant dicendi; luporum autem bona, vel congestas potius prædas majorum ex superstitione partas, quam per tot sæcula questui habuerunt, in usus transferre belli à semetipsis constati, nefas non erat, quando aliud non erat reliquum, unde sumptus belli tam gravis ac diuturni suppeterent. Atq; ii expectabatur, ut episcopis erectæ opes in pastores ecclesiæ erogarentur. Expectabant, scio, illi, & avebant omnia in se transfundi: nulla enim est vorago tam profunda, que non expleri citius quam clericorum avaritia possit. Aliis fortasse in locis, haud æquè ministris provisum; nostris jam satis superque bene erat; oves potius appellandi quam pastores, pascuntur magis quam pascunt; pinguia illis plerumque omnia, ne ingenio quidem excepto; decimis enim saginantur, improbatō ab aliis omnibus ecclesiis more; Deoque sic diffidunt, ut eas malint per magistratum atque per vim suis gregibus extorquere, quam vel divinæ providentiæ, vel ecclesiæ benevolentia & gratitudini debere; atque inter hæc tamen & apud discipulos & apud discipulas, tam crebrò convivantur, ut quid domicœnum sit, aut domiprandium penè nesciant: hinc itaque luxuriant plerique,

plerique, non egent ; liberique eorum & conjuges luxu & lauitiis, cum dicitum liberis atque conjugibus certant : hanc novis latifundiis ad auxilium luxuriam, idem prorsus suisset, ac si quis novum venenum ( quam olim pestem sub Constantino vox missa coelitus, deflavit ) in ecclesiam infudisset. Proximum est ut de injuriis in Deum, quarum tres maximè nominantur, de fiducia nimirum divinæ opis, *de precibus etiam atque jejuniis*, reddenda nobis ratio sit. Verùm ex ore tuo, hominum corruptissime, te redarguo ; illudque Apostoli abs te prolatum in te retorquo, *Quis es tu qui alienam servam judicas?* coram Domino nostro sine stemus vel cadamus. Illud insuper addam Davidis prophetæ, *Cum flens affligo jejunio animam meam, tum hoc vertitur in summum probrum mihi.* Cæteras hac de re tuas garritiones febriculosa, quas nemo bis legat, minutim persequi si vellem, haud leviū profectò ipse peccem. Nec minus aliena sunt quæ de successibus prolixè oscitas : *Cave tibi, More, & vide, ne post Pontianos sudores, gravedinem forte contraxeris aut polypum ; metuendum, ne, ut Salmasius ille magnus nuper, Thermas refrigeres.* Evidem de successu sic paucis respondeo ; causam successu neque probari bonam, neque argui malam : nos causam nostram non ex eventu, sed eventum ex causa judicari postulamus. Jam rationes politicas desumis tibi tractandas, mancipium cathedralium, immo cathedralitum ; injurias nimirum nostras, in omnes reges ac populos. Quas ? nobis enim nihil tale propositum erat ; res nostras tantummodo egiimus, aliorum missas fecimus ; siquid ad vicinos ab exemplo nostro boni redundavit, haud invidemus ; si quid fecūs non nostrā id culpā, sed abutentium evenire credimus. Reges aut populi, te Balatronem suarum injuriarum interpretem, quinam tandem constituerunt? certè oratores eorum ac legatos, alii in Senatu, ipse in concilio cum audierentur sèpè audivi non solum de suis injuriis nihil querentes, sed amicitiam nostram ac societatem ultrò petentes ; quinetiam regum suorum ac principum nomine, de rebus nostris nobis gratulantes, etiam bene precantes, pacem ac dulcitudinem, atque eosdem felices successus, in perpetuum exoptantes. Non inimicorum hæc voces, non eorum qui odissent, ut tu prædicas ; aut tu mendacii, quod in te levissimum est, aut reges ipsi fraudum ac malarum artium, quod illis in honestissimum foret, damnentur necesse est. Verùm scripta nostra objectas confitentium, *Dedisse nos exemplum populis omnibus salutare, tyranni omnibus formidandum.* Immane crimen profectò narras ; idem ferè atque si dixisset quispiam,

*Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.*

Numquid dici potuit perniciösius? hæc Cromwellius ad Scotos post Dumbarrense prælium scripsit. Et se quidem & illa nobili victoria dignè. Ejusmodi sesamo & papavero conspersæ sunt infames Miltoni paginae. Illustrem tu quidem collegam semper mihi adjungis, & in hoc facinore parem planè facis, nonnunquam & superiorem ; quo ego nomine cohonestari me maximè abs te putem, siquid à te honestum posset proficisci. *Cremata vero, inquis, sunt ista pagina à carnifice Parisensi supremi Senatus autoritate.* Nequaquam id compéri à Senatu factum, sed ab officiario quodam urbico, locotenente civili nescio an incivili, cui clerici quidam, ignavissima animalia, authores fuere ; tam ex dissito atque longinquo, abdomini suo, quod aliquando precor evenire possit, augurantes. Cenies non potuisse nos vicissim Salmasii defensionem regiam crematæ ? potuisse sane vel ipse à magistratibus nostris hoc facile impetrasse, nisi illam contumeliam contemptu potius ulciscendam existimatæ : Vos ignem igne properantes extinguere, Herculeum præbuisti rogam, unde clarior exurgerem ; nos consulitus, Defensionis Regiae frigus calfaciendum non censuimus. Illud miror, tam esse Majorum dissimiles factos Tolosates ( nam & Tolosæ combustos nos accepimus ) ut qua in urbe sub Raimundis comitibus, & libertas & religio defensa olim tam insigniter est, in ea nunc & libertatis & religionis Defensio combureretur. Utinam & Scriptor, inquis. Itane ergastulum ? at ego parem ne reddam tibi salutem. More, tu egregie cavisti ; ut qui nigroribus multò ignibus jamdudum pereas : urunt te adulteria tua, urunt stupra, urunt perjuria, quorum ope despontatam tibi stupro scœminam perfidus excussisti ; urunt perditissimi furores, qui impulerunt te, ut sancta munia facinorosus concupisceres & imperspectum Domini corpus incestis manibus sacerdos pollueres ; sanctitatem etiam simulans, in sanctitatis simulators, c. a omnia hoc tuo clamore denunciares ; tuumque execrabile caput, ruamet ipsius damnatum sententia irretires : his tu sceleribus & intamiis totus flagras,

flagras, his tu summis furialibus dies atque noctes torris, dásque nobis pœnas quibus graviores imprecari tibi nullus hostis potest. Me interim concremationes vestræ non laedunt, non tangunt, & istis ignominiis habeo complura quæ opponam grata meo animo atque jucundâ. Una me curia, unus fortè lictor Parisiensis, malarum avium impulsu, combussit; at quamplurimi per totam Galliam viri boni atque docti nihilo minus legunt, approbant, amplectuntur? quamplurimi per immensum Germaniæ totius tractum, libertatis ferè domicilium, per cæteras quoque regiones, quâcunque ejus vestigia ulla adhuc manent; quin & ipsa Græcia, ipsæ Athenæ Atticæ, quasi jam redivivæ, nobilissimi alumni sui Philaræ voce, applausere. Hoc etiam verè possum dicere, quo primùm tempore nostra Defensio est edita, & legentium studia incaluere, nullum vel principis vel civitatis legatum in urbe tum fuisse, qui non vel fortè obvio mihi gratularetur, vel conventum apud se cuperet vel domi inviseret. Tuos verò nefas sit præterire manes, Adriane Pauui, qui legatus ad nos summo cum honore missus, Hollandiæ decus atque ornamentum, summam in me ac singularem benevolentiam tuam, etiamsi videre nunquam contigerit, multis sæpè nuntiis significandam curasti. Hoc verò etiam sæpius recolere memoria juvat, quod sine Dei propitio numine accidere arbitror nunquam potuisse; mihi, qui contra reges, ut videbatur, scribleram, majestatem ipsam regiam placidè annuisse; meaque integrati, nec non sententiæ, ut veriori, testimonium divino proximum perhibuisse. Quid enim verear hoc dicere, quoties augustissimam reginam illam, quantis cum laudibus in ore omnium verletur, mecum cogito. Evidem Atheniensem illum sapientissimum, cui me tamen non confero, ne ipsius quidem Pythii testimonio, quâm me illius judicio ornatiorem existimem. Quod si mihi quidem hæc scribere adolescenti contigisset, & oratoribus idem quod poetis liceret, haud dubitassem profectò sortem meam deorum sorti non nullorum anteferre: quippe illos de forma duntaxat aut de musica, Deos, humano sub judge, contendisse; me hominem in certamine longè omnium præclarissimo, deâ judge, superiorem discessisse. Sic me cohonestatum, nemo nisi carni-fex ignominiosè audeat tractare, tam qui jusslerit quâm qui fecerit. Hic vehe-menter laboras, ut ne facta nostra Belgicorum pro libertate facinorum exemplo tueri queamus; quod à Salmasio quoque frustra laboratum est: cui quod tunc respondi, idem tibi nunc responsum volo; Falli qui nos opinatur cujusquam exemplo nisi; Belgarum pro libertate facinora adjuvisse sæpius ac sovisse, æmu-lari necesse nunquam habuisse; siquid pro libertate fortiter faciendum est, authores ipsi nobis sumus, præire, non sequi alios assueti. Tu verò etiam ad bellum contra nos tressis orator, stultissimis argumentis, & te verberone dignis, Gallos hortaris: *Nostros, inquis, legatos excipere Gallicus spiritus nunquam susti-nabit.* Sustinuit quod plus est, suos jam ter & amplius ad nos ultrò mit-tere: Galli igitur generosi, ut solent, tu degener & spurius, politicarum rationum rudis ac falsus reprehenderis. Hinc id agis ut demonstres, à fœderatis ordinibus ex composito rem in longum duci, eosque nobiscum nec fœdus nec bellum velle. Atqui interest profectò ipsorum ordinum, non pati consilia sua sic nudari, & ut ita dicam, vitiari à Genevense perfuga apud se stabulante, qui si diutiū tolle-retur, non ancillis modò, sed consiliis etiam publicis stuprum videretur illatus; cùm ipsi fraterna atque sincera omnia præ se ferant; nunc pacem, quæ vota sunt bonorum omnium, perpetuam nobiscum redintegraverint. *Jucundum erat,* inquit, *videre quibus ludibriis, quibus periculis furciferi illi legati, Anglorum scilicet, quotidie conflitarentur, non modo ab Anglis regiis, &c. sed maxime omnium à Batavis.* Nisi exploratum nobis jam diu esset quibusnam & prioris legati Dorislawi caedes, & duorum postea acceptæ injuriae referendæ sint, en delatorem, qui hospites & altores suos etiam falso deferat: Hunccine apud vos, Batavi, non modò venere-um in ecclesia ministrum, sed sanguinarium etiam, nec violandi solum juris omnis hortatorem, sed violati quoque falso indicem ac proditorem ali?

Ultimus accusationum titulus est *nossa injuria in Reformatas ecclesias.* At verò quî magis nostra in illas quâm illarum in nos? si exemplo instes, certè si ab ipsis Valdensibus & Tolosanis, ad Rupellanam usque famem monumenta repetas, nos omnium ecclesiarum ultimi reperiemur contra tyrannos arma sump-sisse. At primi capite damnasse. Sanè quia nobis hoc primis in manu adhuc fuit: quid illi, si data similis facultas fuisset, fuissent facturi, opinor ne ipsos quidem satis nōsse. Evidem in ea sum sententia, contra quem bellum gerimus, eum, si quis rationis aut judicii usus sit, hostem à nobis judicari; hostem autem tam interficere quâm oppugnare, eodem semper jure licuisse: Tyrannus

igitur cum non noster solùm, sed totius propè generis humani publicus hostis sit, eum quo jure armis oppugnari, eodem posse & interfici. Nec verò hæc mea unius sententia est, aut nova, eadem & aliis olim sive prudentia sive sensus communis dictavit. Hinc pro Rabirio M. Tullius : *Si interfici Saturninum nefas fuit, arma sumpta esse contra Saturninum sine scelere non possunt; si arma jure sumpta concedis, interficere jure concedas necesse est.* Plura hac de re & supra dixi, & sèpè alias, & per se res obscura non est : Ex quibus quid Galli etiā, eadem data occasione fuissent facturi, ipse queas divinare. Addo & hoc amplius, quicunque armis tyrannum oppugnant, iidem, quantum in se est, & interficiunt: immo, quicquid vel sibi vel aliis inepte satis persuadere cupiunt, jam interfecere. Sed & doctrina hæc nobis haud magis quam Gallis, quos tu hoc piaculo cupis eximere, debetur : unde enim Francogallia illa, nisi ex Gallia, unde vindicat contra tyrannos? qui liber etiam Bezzæ vulgo tribuitur; undè alii quorum meminit Thuanus? tu tamen, quasi ego solus, *id satagit,* inquis, *Miltonus,* cuius ego piacularē vesaniam pro meritis excipissim. Tu excipilles, furcifer? cuius nefaria flagitia si ecclesia illa Middleburgensis, te pastore infamis & infelix, pro meritis excipisset, jamdudum te Satanae mandasset; si pro meritis excipisset magistratus, jamdudum adulteria patibulo pendens luisset: Et luiturus propediem sane videris; evigilavit enim, ut audeo nuper, tua illa ecclesia Middleburgensis, suæque famæ consuluit, téque capiimulgum pastorem, immo hircum potius olentissimum ablegavit ab se in malam crucem; hinc & magistratus Amsterodamensis pulpitum quoque interdixit tibi, orchestram tuam; tuumque illud os impudicum eo ex loco ad summam omnium bonorum offensionem conspici, illam impiam vocem vevit in sacro publicè audiri: restat jam tibi sola Gracarum literarum professio; & hæc quoque brevi eripienda, præter unam illam literam, cuius non professor, sed discipulus mox pensilis meritò futurus es. Neque hæc iratus tibi ominor, sed duntaxat jus dico: maledicis enim tantum abest ut talibus offendamur qualis tu es, ut tales semper nobis vel exoptemus; immo divinâ planâ benevolentâ fieri arbitremur, ut qui in nos acerriè clamitarunt, tales potissimum semper extiterint; qui maledicendo non infamant, sed honestant, sed laudent, nam laudando certè maledixissent. Sed irruentem modò quid te retinuit tam fortè homuncionem? *Nisi mihi,* inquis, *religio fuisse in magni Salmassi provinciam excurrere, cui solida de magno scilicet adversario victoria relinquatur.* Siquidem & ille & ego nunc magnus tibi video, eo difficilior provincia, præsertim mortuo, fortassis ero; de victoria, modò veritas vincat, parum sollicitus. Interim tu clamitas; parricidium in doctrinam veritant, eamque reformatarum ecclesiarum consensione cupiunt quidem, non quidem aperto ore defendere; fuit, inquit Miltonus, etiam summorum hæc sententia Theologorum, qui ipsi reformatæ ecclesiæ authores fuere. Fuit, inquam, & id fusiū docui in eo libro qui nostro idiomate Tenor sive Tenura regum & magistrorum inscriptus est, secundum editus, & alibi: nunc actum toties, agendi fastidium cepit: illic ex Luthero, Zuinglio, Calvino, Bucero, Martyre, Parao, citantur ipsa verbatim loca; ex illo denique Cnoxo, quem *unum,* me, Scotum aī innuere, quemque hac in re reformatos omnes, præsertim Gallos, illa atate condemnasse. Atqui ille contrà, quod ibi narratur, se illam doctrinam nominatim à Calvino, summisque aliis ea tempestate theologis, quibuscum familiariter consueverat, haulisse affirmat: plura etiam illic nostrorum, regnante Maria & Elizabethâ, sincerorum theologorum in eandem sententiam deponstra reperies. Tu verò tandem conceptis ad Deum precibus male prolixis peroras impius abominandis; & os illud adulterum, obduratus cœlo offers: sino te facile, neque interpollo; major enim cumulus ad impietatem tuam accedere non potuit. Revertor nunc ad id quod supra pollicitus sum, & objecta Cromuello præcipua crimina quæ sunt, in medio hic ponam; ut sparsa quam fuerint levii possit intelligi, quæ collecta nullum pondus in se habent. *Coram pluribus testibus pronunciavit sibi in animo esse, monarchias omnes evertere, reges omnes exitio dare.* Quæ tua sit narrationum fides, jam aliquoties vidimus; dixit fortasse tibi persugarum aliquis Cromuellum ita dixisse: ex illis multis testibus nullum nominas: quod itaque sine authore maledicis, suopte virtio ruit. Non is est Cromuellus, quem de suis jam factis ullus unquam vaniloquum audierit; tantum abest ut infecta quæ sunt, tamque difficultia, de iis insoleatis quicquam promittere ac minitari consueverit: sanè ista tibi qui narrarunt, nisi voluntate atque natura magis quam consilio mendaces essent, hoc saltem quod ab ingenio ejus alienissimum est, non affinxissent. Regibus autem, quos ut sibi caveant frequenter mones, licebit

cum saluti prospexerint suæ, spredo te monitore tam imperito, non sermunculos ex trivio arripere, sed rationes se dignas inire, quibus quid sua intersit facilius perspexerint. Alterum est crimen persuasisse regi Cromuellum, *ut in insulam Vectim clanculum se subducere*. Constat regem Carolum rem tuam multis alias rebus, ter fuga perdidisse; primùm cum Londino Eboracum fugit, deinde cum ad Scotos in Anglia conductios, postremò cum ad insulam Vectim. At hujus postremæ suasor erat Cromuellus. Optime; sed tamen ego regios illos primum miror, qui Carolum toties affirmare non dubitant fuisse prudentissimum, & eundem simul vix unquam suæ sponte; sive apud amicos sive inimicos, in aula vel in castris, in aliena ferè potestate semper fuisse; nunc uxoris, nunc episcoporum, nunc purpuratorum, nunc militum, denique hostium; pejora plerūque consilia, & pejorum fermè sequutum; Carolo persuadetur, Carolo imponitur, Carolo illuditur, metus incutitur, spes vana ostenditur, velut præda omnium communis, tam amicorum quam hostium, agitur & fertur Carolus. Aut hæc è scriptis suis tollant, aut sagacitatem Caroli prædicare desistant. Fateor deinde, quamvis prudentia atq; consilio præstare pulcrum sit, tamen ubi res publica factionibus laborat, suis incommodis haud carere; & consultissimum quemq; eo magis obnoxium calumniis utriusq; partis reddere: hoc sæpe Cromuello obfuit; hinc presbyteriani, inde hostes quicquid in se durius fieri putant, non id communi Senatus consilio, sed Cromuello foli imputant; immo siquid per imprudentiam ipsi malè gerunt, id dolis & fraudibus Cromuelli assignare non erubescunt; culpa omnis in eum derivatur, omnis in eum faba cuditur. Et tamen certissimum est, fugam ad Vectim regis Caroli, absenti tum aliquot millibus passuum Cromuello, tam novum accidisse & inopinatum, quam cuilibet ex Senatu tum in vrbe versanti, quem ut de re inopinatissima sibi recens allata per literas certiorem fecit. Res autem ita se habuit; exercitus universi vocibus rex territus, qui eum nullis officiis suis aut pollicitis factum meliorem, ad supplicium poscere jam tunc cooperat, statuit cum duobus tantummodo consciis nocturnâ fugâ sibi consulere: verùm fugiendi certior, quam quo sugeret, per comitum suorum vel imperitiam vel timiditatem, inops consilii quo se reciperet, Hammundo Vectis insulæ præsidi se ultro dedidit; ea spe, facilem sibi ex ea insula, parato clam navigio, transiit in Galliam aut in Belgiam fore. Hæc ego de fuga regis in Vectim ex iis compperi, quibus rem totam pernoscendi quam proxima facultas erat. Sed & hoc quoque criminosum est, quod per Cromuellum, *Angli ingentem de Scotis parti sunt victoriam*. Non parti sunt, More, sed sine sociâ claram sibi pepererunt; tu verò cogita, quam Scotis cruentum illud prælium fuerit, cuius tu mentionem tantummodo facere nequivisti, quin instabile præ metu professorium caput tuum ad Prisciani pluteum nutando allideres. Sed videamus porro quantum flagitium Cromuelli fuerit, Scotos irrumpentes, imperium sioi in Anglos jam pollicentes, nobilissimo post multas ætates prælio viciisse. *Inter has turbas, dum Cromuellus cum exercitu abest*: Immò dum hostem in Angliæ viscera jam progressum, jam Parlamento ipsi imminentem Cromuellus etiam deficientes Cambros ad fidem reducendo, & obsidione longa defessus, ut vidit, ut vicit, ut gloriissimè fudit, Presbyterianos tandem Cromuelli ceperrat: Hic verum dicis; dum is communem hostem cum vitæ discrimine propulsat, hi militantem pro fœse & in acie fortiter dimicantem confictis criminibus accusant domini; & Huntingtonum centurionem quendam in ejus caput subornant. Quis tantæ ingratitudinis foeditatem sine fremitu vel audire poslit? Eorundem instinctu, nequissimum genus homuncionum ac petulantissimum, tyrones tabernarum maximo numero curiæ fores obsident; Senatum, quicquid ipsis videtur (quo quid indignius?) clamore suo ac minis cogunt decernere: jāmque reducem à Scotis viatorem fortissimum, aut exulantem, aut poenas indignissimas dantem vidissemus Camillum nostrum; nisi Fairfaxius imperator, invictissimi Legati sui tantum dedecus perferendum non sensuisset; nisi cunctus exercitus, & is quoque satis ingrati habitus, tam atrocia prohibuisset. Urbem itaque ingressus urbicos nullo negotio repressit; Scotorum hostium partibus addicatos merito Senatu movit: pars reliqua insolentiis tabernariorum jam liberata, colloquium Vectense contra Senatus consultum edictumque publicum, cum regre initum rescindit: Huntingtonus autem ille accusator, impunis & sui juris relietus, tandem poenitentiâ ductus, ipse sua sponte à Cromuello veniam petiit, & à quibus esset subornatus ultro fassus est. Hæc ferè sunt que fortissimo patriæ liberatori, nisi ad quæ supra respondi, crimina objiciuntur; quæ quid va-

leant videtis. Verum ego tantum virum, deque hac republica tam insignitè meritum, si duntaxat nihil mali commississe defendam, nihil egero; cum præsertim non reipublicæ solum, sed & mea quoque intersit, ut qui eadem infamia tam prope sim conjunctus, quam optimum eum, atque omni laude dignissimum, gentibus, quoad possum, omnibus atque saculis demonstrare. Est Oliverius Cromwellus genere nobili atque illustri ortus: nomen republica olim sub regibus benè administrata clarum, religione simul orthodoxa vel restituta tum primùm apud nos vel stabilita clarius: Is matura jam atq; firmata ætate, quam & privatus traduxit, nulla re magis quam religionis cultu purioris, & integritate vitæ cognitus, domi in occulto creverat; & ad summa quæque tempora fiduciam Deo fretam & ingentem animum tacito pectore aluerat. Parlamento ab rege ultimum convocato, sui municipii suffragiis electus Senatorium munus obtinuit; illic rectissimis sententiis consiliisque summissimis statim innotuit: Ubi ad arma deuentum est, delata sua opera, equitum turmæ præficitur; sed bonorum virorum concursu, ad ejus signa undique confluentium, auctus copiis, & gestarum rerum magnitudine & celeritate conficiendi summos ferè duces brevi superavit. Nec mirum; sui enim noscendi exercitissimus miles, quicquid intus hostis erat, spes vanas, metus, cupiditates, apud se prius aut deleverat, aut subactas jam habuerat in se prius imperator, sui victor, de se potissimum triumphare didicerat; itaq; ad externum hostem quo primùm die in castra venit, veteranus, & in illa omni castrensi militia consummatus accessit. Non est ut in his possim orationis carceribus, tot urbes captas, tot prælia & quidem maxima, in quibus nunquam victus aut fusus, Britannicum orbem totum continuis victoriis peragavit, pro dignitate rerum exequi; quæ justæ sanè historiæ grande opus, & iterum quasi campum quendam dicendi, & exæquata rebus narrandi spatia desiderant. Sufficit hoc unicum singularis & prope divinæ virtutis indicium, tantam in eo viguisse sive animi vim atq; ingenii, sive disciplinæ non ad militarem modò, sed ad Christianam potius normam & sanctimoniam institutæ, ut omnes ad sua castra tanquam ad optimum non militaris duntaxat scientiæ, sed religionis ac pietatis gymnasium, vel jam bonos & fortes undiq; attraheret, vel tales, ipsius maximè exemplo, efficeret: eosq; toto belli, pacis etiam nonnunquam intermediae tempore, per tot animorum & rerum vicissitudines, non largitionibus & militari licentia, sed authoritate & solo stipendio, adversantibus licet multis, in officio contineret & adhuc contineat: quæ quidem laude neq; Cyro, neq; Epaminondæ, neque antiquorum ulli excellentissimo Imperatori laus ulla major attribui solet. Hinc enim exercitum, quo nemo minori spatio majorem aut instructiorem, sibi comparavit, & per omnia dicto audientem, & civibus gratum atque dilectum; & hostibus, armatis quidem formidolosum, pacatis admirabilem, quorum in agris atque sub tectis ita non gravis, & sine omni maleficio versabatur, ut cum regiorum suorum vim, vinolentiam, impietatem atque libidines, cogitarent, mutata sorte lati, non nunc hostes, sed hospites advenisse crederent; præsidium bonis omnibus, terrorem malis, virtutis etiam omnis & pietatis hortatores. Sed neque te fas est præterire, Fairfax in quo cum summâ fortitudine summam modestiam, summam vitæ sanctitatem, & natura & divinus favor conjunxit: Tu harum in partem laudum evocandus tuo jure ac merito es; quanquam in illo nunc tuo secessu, quantus olim Literni Africanus ille Scipio, abdis te quoad potes; nec hostem solum, sed ambitionem, & quæ præstantissimum quemque mortalium vincit, gloriam quoque vicisti; tuisque virtutibus & præclarè factis, jucundissimum & glorioissimum per otium frueris, quod est laborum omnium & humanarum actionum vel maximarum finis; qualique otio cum antiqui Heroes, post bella & decora tuis haud majora, fruerentur. qui eos laudare conati sunt poetæ, desperabant se posse aliâ ratione id quale esset dignè describere, nisi eos fabularentur, coelo receptos, deorum epulis accumbere. Verum te sive valedudo, quod maximè crediderim, sive quid aliud retraxit persuasissimum hoc habeo. nihil te à rationibus reipublicæ divellere potuisse, nisi vidisses quantum libertatis conservatorem, quam firmum atque fidum Anglicanæ rei columnam ac monumentum in successore tuo relinqueres. Te enim salvo, Cromuelle, ne Deo quidem satis confidit, qui rebus Anglorum, satis ut salvæ sint, metuat; cum videat tam faventem tibi, tam evidenter opitulantem ubique Deum. Verum tibi tum soli decertanda alia bellorum palæstra erat.

Quid autem multa? res maximas, quæ tu celeritate soles, eadem si possum brevitate expediam. Amissâ Hiberniâ præter unam urbem totâ, tu, exercitu trans-

transmisso, uno statim prælio Hibernicorum opes fregisti ; reliqua indies conficiebas ; cùm repente ad bellum Scoticum revocaris. Hinc contra Scotos irruptionem cum rege suo in Angliam parantes, indefessus proficisci eris ; regnum illud, quod omnes reges nostri octingentis annis non poterant, uno circiter anno perdomuisti, & Anglorum ditioni adjecisti ; reliquas eorum copias, validissimas tamen & expeditas, per summam desperationem in Angliam tum ferè præsidii nudatam, inopinâ impressione factâ, Vigornium usque progressas, magnis itineribus assecutus, uno prælio delevisti ; captâ penè tota gentis nobilitate. Hinc alta pax domi : tum te, sed neque tum primùm, non minùs consiliis, quâm belli artibus valere sênsimus ; id quotidiè in senatu agebas, vel ut cum hoste pacta fides servaretur, vel uti ea, quæ ex republicâ essent, mature decernerentur. Cum videres moras neci, privatæ quemque rei, quam publicæ, attentiorrem, populum queri delusum se suâ spe, & potentiam paucorum circumventum esse, quod ipsi toties moniti nolebant, eorum dominationi finem imposuisti. Parliamentum aliud convocatur novum ; concessa iis duntaxat, quibus par erat, eligendi potestate ; convenient electi ; nihil agunt ; cùm se invicem dissidiis & altercationibus diu defatigassent, animadvertisentes plerique se rebus tantis exequendis, neque pares esse, néque idoneos, ipsi sese distinxunt. Deserimus Cromuelle : tu solus superes, ad te rerum summa nostrarum rediit ; in te solo consistit ; insuperabili tua virtuti cedimus cuncti, nemine vel obloquente, nisi qui aut æquales inæqualis ipse honores sibi querit, aut digniori concessos invidet, aut non intelligit nihil esse in societate hominum magis vel Deo gratum, vel rationi consentaneum, esse in civitate nihil æquius, nihil utilius, quam potiri rerum dignissimum. Eum te agnoscent omnes, Cromuelle, ea tu civis maximus & gloriofissimus, dux publici consilii, fortissimorum exercituum Imperator, pater patriæ gesisti : sic tu spontanea bonorum omnium & amicitiæ missa voce talutaris : alios titulos te dignos tua facta non norunt, non ferunt, & superbos illos, vulgi licet opinione magnos, meritò respunnt. Quid enim est titulus, nisi desinitus quidam dignitatis modus ? tua res gestæ cùm admirationis, tum certè titulorum modum omnem excedunt ; & velut pyramidum apices coelo se condunt, populari titulorum aurâ excelsiores. Sed quoniam summis etiam virtutibus, qui honos habetur, humano quodam fastigio finiri ac terminari, non dignum est, sed tamen expedit, assumpto quodam titulo patris patriæ simillimo, non evehi te quidem, sed tot gradibus ex sublimi descendere, & velut in ordinem cogi, publico commodo, & sensisti & sustinuisti ; regium nomen majestate longè majore aspernatus. Et meritò quidem : quod enim nomen, privatus sub jugum mittere, & ad nihil planè redigere potuisti, eo si tantus vir factus caperere, idem penè faceres, atque si gentem aliquam Iaololatram Dei veri ope cùm subegisles, victos abs te coleres deos. Tu igitur, Cromuelle, magnitudine illâ animi macte esto ; te enim decet : tu patriæ liberator, libertatis auctor, custosque idem & conservator, neque graviorem personam, neque augustiorem suscipere potes aliam ; qui non modo regum res gestas, sed Heroum quoque nostrorum fabulas factis exuperasti. Cogita sp̄cius. quâm caram rem, ab quâm cara parente tua, libertatem à patriâ tibi commendatam atque concreditam, apud te depositam habes : quod ab electissimis gentis universæ viris, illa modo expectabat, id nunc à te uno expectat, per te unum consequi sperat. Reverere tantam de te expectationem, spem patriæ de te unicam ; reverere vultus & vulnera tot fortium virorum, quotquot, te duce, pro libertate tam strenuè decertârunt ; manes etiam eorum qui in ipso certamine occubuerunt : reverere exterarum quoque civitatum existimationem de nobis atque sermones ? quantas res de libertate nostra, tam fortiter partâ, de nostrâ republicâ, tam gloriosè exortâ sibi polliceantur : quæ si tam citò quasi aborta evanuerit, profectò nihil æquè dedecor osüm huic genti, atque pudendum fuerit : te ipsum denique reverere, ut pro quâ adipiscendâ libertate, tot ærumnas pertulisti, tot pericula adiisti, eam ademptus, violatam per te, aut ullâ in parte imminutam aliis, ne finas esse. Profectò tu ipse liber sine nobis esse non potes ; sic enim natura comparatum est, ut qui aliorum libertatem occupat, suam ipse primus omnium amittat ; séque primum omnium intelligat servire : atque id quidem non injuriâ. At verò, si patronus ipse libertatis, & quasi tutelaris deus, si is, quo nemo justior, nemo sanctior est habitus, nemo vir melior, quam vindicavit ipse, eam postmodum invaserit, id non ipsi rancum, sed universæ virtutis ac pietatis rationi perniciosum ac lethale propemodum sit necesse est : ipsa honestas, ipsa virtus

tus decoxisse videbitur, religionis angusta fides, existimatio perexigua in posterum erit, quo gravius generi humano vulnus, post illud primum, infligi nullum poterit. Onus longè gravissimum suscepisti, quod te penitus explorabit, totum te atque intimum perscrutabitur atque ostendet, quid tibi animi, quid virium insit, quid ponderis; vivatne in te verè illa pietas, fides, justitia, animique moderatio, ob quas enectum te præ cæteris Dei numine ad hanc summam dignitatem credimus. Tres Nationes validissimas consilio regere, populos ab institutis pravis ad meliorem, quam ante hac, frugem ac disciplinam velle perducere, remotissimas in partes sollicitam mentem, cogitationesque immittere, vigilare, prævidere, nullum laborem recusare, nulla voluptatum blandimenta non spernere, divitiarum atque potentiae ostentationem fugere, hæc sunt illa ardua, præ quibus bellum ludus est; hæc te ventilabunt atque excutient, hæc virum poscunt divino fultum auxilio, divino penè colloquio monitum atque edocetum. Quæ tu, & plura, sæpenumero quin tecum reputes atque animo revolas, non dubito: uti & illud, quibus potissimum queas modis & illa maxima perficere, & libertatem salvam nobis reddere & auætiorem. Quod meo quidem judicio, haud alia ratione rectius effeceris, quam si primùm quos laborum atque discriminum comites habuisti, eosdem, quod facis, consiliorum socios cum primis adhuc ueris; viros sanè & modestissimos, & integerrimos, & fortissimos; quos tot mortes conspectæ, tot strages ante ora editæ, non ad crudelitatem, aut duriciem animi, sed ad iustitiam, & numinis reverentiam, & humanæ fortis miserationem, ad libertatem denique eo acrius retinendam erudierunt, quo gravioribus ejus causa, periculis ipsi suum caput objecere: Non illi quidem ex colluvione vulgi, aut advenarum, non turba collectitæ, sed melioris pleriq; noræ cives, genere vel nobili, vel non in honesto, fortunis vel amplis, vel mediocribus; quid si ipsa paupertate aliqui commendatores? quos non præda convocavit, sed difficillima tempora, rebus maximè dubiis, sæpè adversis, ad liberandam tyrannide tempubl. excitarunt; non in tuto aut curiâ sermones inter se atque sententias tantum, sed manus cum hoste conferere paratos. Quòd nisi spes semper infinitas, atque inanes persequemur, in quibus tandem mortalium sisti aut confidi possit non video, si his horumque similibus fides non habebitur. Quorum fidelitatis certissimum pignus, & indubitatum habemus, quòd pro republica vel mortem oppetere, si ita fors tulisset, non recusarint; pietatis, quòd implorato suppliciter dei auxilio, totiesque ab eo insigniter adjuti, à quo auxilium petere, eidem gloriam tribuere omnem rerum prosperè gestarum consueverint; iustitiae, quòd etiam regem in judicium adduxerint, damnato parcí noluerint; moderationis, quòd & eam experti jam diu sumus, & quam ipsi sibi peperere pacem, si eorundem per injuriā rumpatur, qua mala inde oritura sunt, ipsi primi sint persensuri, ipsi prima vulnera suis corporibus excepturi, déque suis omnibus fortunis atque ornamenti feliciter jam partis rursus dimicaturi; fortitudinis denique, quòd nulli unquam libertatem feliciter aut fortius recuperaverint; ne arbitremur ullos alios posse diligenter conservare. Gestit clarorum virorum nomina commemorare oratio mea: te primum, Fletuode, quem ego ab ipsis tyrociniiis ad hos usque militiæ honores, quos nunc obtines à summis proximos, humanitate, mansuetudine, benignitate animi eundem novi; hostis fortem & imperterritum, sed & mitissimum quoque victorem sensit: Te, Lamberte, qui vix modicæ dux manus, ducem Hamiltonum juvenis, totius Scoticæ juventutis flore ac robore circumseptum, & progredientem retardasti, & retardatum sustinuisti: Te, Desboroe, Te, Hualei, qui atrocissimas hujus belli pugnas vel audienti mihi vel legenti, inter hostes confertissimos expectati semper occurristis: Te, Overtone, mihi multis abhinc annis, & studiorum similitudine, & morum suavitate, concordiâ plusquam fraternali conjunctissime; te Marstonensi prælio illo memorabili, pulso sinistro cornu nostro, respectantes in fugâ duces stantem cum tuo pedite, & hostium impetus propulsantem inter densas utrinq; cædes videre: Scotico deinde bello, ut primùm Cromuelli auspiciis, tuo marte occupata Fifæ littora, & pates factus ultra Sterlinum aditus est, te Scotti occidentales, te Boreales humanissimum hostem, te Orcades extremæ domitorem fatentur. Addam & nonnullos, quos togâ celebres & pacis artibus, consiliarios tibi advocasti, vel amicitia vel fama mihi cognitos; Huitlochium, Picheringum, Striclandium, Sidnamum, atq; Sidneium (quod ego illustre nomen nostris semper adhaesisse partibus lætor) Montacutium, Laurentium, summo ingenio ambos, optimisque artibus

artibus expolitos; aliosque permultos eximiis meritis cives, partiim seditorum, partiim pridem munere, partim militari operâ insignes. His & ornatissimis viris & spectatissimis civibus libertatem nostram proculdubio recte commiseris; immo quibus tutius committi possit aut concredi, haud facile quis dixerit. Deinde si ecclesiam ecclesiæ reliqueris, tæque ac magistratus eo onere, & dimidio simul & alienissimo, prudens levaveris; nec duas potestates longè diversissimas, civilem & ecclesiasticam, siveris inter se scortari; séque invicem promiscuis ac fallis opibus in speciem quidem firmare re autem verâ labefactare ac demum subvertere: si vim omnem ab ecclesia sustuleris; vis autem nunquam aberit, quandiu pecunia, ecclesiæ toxicum, veritatis angina, enuntiandi evangelii merces, vi etiam ab nolentibus coacta, erit; ejeceris ex ecclesia nummularios illos, non columbas sed columbain, sanctum ipsum spiritum cauponantes. Tum si leges non tot rogaveris novas, quot abrogaveris veteres; sunt enim sœpè in republica, quæ nütz-  
tas leges ferendi, ut verificatores multa carmina fundendi impetrigine quadam pruriunt: sed leges quo sunt plures, eo ferè sunt deteriores; non cautiones sed cautes, tu necessarias duntraxat retinueris, alias tuleris, non quæ bonos cum malis eodem jugo subjiciant, aut quibus, dum improborum fraudes præcaventur, quod bonis liberum esse debet, veratur, sed quæ in vitia tantum animadvertantur, res per se licitas abuentium ob noxam, non prohibeant. Leges enim ad frænandam malitiam solum sunt comparatae, virtutis libertas formatrix optima atque auxtrix est. Deinde si juventutis institutioni ac moribus melius prospexeris, quām est adhuc prospectum, nec dociles juxta atque indociles, gnavos atque ignavos, impensis publicis ali æquum senseris, sed jam doctis, jam bene meritis doctorum præmia reservaveris. Tum si liberè philologophari volentibus permisseris, quæ habent, sine magistelli cuiuspiam privato examine, suo periculo in lucem proferre: ita enim maximè veritas effluererit; nec semidoctorum semper sive censura, sive invidia, sive tenuitas animi, sive superstitionis aliorum inventa, onnémque scientiam suo modulo metietur, suóque arbitrio nobis imperiverit. Postremò si ipse neque verum neque falsum, quicquid id est, audire metueris: eos autem minimè omnium audieris, qui se liberos esse non credunt, nisi aliis esse liberis, per ipsos non liceat; nec studiosius aut violentius quicquam agunt, quām ut fratrum non corporibus modò sed conscientiis quoque vincula injiciant; pessimāmque omnium tyrannidem, vel pravarum consuetudinem vel opinionum suarum & in rempublicam & in ecclesiam inducant: tu ab eorum parte semper steteris, qui non suam tantummodo sectam aut factionem, sed omnes æquè cives, æquali jure liberos esse in civitate arbitrantur oportere. Hæc sicuti satis libertas non est, quæ quidem à magistribus exhiberi potest, is mihi ambitionis atque turbarum, quam libertatis ingenuæ studiosior videtur; præfertim cum agitatus tot factionibus populus, ut post tempestatem, cùm fluctus nondum refederunt, statum illum rerum optabilem atque perfectum, ipse non admittat.

Nam & vos, ô cives, quales ipsi sitis ad libertatem vel acquirendam vel retinendam haud parvi interest: nisi libertas vestra ejusmodi sit, quæ neque patrari armis, neque auferri possit, ea autem sola est, quæ pietate, justitiâ, temperantâ, verâ denique virtute nata, altas atque intimas radices animis vestris egerit, non deerit profectò qui vobis istam, quam vi atque armis quæsivisse gloriamini, etiam sine armis citò eripiat. Multos bellum auxit, quos pax minuit; si perfuncti bello, pacis studia neglexeritis, si bellum pax vestra, atque libertas, bellum tantummodo vestra virtus est, vestra summa gloria, invenietis mihi credite, ipsam pacem vobis infestissimam; pax ipsa vestrum bellum longè difficilimum, & quam putastis libertatem, servitus vestra erit. Nisi per veram atque sinceram in Deum atque homines pietatem, non vanam atque verbosam, sed efficacem & operosam, superstitiones animis, religionis veræ ac solidæ ignorantie ortas, abegeritis, habebitis, qui dorso atque cervicibus vestris, tanquam jumentis insidebunt; qui vos etiam viatores bello suam veluti prædam sub hastâ non bellicâ nundinabuntur; & ex ignorantia & superstitione vestrâ, uberem quæstum facient. Nisi avaritiam, ambitionem, luxuriam mentibus, immo familiis quoque vestris luxum expuleritis, quem tyrannum foris & in acie quærendum credidistis eum domi, eum intus vel duriorem sentietis, immò multi indices tyranni ex ipsis præcordiis vestris intolerandi pullulabunt. Hos vincite in primis, hæc pacis militia est, hæ sunt victoriae, difficiles quidem, at incruenta; illis bellicis & cruentis longè pulchriores; nisi hic quoque victores eritis, illum modo

modo in acie hostem atque tyrannum, aut non omnino aut frustra vicistis: nam pecunia<sup>rum</sup> vim maximam in ærarium inferendi rationes posse calidissimas excogitare, pedestres atque navales copias impigre possè instruere, posse cum legatis exterorum cautē agere, societates & foedera peritè contrahere, si qui majus atque utilius ac sapientius in republica existimavistis esse, quām incorrupta populo judicia præstare, afflictis per injuriam atque oppressis opem ferre, suum cuīque jus expeditum reddere, quanto satis in errore versati, tum serò nimis perspicietis, cum illa magna repente vos fefellerint, hæc parva vestro nunc judicio & neglecta adversa tum vobis & exitio fuerint. Quin & exercituum & sociorum, quibus confiditis, fluxa fides, nisi justitiae sola autoritate retineatur: & opes atque honores, quos plerique sectantur, facilè dominos mutant: ubi virtus, ubi industria, & laborum tolerantia plus viget, eò transfugiunt, & ignavos deserunt. Sic gens gentem urget, ut senior pars gentis corruptioreni proturbat: sic vos regios dejecistiſ. Si vos in eadem vitia prolabi, si illos imitari, eadem sequi, easdem inanitates aucupari ceperitis, vos profecto regii iſtis, vel eisdem adhuc hostibus, vel aliis vicissim opportuni; qui iisdem ad Deum precibus, eadem patientia, integritate, solertia freti, qua vos primò valuistiſ, depravatos nunc, & in regium laxum atque socordiam prolapsos, meritò subjugabunt. Tum verò, quod miserum est, videbimini, planè quasi Deum vestri poenituisse, pervasisse ignem ut fumo pereatis: quantæ nunc admirationi, tantæ tunc omnibus contemptioni eritis; hoc solum quod aliis fortasse, non vobis, prodesse in posterum queat, salutare documentum relicturi, quantas res vera virtus & pietas efficeret potuiffet, cum facta & adumbrata, duntaxat bellè simulando, & aggreditantas, & progressus in iis tantos per vos facere valuerit. Non enim, si propter vestram ſive imperitiam, ſive inconstantiam, ſive improbitatem tam præclarè facta male cesserunt, idcirco viris melioribus minus post hæc vel licebit vel sperandum erit. Sed liberare vos denuò tam facile corruptos nemo, ne Cromuellus quidem, nec tota, si reviviceret, Brutorum natio liberatorum, aut si velit, possit, aut si possit, velit. Quid enim quisquam vobis libera suffragia & eligendi quos vultis in senatum potestatem tuni affligeret, an ut suæ quisque factionis homines per urbes, aut qui conviviis unctiūs vos, & majoribus poculis per municipia colonos ac rusticos exceperit, eum quantumvis indignum eligere possitis? ita non prudentia, non authoritas, ſed factio & lagina, aut ex tabernis urbicis caupones & institores reipublicæ, aut ex pagis bubulcos, & verè pecuarios senatores, nobis creaverit. Illis nempe rempublicam commendaret, quibus vel rem privatam nemo committeret; illis ærarium & vœtigalia qui rem suam turpiter prodegeret? illis publicos redditus, quos depeculentur, quos ex publicis privatis reddant? an legislatores ut illi exemplò gentis universæ fiant, qui ipſi quid lex, quid ratio, quid fas aut jus, rectum aut curvum, licitum aut illicitum sit, nunquam intellexerint? qui potestatem omnem in violentia, dignitatem in superbia atque fastidio positam existiment? Qui in Senatu nihil prius agant, quām ut amicis pravè gratificentur, inimicis memores adversentur? qui propinquos ſibi ac necessarios, tributis imperandis, bonis proscribendis, per provincias substituant, homines plerosque viles ac perditos, qui suarum ipſi auctorionum ſectores, grandem exinde pecuniam cogant, coactam intervertant, rempublicam fraudent, provincias expilent, ſe locupletent ad opulentiam atque fastuū ex mendicitate heſterna ac ſordibus repentinis emergant? quis talis ferat ſervos furaces, dominorum vicarios? quis ipſos furum dominos ac patronos, libertatis idoneos fore custodes crediderit, aut illiusmodi curatoribus reipublicæ ( quingenti licet conſueto numero ſint ex municipiis omnibus hunc in modum electi ) pilo ſe factum liberiorem putet, cùm & libertatis ipſi custodes & quibus custoditur, tam paucum ſint futuri, qui libertate uti atque frui vel ſciant vel digni ſint? Libertate autem indigni, quod omittendum postremò non eſt, erga ipſos primum liberautores ingratissimi ferè exiſtunt. Quis nunc talium pro libertate pugnare, aut vel minimum adire periculum velit; non convenit, non cadit in tales eſſe liberos; utut libertatem ſtrepat atque jaſtent, ſervi ſunt & domi & foris, nec ſentiunt; & cùm ſenſerint tandem, & velut ferocientes equi frænum indignantes, non veræ libertatis amore ( quam ſolus vir bonus reſtè potest appetere ) ſed superbia & cupiditatibus pravis impulſi, jugum excutere conabuntur, etiamſi armis rem ſæpius tentaverint, nihil tamen proficiunt; mutare ſervitutem fortaffe poterunt. exuere non poterunt. Id quod Romanis etiam antiquis luxu jam fractis ac diſfluenteribus perſæpè accidit; recentioribus multò magis; cùm longo poſt tempore

Crescentii Nomentani auspiciis, & postea duce Nicolao Rentio, qui se tribunum plebis nominaverat, antiquam renovare gloriam Romanam, & rempublicam restituere affectarent. Scitote enim, ne forte stomachemini, aut quemquam præter vosmetipsos inculpare possitis, scitote, quemadmodum esse liberum idem plane est atque esse pium, esse sapientem, esse justum ac temperantem, sui providum, alieni abstinentem, atque exinde demum magnanimum ac fortis, ita his contrarium esse, idem esse atque esse servum; solitique Dei judicio & quasi talione justissima sit, ut quæ gens se regere sequere moderari nequit, suisque ipsa se libidinibus in servitute tradidit, ea aliis, quibus nollet, dominis tradatur; nec libens modò, sed invita quoque serviat. Quod etiam & jure & naturâ ipsa sanctum est, ut qui impos sui, qui per inopiam mentis aut furorem suas res recte administrare nequit, in suâ potestate ne sit; sed tanquam pupillus, alieno dedatur imperio; nedum ut alienis negotiis, aut reipublicæ præficiendus sit. Qui liberi igitur vultis permanere, aut sapite imprimis, aut quamprimum resipiscite: si servire durum est, atque nolitis, rectæ rationi obtemperare discite, vestrum esse compotes; postremo factionibus, odiis, superstitionibus, injuriis, libidinibus ac rapinis invicem abstinet. Id nisi pro virili vestra parte feceritis, neque Deo neque hominibus, ne vestris quidem jam nunc liberatoribus, idonei poteritis videri, penes quos libertas & reipublicæ gubernatio, & imperandi aliis, quod tam cupidè vobis arrogatis, potestas relinquenda sit: cum tuto potius aliquo rerumque vestrarum fideli ac forti curatore tanquam pupilla gens, tum quidem indigentis. Ad me quod actinet, quocunque res redierit, quam ego operam meam maximè ex usu reipublicæ futuram judicavi, haud gravatum certè, & ut spero, haud frustra impendi; meaque arma pro libertate, non solum ante fores extuli, sed etiam iis ita latè sum usus, ut factorum minimè vulgarium jus atque ratio, & apud nos & apud exteris explicata atque defensa, bonis certè omnibus probata, & ad meorum civium summam laudem, & posteriorum ad exemplum præclarè constet. Si postrema primis non satis responderint, ipsi viderint; ego quæ eximia, quæ excelsa, quæ omni laude propè majora suere, iis testimonium, prope dixerim monumentum, perhibui, haud cito interitulum; & si aliud nihil, certè fidem meam liberavi. Quemadmodum autem poeta is qui Epicus vocatur, si quis paulò accurrior, minimèque abnormis est, quem Heroem versibus canendum sibi proponit, ejus non vitam omnem, sed unam ferè vitæ actionem, Achillis putata ad Troiam, vel Ulissis redditum, vel Æneæ in Italiam adventum ornandum sibi sumit, reliquas prætermittit; ita mihi quoque vel ad officium, vel ad excusationem satis fuerit, unam saltem popularium meorum heroicè rem gestam exornasse; reliqua prætereo, omnia universi populi præstare quis possit? si post tam fortia facinora fœdius deliqueritis, si quid vobis indignum commiseritis, loquetur profectò posteritas, & judicium feret; jacta strenue fundamenta fuisse, præclara initia immò plusquam initia; sed qui opus exædificarent, qui fastigium imponerent, non sine commotione quadam animi desiderabat; tantis incœptis, tantis virtutibus, non adfuisse perseverantiam dolebit; ingentem gloriae segetem, & maximarum rerum gerendarum materiam præbitam videbit, sed materiae defuisse viros: non defuisse qui monere recta, hortari, incitare, qui egregiè tum facta, tum qui fecissent, condecorare, & victuris in omne ævum celebrare laudibus potuerit.

1870. 10. 22. 10. 23.

1870. 10. 22. 10. 23.

1870. 10. 22. 10. 23.

1870. 10. 22. 10. 23.

# A U T O R I S

## Pro se

# D E F E N S I O

### C O N T R A

*Alexandrum Morum Ecclesiasten,*

Libelli famosi, cui titulus, *Regii sanguinis clamor ad cælum ad-*  
*versus Parricidas Anglicanos, Authorem rectè dictum.*

**N**ihil equidem aut antea inauditum, aut meā tum expectatione alienum, cūm Libertatis causam primō accepi defendendam, usu venturum mihi arbitratus sum, si liberatores Patriæ, civēs meos, unus præ cæteris publicē laudasse, Tyrannorum jus infinitum atque injurium coarguisse, ut improborum omnium in me propè unum ferentur odia, atque redundarent. Prævidebam etiam tum bellum vobis, Angli, cum hostibus haud diuturnum, mihi cum persugis, & eorum mercenariis sempiternum propemodum fore: ut quorum vos tela de manibus eripuissetis, eorum in me maledicta atque convicia eò acriùs conjicerentur. In vos ergo furor hostium atque impetus deferuit: mihi ut videtur soli hujus belli reliquiae supersunt; contemptissimæ quidem illæ, sed ut seré sunt infimorum impetus animalium, satis intestinæ. Non perditorum duntaxat civium, sed exterorum etiam ut quisque alienarum rerum plus nimio curiosus, ut quisque importunitissimus, corruptissimusque est, in me involat, officii tantummodo mei fataginem; in me omne virus & aculeos dirigit. Quo fit, ut quod plerique ad commendationem operis, & audienciam sibi faciendam præfari initio solent, se ab exili atque humili rerum materia ad res dicīt gravissimas atque maximas aspirare, id mihi in præsentia nequaquam concessum sit; ut cui nunc contrà vel invito atque nolenti à rebus maximis & gloriostissimis dicendis ad res obscuras, anonymorum latebras, & adversarii turpissimi persequenda lustra atque flagitia necessariò sit descendendum. Quod etsi parum exordienti honorificum & ad reddendos lectorum animos attentiores minus accommodatum esse videatur, habet tamen quod exemplo haud absimili, cūm viris optimis & præstantissimis idem contigerit, consolari possit siquidem & Africanus ipse Scipio, postquam ea gesserat quibus nihil in eo laudis genere felicius aut majus potuit, inclinatione rerum suarum perpetuâ & decrescente semper suæ virtutis materiâ usus esse videtur: Et primò Dux quidem summus, atque Hannibale superior, mox contra hostem Syrum & imbellem Legatus, Tribunorum deinde impotentiâ vexatus, suam tandem communite villam Liternensem contra fures atque latrones coactus est: in hac tamen rerum suarum declivitate atque descensu par ipse semper sibi & æqualis dicitur fuisse. Unde ego, atque aliis aliundè monitis quicquid fortis aut provinciæ dedeit modò Deus, multo licet priore angustius, atque tenuius, id non aspernari erudior. Sed quemadmodum Dux bonus ( quidni enim bonos in omni genere liceat imitari? ) contra hostem qualecumque boni Ducis officium explebit; vel si hoc nimis invidiosum est, ut tutor bonus, ita enim vir sapiens olim philosophatus est, ex eo quocunque est ad manum corio calceamentum quam potest optimum conficiet, sic ego ex hoc calceamento ( argumentum enim cūm instituissim dicere, puduit ) trito præsertim jam antea atque disluto, siquid concinnare quod legentium auribus tantum non fastidio sit potero, experiar. Parsurus utique omnino huic operæ, nisi accusationes mihi nescio quas falsas, & mendacia objecisset adversarius, quam ego maculam aut suspicionem adhædere mihi minime volo. Quando hoc necessariò tollendum mihi onus est, dabit quisque ve-

niam, uti spero, si populo qui non defui pridem & Reipublicæ, mihi met nunc non defuero.

Quoniam itaque tuam fidem, More, quam in ipso libelli titulo tu publicam vocas, Ego publicatam jamdudum & perditam scio, ita ultrò statim nobis obstringis, ut si quid eorum in te agnosceres, quæ de te ego scripserim, majorem in modum irascere, ex ore imprimis tuo, quo laqueo solet improbus irretiri semper & capi, judicandum te omnibus atque damnandum addico. Cùm enim & ex perpetuâ calumnia, quâ meum omne dictum aut factum in deterrimam partem trahis, méque obruere invidiâ queris, & ex contumeliis quas semper iniquissimas undique in me arripijs jaciendas, ex omnibus denique signis atq; indicis iræ facilè appareat vehementissimè te, quamvis id usque neges, & apertissimè irasci, effugere non potes quin arguaris agnoscere in te ea, quæ vel affixisse tibi me ait, vel in lucem protulisse.

Duae sunt res quarum ego te postulabam : altera injuriarum, altera flagitiorum. Injuriarum, quòd libelli in nos clamosissimi Author extitisse ; nam quòd populum Anglicanum satis lèdere existimares te non posse, nisi me eximiè præter ceteros læsissimes, id ego honori mihi potius, quâm contumelias duco. Flagitia verò tua commemorare, ut dignum erat, idcirco non gravabar, ut ostenderem, siquidem is est habendus clamoris author, qui edidit, & alias certè præter te nemo hæc tenus comparuit, quâm casto ex ore clamor ille prorupisset. Quid tu ad hæc? negas te authorem illius libelli ; & ita sedulò, ita prolixe negas, cùm tamen liber ille nequaquam tibi displiceat, ut magis mihi pertimus videare, ne illum librum scripsisse, quâm ne illa in te tot probra admisisse reperiatis ; de quibus sic leviter & timidè, sed simul versutè ac veteratoriè te purgas, ut nemo non subesse ulcus perspiciat. Haud incallido fortasse consilio ; nam quis unum libellum scripsit, quâm quis multa stupra fecerit difficilior longè est probatio ; libellus sine arbitris confici potuit ; hæc sine sociis, & scelerum consciis non potuerunt : illic vestigia penè nulla necessariò apparent ; hic plura indica & præcedunt, & unà adsunt, & subsequuntur. Itaque, si pernegas, ad te librum illum pertinere, arbitraris eādem operâ & fidem meam de reliqua tua vita saltem apud longinquos infirmari, & meâ credulitate atque injuriâ, quâ te scilicet temere violasset, tuam magnâ ex parte levari infamiam : sīn ire inficias de libello non posses, restare tibi hoc solum prævidebas, quo nihil difficultius erat aut acerbius, ut de moribus & flagitiis haud perfunditorie respondendum tibi esset. Verùm ego nisi hoc doceo, nisi planum facio aut te authorem illius libelli famosissimi in nos esse, aut te satis causæ præbuuisse cur pro authore merito haberis debeas, non recuso quin abs te vix in hac causa cum cedecore atque pudore turpitèr discedam ; nullam à me culpam neque imprudentiæ, neque temeritatis, neque maledicentiaæ deprecor.

Prodiit hoc biennio anonymous & probrosus liber, Regii sanguinis clamor ad cœlum adversus Parricidas Anglicanos inscriptus ; in quo libro, cùm Respublica Anglorum tota, tum nominatim Cromwellus, eo quidem tempore nostrorum exercituum Imperator, nunc totius Reipublicæ vir summus, omni verborum contumelias laceratur : Secundùm eum, sic illi anonymo visum est, maledictorum pars maxima in me conjicitur. Vix suis integer schedulis liber iste in Consilio mihi est traditus ; ab eo mox confessu qui quæstionibus tum præfuit, alter mittitur : significatum quoque est, expectari à me hanc operam Reipub. navandam, ut huic importuno clamatori os obturarem. Verùm me, tum maximè, & infirma simul valetudo, & duoruū funerum luctus domesticus, & defectum jam penitus oculorum lumen diversâ longè sollicitudine urgebat : foris quoque adversarius ille prior, isti longè præferendus, impendebat ; jamjamque se totis viribus incursum indies minitabatur : quo drepente mortuo levatum me parte aliquâ laboris ratus, & valetudine partim desperatâ, partim restitutâ, utcunque confirmatus, ne omnino vel summorum hominum expectationi deesse, vel omnem inter tot mala abjecisse curam existimationis videret, ut primùm de isto Clamatore anonymous certum aliquid comperiendi facultas data est, hominem aggreditor. De te, More, dictum hoc volo : quem ego ( quamvis tu nunc, quasi insons omnium atque insciens falso te accusari vocifereris ) nefandi illius clamoris vel esse authorem, vel esse pro authore haud injuriâ habendum statuo. Et cur sic statuam nunc audies. Primùm ego, neque hoc leve putaveris, famam communeam, consentientem, constantem sum sequutus : neque eam solum quæ populi vox, & ab antiquis Dea credita est, & à nobis hodiè vox Dei nuncupatur,

tur, sed eam etiam, ut legitimè tecum agi intelligas, quam Jurisperiti ab authōribus & probis & benē notis exortam, fidem adjicere testimonio docent. Verē hoc dico & religiosc̄, me toto biennio nullum neque popularem, neque peregrinum convenisse, cum quo de isthoc libello sermones mihi fuissent, quin omnes unā voce te ejus Authorem dici consentirent, neminem præter te alium nominarent. Ita universim obtinuit hæc fama, ut te possim ipsum hujus rei testem producere. Recita tuum ipse testimonium.

*Testimonium Mori, pag. 10.*

Neque verò tacui, si cui fortè subiit aliquid ejusmodi suspicari, sed palam & exerte respondi reclamans, conquestusque sum invito supponi mihi foetum alienum, siquidem illius auctor libri vel ex parte vel in totum existimarer.

Quamvis hoc falsum sit tacuisse te, aut reclamasse quod plurimi testantur, qui te de eo libro & confitentem & gloriantem audierunt, dum hoc tutum tibi, aut lucro aut honori credidisti fore, hic tamen vides, quām hæc fuerit concepta altè, nec sine causa proculdubio, hominum opinio: ut ne familiaribus quidem tuis persuadere potueris, quo minùs reclamantem te & conquerentem atque *invitum* illius libri authorem vel ex parte vel in totum existimarint. Quid si ego, qui te nostris partibus inimicissimum esse, & de Republicā nostrā pessimè solere loqui intelligerem, hæc plusquam famâ nixus, hæc hominum non vulgarium communī opinione atque consensu adductus, hoc pro certo sumpsissem, te hunc libellum compositus? Tu contra quid affers, quamobrem tantæ hominum, etiam amicorum tuorum confessioni de inimico nostro facilè habere fidem non debuerim? Factum negas. At quotusquisque est reorum, qui multis etiam testibus in judicio convictus atque damnatus in ipso supplicii loco, ubi etiam poenā capitali jamjam plectendus est, pernegare crimen suum non soleat; immò secretum quodvis anteactæ vitæ facinus suum proferre in lucem non malit, cuius poenas meritas dare se nunc dicat, quām de illo crimine confiteri de quo sit condemnatus? Accedit quod is tum negat, cùm sententiā jam latā, cùm expeditā & imminentē jam securi, nihil juvat neque prodest negare: Tu propterea, quòd prodest, quòd est cur metuas, quòd manendum tibi in iis provinciis si faterere non esset, idcirco negas. Pacis articulos inter Nos & Fæderatas Provincias *Latinè conditos* vertisse te dicis. Legito itaque nonum, decimum, & undecimum, quos tu cùm vertebas, solum vertere debuisti.

*Articulus pacis nonus.*

Quod neutra dictarum Rerump. hostes alterius Reipub. declaratos vel declarandos, in ejus dominia recipiet, neque eorum alicui in prædictis locis vel aliò quocunque, etiam extra sua dominia auxilium, consilium, hospitium concedet, nec istiusmodi hostibus ullum auxilium, consilium, hospitium, favorem, pecunias præstari permittet.

*Articulus decimus.*

Quòd si alterutra dictarum Rerumpub. aliquem suum fuisse & esse hostem, & in sua dominia receptum esse, aut ibidem commorari per literas suas publicas alteri significaverit, tunc illa Resp. quæ hujusmodi literas receperit, intra spatum viginti octo dieum tenebitur dicto hosti mandare, ut extra sua dominia exeat. Et si quis prædictorum hostium intra quindecimum diem non exiverit, singuli morte & amissione bonorum multabuntur.

*Articulus undecimus.*

Quòd nullus hostis publicus Reip. Angliae in aliqua oppida, vel alia loca recipietur; neque Domini Ordines Generales alicui hujusmodi hosti publico in locis prædictis, pecuniis, commeatu, aut alio quocunque modo auxilium, consilium, aut favorem dari permittent.

Hæccine audis? quām diligenter, quām severè ab utraque Republica tribus continuis articulis cautum atque provisum sit, ne quis alterius hostis ab alterutra vel hospitio vel tecto recipiat; qui hostis declaratus vel declarandus ab alterutrā sit, ei ut aquā & igni ab altera sit interdicendum, ut morte etiam multandus

dus sit, ni intra dies quindecim post denunciatum sibi discessum sarcinas collegerit? Hæc sine, inquam, fine metu ac trepidatione audis? qui si hostis esse aut fuisse deprehendēris, nōsque ut viros fortēs decet, in sententia persistemus, neque articulos otiosos ad numerum duntaxat composuimus, ubi tua illa stipendia, & sacrarum Historiarum professiones? cui de tota illa ditione intra paucos dies deceđendum erit; & relictis Historiis, illa vitæ tuae fabula nequissima nescio quibus in terris peragenda. Quis enim hostis noster magis publicus est dicendus, quam is, qui libro famosissimo in vulgus edito totam Angliæ Rempubl. inhumanissimis verborum contumeliis proscindit atque dilaniat? latrocini, cædis, perduellionis, impietatis, parricidii, immò novò prorsus vocabulo deicidii demūn incusat; omnes Principes, Populos, Nationes in nos, tanquam in monstra ac p̄stes generis humani ad arma, quantum in se est, concitat; & quasi ad commune atque sacrum bellum nobis inferendum hortatur? Hunc tu confecisse librum nisi pertinaciter negares, nullus nunc locus consistendi iis in locis tibi esset. Cum igitur tibi tam sit oīmāno periculosem fateri, cùm incolumentis & commodorum tuorum, ac prope salutis tam vehementer intersit librum istum ejurare, cur tua inimici & improbissimi hominis negatio contra famam constantem, immò verò quod plus est, contra tot hominum satis perspicacium, & amicorum aliquot tuorum opinionem valere debeat, non video. At enim dicas, non te solum negasse; testem habere reverendum amīstitem Ottonum, qui clarissimum Duræum admonuerit te illius libri non esse auctorem, sibi probè nō auctorem longè alium. Itaque ex ipsis Duræi literis ostendam, neque probè hoc novisse Ottonum, neque testem omnino esse, vel siquid testatur, ex eo reddi te multo quam anteā suspectiorem.

*Ex literis Duræi, Haga, April. 1654.*

Quod ad responsum Miltoni ad eum librum, cui titulus Regii sanguinis clamor: Evidem à Ministro quodam Midelburgensi, qui Moro perfamiliaris est, certior sum factus, Morum non esse illius libri authorem, sed Ministru m quendam Gallicum, quem Morus sub conditione silentii eidem nominavit.

*Et ex alteris Amsterodamo, April. 1654.*

Cum D. Ottono colloquutus sum; hic quidem acerrimè Regius est, & Moro perquam intimus; idque mihi dixit, quod superioribus literis ad te sciti-psi, Morum non esse *Clamoris Regii sanguinis* authorem.

Ex quibus hoc in primis nemo non intelligit, Ottono, ut qui partibus Regiis addictissimus, nobis inimicissimus, Moro à sceretis sit, ne si sua quidem fide quicquam afferat, credendum esse. Nunc autem cùm apertè fateatur Ottonus, quicquid hac de re sciat, abs te haufisse, tuā solā autoritate niti, tuum hoc apud se depositum arcanum esse, non hoc Ottoni testimonium, sed tua adhuc sola negatio est: immò verò potius tua clara confessio dicenda erit, illius te libelli vel componendi vel procurandi cum paucissimis esse conscient; si non authorem, at certè socium & administrum; vel tuā operā vel tuo consilio librum illum fuisse editum. Quod si ita est, ut est sanè per tuum testem, ex tuomet ipsius ore verisimillimum, equidem haud metuo, ne te falso insimulasse dicar, si vel authorem ipsum affirmaverim te, vel eodem numero habuerim. Quis non jam planè perspiciat, quam penitus ex sinu tuo liber iste prodierit? quam non de nihilo constantissima de te ista fama invaluerit? verū adhuc clarius hoc idem statim perspicere cuvis licebit. Jam enim à fama, quod postmodum apparet, minimè fallaci, ne vocis invidiā contra me utaris, ad justam probationem & compertissimos mihi testes transeo. Accipe in primis literarum partem, quæ haud ita multo pōst Lugduno Batavorum sunt datae, quam libellus iste clamosus Hagæ-Comitis est editus. Missæ sunt hæ literæ ad amicum quendam meum ab homine & docto & prudente, & rerum peri:issimo, mihi satis noto, & in Hollandia notissimo: in quibus libelli cuiusdam famosi factâ mentione, hæc statim verba sp̄bjungit.

Litteræ Leidenses, Septemb. 27. stilo novo. 1652.

Nec majoris momenti est iste Mori liber, cui titulus Clamor Regii sanguinis ad cælum: satisque vendibilis fuit, donec Author illius vitiata Salmasii uxoris ancillæ; ipse suam existimationem communicavit. Hæ litteræ eodem puto mense, integræ sunt evulgatae, inque actis diurnis apud nos quinto quoque die hebdomadæ prodire solitis, palam extant; ejusque autoritate vel qui misit eas, vel qui edidit, fidem facilè suam tuentur, meam absolvunt. Hæc habui neque levia, neque ullo modo contemnenda, cur hunc Regii sanguinis clamorem opus ruum esse crediderim: famam constantem, non vulgi, sed amplissimorum hominum per biennium totum opinionem atque consensum, literas viri intelligentissimi atque honestissimi vicina ex urbe missas, quibus an quid certius in re præser-tim longinquæ de inimico & extraneo homine, & omni infamia jamdudum co-operto, expectandum fuerit aut requirendum, haud scio. Age verò; ne tu me tristem nimis & obstinatum queraris, aliquanto laxius te habebo, quo deinde fortius teneam atque constringam: quoniam attributum tibi librum elegantulum sic aversaris atque horres, contra hæc omnia quæ afferre hactenus potui tam valida, tuam valere singularem & suspectissimam negationem patiar; remittam tibi hoc totum atque largiar, non esie te hujus libelli, qui Regii sanguinis clamor inscribitur, authorem; & tamen, quod jam forsitan expectas, non sic abibis. Constat iste liber & coagmentatur proœmiis quibusdam & epilogis, Epistolâ ad Carolum alterâ ad Lectorem, clauditur carmine, altero in Salmasium Eucharisticum, altero in me diffamatorio: si ullam hujus libri paginam, si versiculum fortè unicum scripsisse aut contulisse, si edidisse, aut procurasse, aut suaſſisse, si denique edendo præſuſſisse, aut vel operæ tantillum accommodasse te reperero, quandoquidem nemo alijs existit, tu mihi solus totius operis reus, & author, & clamator eris. Neque verò meam hanc severitatem, aut vehementem animum esse dixeris; idem apud omnes fere gentes jure & æquissimis legibus est compa-ratum. Quod ab omnibus receptissimum est adducam, jus civile Imperatorium.

Legito Institut. Justiniani, l. 4. de injuriis, Tit. 4.

Siquis ad infamiam alicujus libellum, aut carmen (aut historiam) scripſerit, composuerit, ediderit, dolōve malo fecerit, quo quid eorum fieret, &c. Adjiciunt aliae leges; *Etiam si alterius nomine ediderit; vel sine nomine.* Et omnes decernunt eum pro authore habendum esse atque plectendum. Quæro nunc ex te, non utrū Regii sanguinis clamorem, sed an præmissam clamori epistolam Carolo dicatam, ullamve ejus particulam feceris, scripſeris, edideris, edendamve curaveris? quæro an alteram ad lectorem, quæro denique an illud infame carmen condideris, aut vulgandum curaveris? nihil ad hæc respondisti; si clamorem ipsum tantummodo abdicasses, omnemque ejus particulam gnaviter ejuras, salva fide evaluisse te putabas, nōsque probè ludificasse; Epistolam videlicet ad Carolum filium, aut ad Lectorem, carmen etiam Iambum, Regii sanguinis clamorem non esse. Tu itaque sic breviter habeto, ne tergi-verteri in posterum queas, aut prævaricari; ne diverticulum ullum, aut latibulum sperare; ut jam sciant omnes quām non mendax, sed veriloqua, aut saltē non de nihilo ista fama de te increbuerit, tu, inquam, sic habeto: me non famā solū, sed eo testimonio, quo nullum certius esse potest comperisse, te & libelli totius cui Regii sanguinis Clamor est titulus, editionem administrasse, & ope-rain typographicam correxisse, & Epistolam illam ad Carolum secundum, Vlacci nomen præferentem, vel solum, vel cum uno atq; altero compoluſſe. Id quod tuum ipsum nomen Alexander Morus exemplis aliquot illius epistolæ subscriptus, multis ejus rei testibus oculatis clariū indicavit, quām tu negare aut expedire te ullo pacto queas. Si dicas, importunitati quorundam amicorum te hoc dedisse, ut epistolæ nomen tuum apponeres, non aliunde quām ex ore tuo sic excusanti qui solenniter affirmas, & eo præfertim loco paginæ 39. in quo ut credatur tibi enixè flagitas tueri te tua, aliena tunc demum forte curaturum, cum ex cussus propriis faeris. Teipſo itaque flagitante, credendum non est te nomen tuum illi Epistolæ suisſe subſcri-p-turum, tua niſi eſſet: id quod ſequente paginâ penè confiteris, tuāmque ipſe fraudem detegis & fallaciam, quā fretus Clamoris authorem te esse toties negas. Nam quis non misereatur, inquis, hallucinationis tua cum Praſationem Typographo tri-buis

buis modo, modo adimis : Clamorem totum in me confers, qui ne particulam quidem ullam ejus extuli. Hoc cui non suboleat? cum Præfationis seu Epistolæ simul & Clamoris mentionem facis, Clamoris ne ullam quidem particulam conferri in te finis; Præfationis nullam respuis, nullam inficiaris: immò quasi errorem meum videris propemodum ridere, quòd satis constanter non dixerim tuam esse. Si insciente te & prorsus ignaro factum hoc dicis, ut nomen tuum subscriberetur, primum credibile non est quenquam esse ausum mittendæ ad Regem Epistolæ cum dedicato libro excusæ, alienum nomen ipso inconsulto subscribere. Complures deinde sunt, qui ex te ipso audierunt, cum tuam esse illam epistolam vel interrogantibus faterere, vel ultrò ipse prædicares. Verùm tua nécne fuerit, non admodum labore, tūne solus an *cum uno aut altero* eam composueris; quod & hic pag. 41. subindicare ludibundus propè videris. Te istius ego non Epistolæ duntaxat, sed & libelli infamissimi solum propè consciū, te ejusdem editorem aut edendi administrum, te Epistolæ ad Carolum aliquammultis exemplaribus divulgatae subscriptorem notissimum, te scriptorem etiam confessum, te ergò omnium legum consensu atque sententiâ totius operis authorem ipsum tuo ore convictum atque constrictum reneo. Hæc quo dicam testimonio tam remotus, & unde mihi tam liquidò constare potuerint, si quæris, non famâ, inquam, sola, sed partim testibus religiosissimis qui corā hæc mihi sanctissimè asseverarunt, partim literis vel ad alios vel ad me scriptis. Literarum verba ipsa expromam, scribentium nomina non edam; propterea quòd in rebus alioqui notissimis necesse non habeo. Hem tibi imprimis ab homine probo, & cui ad hanc rem pervestigandam haud mediocris facultas fuit, literas Hagâ Comitis ad me datas.

*Ex Literis Hag. Com.*

Exploratissimum mihi est, Morum ipsum Clamoris Regii sanguinis exemplar nonnullis aliis imprimendum obtulisse, antequam Vlaccus illud accepisset; ipsum corrigendis operarum erratis præsuistis; ab ipso exemplaria, ut primum quodque absolutum est, compluribus impertita ac dissipata.

Viden' ut hæc dilucida atque distincta sint, ut non dubiis rumoribus collecta, sed datâ operâ ac diligentia hominis iis in locis ac rebus versatissimi, pervestigata & inquisita, certissimis indicis comprobata atque comperta? Atqui testem, inquires, unum jus omne rejicit: en itaque ex ore duorum testimoniū, quo testimonio neque sacrum, neque civile jus quicquam amplius aut locupletius desiderat, firmatum à me omne verbum, ut dicitur, & corroboratum habebis. Accipe nunc sis quæ vir honestissimus idemque intelligentissimus & certò sibi cognita, & illic testatissima Amsterodamo sic scribit.

*Ex Literis Amsterodamo.*

Certissimum est omnes ferè per hæc loca Morum pro authore illius libri habuisse, qui *Regii sanguinis clamor* inscribitur: nam & schedas à prælo exceptas ipse correxit, & aliqua exempla subscriptum dedicatoriæ nomen Mori præferabant, cuius & ipse author erat; dixit enim ipse amico cuidam meo, se illius Epistolæ authorem fuisse: immò nihil certius est, quam illam sibi Morum vel attribuisse, vel agnovisse pro sua.

Verùm requiris adhuc tertium: non id quidem cogit lex, attamen indulget. Esto; largissimâ per me lege utere: potest fieri, ut terni opus sint testes: coarctatum tibi à me juris quicquam non dices. Addo jam tertium.

*Ex alteris literis Hagâ Comitis.*

Dixit mihi Hagæ Comitis vir quidam primarius, habere se Regii sanguinis Clamorem, cum ipsa Mori epistola.

Vides quam largiter tibi admetiar: clara enim hæc sunt, quis neget? tu tamen scito clariora apud me esse, quæ datae fidei causâ reticeo, quam quæ nunc palam exhibeo. Quod si adhuc tamen vis cumulum, fortassis accedet. Interea nunc libero ac soluto animo ad reliqua proficior; quandoquidem id quod Deum Opt. Max. precatus sum, adeptum me esse spero, ut nemini videar, viro præsertim bono & intelligenti, incertis rumoribus elatus temerè, accusationem contra

contra te falsam instituisse, nec fictis criminibus innocentem, quod querere & immeritum persuadisse, sed rectum atque duplum veris redarguisse, latentem atque se&tantem tenebras in lucem protractasse: quod quidem & ex ipsa testimonii claritate perspicuum esse reor, & in ipsis plurimorum hominum non conscientiis modò, sed & sermonibus, ubi haec gesta sunt, clarius elucidare. Quibus si ego testimonium denuntiare possem, obruerere, mihi crede, multitudine tot testimoni: quos tamen aliquando sponte sua veritati tam illustri, si opus erit, sua nomina palam datus esse confido. Quod si hanc probationis vim atque evidentiari, quam ne Judex quidem severissimus repudiasset, tu falsam tamen esse. id quod incredibile est, contendere audebis, erit fortasse cur de tuo queraris atque deplores infortunio, aut iratum tibi atque infensum agnoscas Deum, qui per aliorum vel errorem vel mendacium assignati tibi hiujus libelli illa alia tua dedecora in Ecclesia diutius non ferenda, latius patet, & per tonam illam ecclesiasticam, quam circumfert impudentissime, detrahi tibi voluerit; me cur incutes deinceps aut reprehendas non erit, immo nec unquam fuit, velles modò tua in nos commissa recognoscere; verum illa mordicus inficiari nimium tibi expedit, & timul pergis laceſſere. Noli igitur, quod jam iterum mononeo, me inculpare, si rursus quae nolis nunc vicissim audieris. Sed videamus quid sit. Primum occurrit mihi, nec opinato, mea pro Pop. Anglicano Defensio secunda, typis Vlacci malevoli mendosissime ac malitiosissime excusa; omisſis nonnunquam verbis integris non sine structuræ totius atque sententiae vel depravatione vel interitu. Quod ego omnes volo monitos, qui mea curant legisse, nequid meum ex officina hominis inimici & veteratoris exire integrum aut sincerum existimat. Huic accessio est. Vlacci itidem mala merx, *Alexandri Mori fides publica*. Ita ego quos à me longissime summovisse ac protelasse sum ratus, eos vel invitus sub iisdem pellibus coniunctissimos mihi reperio. Sic est profecto; qui liberrimè riserit hos homines, sibi devinxerit. Cavendum sane & procul fugiendum erit cui putaverint isti nasalum esse aduncum; ne aliquando fatis int̄i, irridentis naribus dantaxat uncis ipsi sese tanquam uniones hinc atque inde suspendant. Cognoscite vero nunc adversarium, si quis unquam fuit, degenerem, iniquum, odiosum. Nam ut primùm, nescio quo casu per amicum meum, non id agentem ut ab isto gratiam iniret ullam, intellexit me ad Clamorem Regii sanguinis responsum in se edere, aestuare mens hominis conscientia, & omnes in partes versare te coepit. Inter alia trepidantis atque degeneris animi indicia, qui libellum modò famosum tam cupidè, tamque improbè in alios edidisset, libellum nunc supplicem ad Legatum Foederatorum Ordinum apud nos commorantem scribit, orans atque obsecrans, ut cum Dom. Protectore quam instantissime de supremenda mea Defensione ageret. Cum responsum tulisset impetrari nequaquam id posse, exire nihilominus in lucem, jamque adnavigare animadversorem in se librum cum spicilegio quodam & collectaneis facinorum suorum, conturbatus, & huc, illuc curritans, circumspectissimus deinde homo, totus in speculis est; oculos ab labore dimovere vix audet; ubi advenisse librum cognovit, suumque statim indicem sensit, prece nescio an pretio exorat librarium, ut exemplum illius libri ullum me divenderet, donec ipse responsum suum confecisset; id est, ut commercii fidem violaret, donec iste fidem publicam conflasset. Ita bonus ille vir quingenta plus minus exemplia recte & eminentiē edita suo arbitratu premit, dum Vlaccus interim jacturam alienam suum ratus compendium, quot sibi videtur mendosa imprimat. Bene agis, Vlacco, ut consueisti; sed auctarium hoc damni quid sibi vult adjectum? cur appendices vos ippos adjunxit mihi, hominum importunitissimi? neinōne ut possit me velle, quin vos quoque vel ingratissimum onus una ferre cogatur? Ergo ego, ut videtur, non cœcus, sed cœcias, quos volebam propellere nebulones, attraxi. Tu vero, adeōne tibi, More, tuoque sive genio sive ingenio diffisiſ es, ut victurum te, & in manus hominum perventurum desperares, nisi te mihi asseclam quounque irem, male conciliatum agglutinares, & emporibus etiam nolentibus te obtruderes? verum expertus jam didici quid sit picem attrectare; & erat hoc, opinor, laud minus Vlacci astutiā provisum, qui non Typographus solū, sed arithmeticus, quod jam fateor, vetulus, metuebat ne *Alexandri Mori neglecta fides publica* jaceret, séque à soricibus aegrè tueretur, nisi hanc artem Alligationis, verè cauponariam, adhibuisset, & vile ac vitiosum vendibili miscuisset. Age vero, quoniam necesse est cum Defensione pro pop. Anglicano, *Alexandri Mori fidem publicam coemere*, quanquam parva haec, utcunque

nummularum jactura erit, discere ex te avemus, quid sit Mori fides publica? utrum confessionem tuę fidei publicam nobis exhibes, an quid in symbolum? Hæc enim tua fides publica est, opinor; privata an sit, dicant qui te Spir. Sanctum non agnoscere accusant. Quid ergo est? tuam dicamus fidem esse publicam, an fidem publicam esse tuam? Tuam fidem sicut & pudicitiam esse publicam, non est difficile ut credamus. Qui enim alienas uxores & ancillas vis esse publicas, quidni tua omnia, pudorem etiam ac fidem publicam esse velis? An vero hoc est quod dicas, fidem publicam esse tuam? at hoc qui potest fieri? Tunc fidem publicam pro scorto abduxisse te putas, tua ut simul esset & publica? aut captiosus hic titulus est, aut sensu vacuus. Si tua fides haec est, quemadmodum est publica? si publica est, quemadmodum est tua? Relinquitur ut vel imprudens hoc titulo significasse videare cum Alexandri Mori fides publica sit, adeoque non tua; rursus cum tua sit, ideoque non publica, hanc quam affers fidem repugnantem & implicitam, nec publicam esse nec tuam. Quid ergo? aut dubiam, aut inanem, aut denique nullam. Quod si contendis hanc fidem omnino esse publicam, quae tua tanta impudentia est, More, ut cum fidem ipse nullam habeas quam pro te afferas, tot flagitia perpetrare fide publica existimes tibi licere? ut nunquam alias dici verius, quam de te versiculos iste videatur, quicquid peccat Morus, plectitur fides publica. Haec tibi unicentia si concedatur, non tu Alexander Morus, sed Alexander ille Phrygius mea quidem sententia nominaberis. Beatum interim te, cui militet fides publica. Contra quem autem? contra meas nempe *calumnias*. Quas tandem illas? an quod intamis libelli Clamoris Regii authorem te affirmaverim, nunc etiam justâ probatione arguerim? at verbum de isto clamore in tua fide publica nullum. An quod hortensem te adulterum, domesticum Pontiae stupratorem enarraverim? at hoc tibi percaute tu quidem ac timide mentionem facis; facta utrobique flagitia aut non omnino, aut obliquè tantum & frigidè negas. Quid ergo fidem publicam sollicitare opus erat iis de rebus, quas audacter ipse negare non potes? nihil sanè, nisi quod circumforanei pharacopolæ & vanissimi circulatoris hoc solum tibi defuit, ut elogiis ac testimoniosis, nescio quo pacto adscitis atque corruptis, & ostentata fide publicâ te venditares. Tibi igitur si *Scurra* sum, minus commoveor; quandoquidem is, qui ab oraculo sapientissimus, ab tui similibus *Scurra* Atticus est dictus. Cur autem *Scurra* tibi videor, More? an quod nequitias tuas interdum falsè perstrinxerim? ne tu stultior sis, More, & adhuc magis ridendus, si quenquam putas, modò emunctæ naris sit, ad tuos foetores, nisi sale conspersos, posse appropinquare. Sed vide, quam tibi temperaverim, quam leniter tecum egerim: Cum enim in ipsa fronte libri nullo negotio potuerim tibi paria retulisse, & affixo tibi cognomento appositissimo atque meritis ita scripsi, *Contra Alexandrum Morum adulterum & cinedum*, cohibus me; partim tui misertus, partim ut legentium oculis atque auribus nonnulli consulerem, ne subito occurru tantæ fæditatis atque offensione averterentur.

Sed de his plus satis; ab infantissimo nunc titulum ad librum ipsum veniamus: id quod te, ut video, non delecat; nam rectâ eunti viam obstruis; & ægrotantem Doctorulum nescio quem Crantzi cum lectulo & culcitra, tanquam aggerem aut vallum obdis tibi & transversum extrudis. Qui ager, ut ipse ait, & ni fallor ægerrimus, id est maledicendi cupidissimus, haud scio an ventilata lode vix se in cubitum erexerit, ut haec sua febriculosa somnia deliraret. Mox quasi testamento jam factâ subjicit, *Scripti propria manu & subsignavi licet ager corpore*. Age jam tu, si vis, animam; nos resignemus; & Lectori imprimis quid legaveris inspiciamus: multam, opinor, salutem; ne unciolam quidem; quid ergo? plorare: *Lege si potes & luge*. Me vero quod ignotus minimè expectabam, secundum hæredem quincunce toto maledictorum aspergis. *Lege*, inquis, & *luge facili vicem, in quo maledicentia tantum licet*: Luge potius tot insipientes doctorulos, quos nisi mature caveat hoc sæculum, vereor ne propediem & lugeat & luat. Tu vero tum luxilles, cum inaudita audacia Salmasius homo privatus, extraneus, nullâ injuriâ lacefatus, in universam Anglicanam Remp. atque Senatum foediissimis contumeliis bacchatus est: tum luxilles, cum probrosus ille anonymous Clamorem Regii sanguinis in nos eructavit, nec acerbissimis modò verborum contumeliis ad rabiem usque furit ac sævit, sed nobiscum sic agi oportere, decere, convenire, rationibus & argumentis, ut ipse putat, Christianis defendere conatur. Cognosce nunc, si potes, tuam ipse iniquitatem: cum externi, ad quos nostra nihil pertinent, nobis vel acerbissime maledicunt;

ledicunt, & maledicentiam ipsam defendunt, vis omnes *legant*: cùm ego & pro meo in patriam officio, & Magistratum jussu meos cives ac populares, me denique ipsum probris omnibus lèsum defendo, vis omnes *lugeant*. Tum carere Lectorem jubes, ne me *credat Historicum*. At neque tu Albertus es Crantzius; & hoc tibi edico caveas, ne ego antequam peroravero te citius Mendacem, quâm tu me *Fabulatorum* coarguas. *Quis & qualis sit iste Miltonus*, inquis, *ignoro*. Non displicet; neque enim tanti est tuum nosse aut non nosse: Ego verò te statim novi & morbum tuum. *Quis sit*, inquis, *ignoro*; *libelli ejus satis docent*. Indocilis ergo Crantzius, qui ignorat; temerarius item atque injurius, qui ignotum illætus lèdis, qui per calumniam ac maledicendi præproperam libidinem ex libro de divortiis, loco non citato, verbis aut non plenè aut perperam adscriptis, Blasphemie falso insimulas. Tu antè, quisquis es Crantzi, in malam pestem abieris, quâm dixisse me *Doctrinam Evangelii & Dom. nostri Iesu Christi de Divortio esse Diabolicalm*, usquam inveneris. Quòd si dixi fortasse, quam inde conficiunt vulgares interpres doctrinam, quâ post divortium necessariò factum, omne aliud matrimonium interdicunt, esse Diabolicalm, id esse Blasphemiam quo tu pacto evincis? nisi si forte Theologorum dictatis quibusvis contradicere, nunc primùm Blasphemia est credenda. Quod autem affirmas Doctrinam de Divortiis *ab omnibus patribus à Theologis veteribus & hodiernis, ab omnibus Academias & Ecclesiis Britannicis, Hollandicis, Gallicis* eodem modo explicari, scito te vehementer hallucinari: & ignorantiam Doctori tibi & præsertim reprehensori turpem prodere: quam si vacat, in eo libro, qui à me *Tetrachordon* est inscriptus, exues. Poteris ibi, si libet, discere, quam ego tueor sententiam, eam & Patrum aliquot, & summorum postea Theologorum Buceri, Fagii, Martyris, Erasmi fuisse; quorum hic justo tactatu Phimostomum quendam Doctorem, tui comparem, eademque ferè blaterantem refellit. Interea non miror laborare te tantopere de inhibendis divortiis, cùm animadverto etiam domi tuæ haud leve accidere divortium solere; nimirum sensus communis ab loquacitate tua. Quis enim mentis compos aut sententiæ suæ sic loquitur? *In Salmasio vix ipsi inimici aliud requirant, quam quod fuerit iracundior, & male conjugatus*. Patere te doceri, doctorcule, quod pueruli sciant. Non requirebant illi quod fuit, sed quod non fuit. Ajs me *Eunuchum dixisse Salmasum*, quod nunquam dixi: duos tantummodo versus ex Eunuchi Terentiani prologo desumpsi, ut Scenicum plorantis exordium, & lamentabile ridiculum risu, ut par erat, exciperem. *Nihil minus quam Eunuchum* fuisse affirmas: id meā nihil refert. Tu tamen, quid hac in parte solus tam audacter pronuncies, cave. Adeóne legum nescius ac ruditus es, ut ullam rem difficilius probare te posse sine duobus testibus arbitreris? Sed minitaris deinde; *siguando prodibit viri summi posthumus liber, Miltonius sentiet mortuos quoque mordere*. Vos ipsi existimare potestis, qui vivum non pertinui, eundem mortuum quâm non reformatum.

*Æternum latrans exangues terreat umbras.*

Si mordacem in me mortuum emiseritis, scitote neque melle neque mulso placatum à me iri. Cognoscetis an & ego λέγω Θεοτόπιον comodè possim scribere. *Dii boni*, inquis, *quam niger est Miltonius, si fides Salmasio?* at ipsam inferorum fuliginem si secum trahat, me, Deo benè juvante, denigrare non poterit. Tu Salmasii in me convitia ut lætè nunc refers! quasi pulmentum ægrototibi hoc esset: contra illa convitia cùm ego me, ut par atque æquum est, defendam, tunc tuum illud triste & querebundum rursus audiemus, *Lege & luge*; & illi *Dii boni* tui tunc rursus fortasse implorabuntur. Sed dic, quæso, Sacrosanctæ Theologiæ doctor, quos tu Deos bonos colis? vereor ne Catechumenus hic potius, quâm Doctor dicendus sis. Docent sacræ literæ unum esse bonum Deum. Tibi si *Dii boni* sunt, erit fortassis & bona Dea; cuius tu Sacerdos & Mystagogus Corybantem in me nunc agis. Ego quæ in Morum attuli, quanquam tu *falsissima esse* præfidenter affirmas, sciunt illi esse vera, qui rebus omnibus interfuerent, quique nullum Geneva Crantzium eo tempore cognoverunt. Hoc sanè miretur quispiam si hæc Mori fides publica est, quo pacto, quovæ nomine tua ista privata fides huc nobis ex grabatulo in præstationem irrepsit. Iniquitas certè in me tua fidem de illo quam infersis hic tuam in dubium vocat, qui me accusas, quòd *innocentissimo Typographo parcere non potuerim*. Ergo Vlaccus, qui me sibi prorsus ignotum petulantissimis convitiis adscripto

nomine palam appetivit, tibi *innocentissimus* est. Audi ergo iterum, Theologe, cui tu sacræ scientiæ vix initiatuſ mihi videris, audi quām te tuosque mores Theologia sacra & sapientissimus præceptor dedoceat: Qui absolvit improbum, & qui condemnat justum, abominationi Jehovæ sunt æquè ambo. Verū haud scio utrum in me ex ignoto factum modò inimicum iniquior, an in amicū ipſum ineptior sis Morum: cujus prædicatas virtutes tot vitiis interpunctas, & propè alternas introducis, ut non ornatum, sed maculis tantummodo variatum, non Morum, sed morionem demisisti abs tuis laudibus videaris. Pictor sanè eximius primam laudis lineam cum litura ducis; *semper magnas inimicitias exercuit cum emulis.* Vitium narras, Crantzi, in ministro evangelii quam minimè tolerandum; præfertim cùm iis *inimiciis ipse*, quod fateris, *nimiè loquendi libertate, locum sape præbuerit.* Deinde est arrogans & Gallicè *Altierus*, & Spanhemii iudicio & tuo. Haec tenus nigro lapillo; nunc vario: *Fælix ingenium, nisi crabrones irritasset.* Æmulos nimirum suos, non ipse aquila, sed ut muscas olim scarabeus ille vespæ filius. Nullam novit *Salmasius nobiliorem genium, si laboris tolerantior fuisset:* Ignavus igitur Morus; & tamen semper genio satis indulxit. Additque ipse *Salmasius varie laſſe uxorem suam:* Unde protervus in matronas etiam Morus; *præter inconsiderationem quoque tali homine indignam:* Salmatio itaque judice, quid est Morus nisi morus? Hic autem fateor satis causæ fuisse, cur egrum te subscribebas; manifestò enim febricitas. Qui sic tibi dixisse *Salmasium aīs, siquid in Pontiā peccavit Morus, ego sum leno & uxor mea lena.* Festivè tu quidem in hoc drame personarum numerum auxisti, & uberem ridendi ansam, sicui otium esset, porrexisti. Verū siquid hujusmodi *Salmasius amico tibi & privati, siquid incommodius de se vel de uxore familiariter locutus est, id tu, nisi planè delirares, amicitiam faltem reveritus & arcanum domesticum, non tam stolidè hoc in loco effutisses.* Sed redis ad laudes, *acutum iudicium Mori;* adjunge *inconsiderationem illam tali homine indignam,* res duas inter se conjunctissimas. *Fælicitatem in concionando;* & infoelicitatem in scortando: par alterum in Mori laudibus appositissimum. Accedit corollarii loco trium linguarum periti: quæ professorem hunc tandem consummat nobis trilinguem; id est, cum supradictis virtutibus paulò plus quām triobolarem. Cum voto denique finem facis ineptiendi; ut *Deus Christianorum* (modo enim reliquise *Deos bonos tuos* videris) *hanc mentem insipiret Potestatibus, ut hanc scripturiendi licentiam Christianis infamem compescant.* Vos itaque priores compescant, à quibus haec omnis licentia primò exorta est: mihi mei descendendi jus ac potestate adversus contumelias vestras, ura spero, non eripient. Intelliges tum ipse, quām ego libens omni genere contentionum supersedeam. Atque tibi jam, ut puto, satisfactum est: idque eò amplius feci, quòd Doctorem te Sacrosanctæ Theologiæ cum amplissimo phylacterio agnoscere; Doctoribus autem mirificè delector.

Nunc Vlaccum paucis dignemur: nam & Vlaccus responsat, Typographus meus, & necessarius jam factus. Responsa hominis breviter colligam, ut perspiciatis quām bellè quadrent. Es veterator, inquam, Vlacce. Sum bonus, inquit, *Arithmeticus.* Et tamen queruntur, qui tibi expensum tulerunt, pessimè te numerate. Ego ad probitatis normam te exigo. Hem tibi, inquit, *cancenem Logarithmicum!* Sophistica haec est, Vlacce, non Logistica: perinde quasi idcirco solum Arithmeticam didicisses, quod in ea falsi regulam doceri audiveras. Clancularius es, inquam, & obæratus aufugisti. Tu mihi *Sinuum tabulas, & Tangentium, & Secantium* crepas. At quibus tecum ratio est, expensi tabulis te urgent: idque ipsum est quòd sinuosum te nimis, & alieni cupidius tangentem, & malè secantem queruntur. *Trigonometriam,* inquis, *conversis Sinibus in Logarithmos artificialem absolvi.* At artifia interim tua & versutias Creditores luunt: Non trigonometram, sed tetragonum sine fraude cum illis te esse oportuit; non angulos & obliquitates, sed suum cuique metiri ac reddere. De cæte:o, ad tuam te confessionem ipsam rejicio. Londini. Parisiis, inqui Librarii, iniquum judicium, inqui Judices; tu solus integrè & castus: at illi contra te unum omnes cùm audientur, vera esse ea quæ de te dixi, nemo non fatebitur. In me autem quām scelestus fueris, facile evincam. Primum scripsisti ad Hartlibium, petens, ut mea, siquid haberem, posses excudere; & simul de mea oculorum calamitate, effémne omnino orbus luminum, sedulò & quasi dolens quæsivisti: mox proditorie, cùm intelligeres nihil tibi à me excudendum venire, cæcitatem mihi, quam quasi sollicitè modò & dolenter inquirebas, eam statim sceleratè

sceleratè insultans palam expiobrasti. Nam Typographus, inquit, sum ; quid ad *Typographos tam magne controversiae, nisi ut operam suam ?* Acutum sanè & typographicum ! Non alius quisquam typographis plus hac in parte quam ego concesserim. Num ergo tu famosissimo libello tuum subscribere professum nomen quasi author esles, debuisti ? & cuius ex libris lucrari cupiebas, neque nunc primum, ut audio, lucratus es, ejus nomen turpissimis contumeliis maculare, cum privilegio scilicet, licere tibi existimasti ? *Bellum*, inquis, erat ; & simul miratur tua vastitas, quod, facta pace, bacchationes in me privatim tuas & singularē insolentiam impunè tibi esse noluerim. Nescis enī, vappa quid belli ratio, in causa etiam longissimè diversa, ab temulenta tua rabie discrepet. An si quis existimationem meam privatus per causam belli famoso libro violeaverit, ea mihi injurya devoranda est, ut ne possim, cum visum erit, me justa & expectata defensione vindicare ? Non me puduit, inquis, quanquam ignominiosè accusatum, alteram editionem adornare. At non omnes tibi similes sunt Vlacce, ut non pudeat fidem, pudorem, omnia lucro postponere ; cuius fæda cupiditas adeò vilem tibi & abjectum animum ingeneravit, ut tuis ipse typis te ipsum graphicè nebulonem depinxisse non erubescas ; eodemque tempore mihi maledicere, & meis ex libris quæstum facere. In quo quid cani similius fieri abs te potuit ? cuius ego allatrantis capiti, cum os illud vehementer infixissim, exclamas tu quidem & queritatis ; mox ut esculentum esse comperisti, reversus blandulè, rodis simul & liguris. Tu verò mea aut non omnino attigisse debuisti, aut non corrupisse ; nunc inimicus librum meum non solum excudisti, sed ultione vilissimâ deformatum ac mutilatum & adversariis hinc inde obsecsum exposuisti : quorum alterum rapacissimam lucelli cujusvis aviditatem tuam, alterum & tuam singularem malitiam & tuarum mercium improbitatem declarat. Hæc tua sunt, Vlacce. Nunc remoto te circumpede Herum tuum aggredi tandem ab latere aperto liberius licebit. Qui quamvis non modo intus turpis, & sibi conscientius, sed foris jam penè omnibus manifestus atque perspicuus sit, tamen cum in audacia positam sibi esse spem unicam statuerit, abstergo ore, ut in proverbio sacro scortum illud, & assumptâ non solum viri sancti oratione atque personâ, sed sapientissimi quoque titulo Ecclesiastes novus cum mala cruce, & sacrarum literarum Professor profanus incedit. Adeò ut minorentur omnes in quo summa esse tot vitia reperirentur, in eo illa oīnia potuisse ab impudentia tam longè superari.

Ego verò eorum quæ de te scripsi, More, cum affinxerim sanè nihil, affirmaverim autem ea quæ & creberimus passim famâ, & mihi privatim testibus idoneis essent cognita, utrius hoc nostri *ad sempiternum dedecus futurum sit*, non id tuum, quod tamen tibi arrogas, judicium erit, sed, Dei voluntate, hominum integrorum sententiis dirimetur. Tu interim praefationes mihi ( quid enim *tui prefatio sit nondum assequor* ) vel vanissimi vel mendacissimi, quanquam uberrima tibi mendaciorum copia est, mitte comparare. Testimonialium ut sis tibimet callidissimus æruscator, praefationum tamen coactorem te mihi nolo. Nam quod ais, quæ de te protuli *cujusmodi esse*, nemo ut sit eorum quibus paulo propius innotisti, quamvis iniquior esset, quin falsitatis perpetua coarguat, id usque eò veritati planè contrarium est, ut eorum qui te *propius* norunt multi nuntiis, non nemo literis questus tecum sit huic me argumento facinorum tuorum tam uberi & copioso parùm satisfecisse ; tantum abesse, quicquam ut finixerim, ut permultas præclaras etiam, tuas res gestas silentio præteriorum : se, si adsuissent, quod & optabant quoq; nonnulli, largiore me palmarum tuarum accessione & copia facile fuisse instructuros. Tuum ergo illud miserere, quo tu & operarius tuus, par bipedum odiosissimum, misereri meam vicem vultis ridiculè videri, vobis vestrisque vicibus moneo reservetis, ego à me procul arceo : miserations improborum cujusmodi sint, didici. Nam quid est, obsecro, quod miserationem hanc vestram inhumanam tandem commoverit ? quod in te nempe *hominem immeritum grassatus sim*. At ô gemina impudentia, & conciorum par callosissimum ! vosne ut audeatis vos *immeritos asseverare*, nisi forte vocis ambiguo colluditis, quorum alter Clamorem illum infamem atque infandum edidit, alter excudit, uterque divulgavit ? Discant omnes, quæ vos *cum bono Deo* affirmare soleatis, quam sint pro nihilo habenda. Nec precationem felicius, quam miserationem adscivisti ; aut ad *justam nominis tui defensionem* aggredienti veram & revercundam suggestat tibi Deus orationem, ab omni mendacio & obscuritate prorsus abhorrentem : Alterum enim nunquam es præstiturus, ut mendaciis abstineas ; alterum

rum iniquissimè precaris, ut cum tua facta obscenissima sint, orationem sugerat tibi Deus factis abhorrentem: quod contrà precari debuisses, ut suggereret tibi Deus non verecundam, sed obscenam: sic enim tua facta verbis saltem propriis & non mendacibus Deo atq; hominibus confessus es; sic non hypocritam egistis; quod Deo longè gratius fuisse. Nunc non Deus te, sed tua illa Dea audit Cotyto, sive ea Laverna, sive utraque est, labra tacitè moventem:

*Da mihi fallere; da justo sancto que videri:  
Noctem peccatis, & stupris objice nubem.*

Quæris quî sciam quæ tu tecum? dicam. Vocale quiddam, si nescis, omnis, totusque homo est: non lingua, non vox hominis sola loquitur; vita ipsa, mores, facta, quid quisque velit, tacente saepius lingua, clamant atque testantur. Tu itaque hæc tacitè; illa clarè; *Orationem videlicet ob omni mendacio & obscenitate prouersus abhorrentem, hoc est inquis dissimillimam tuæ.* De hoc utroque sigillatim à me tuo ordine respondebitur. A mendaciis exordiris: *nam ut hinc, inquis, ordiar, quid mendacius ipsa fronte libelli tui? quem, nescis quare, Defensionem secundam pro populo Anglicano vocem; re quidem verâ inquis tatem contra me Satyram & ventosissimum Panegyricum à te dictum tibi.* Næ tu mendacia jejunus admodum & esuriens, sed inani morsu captas, si toto libro nihil mendacius ipsa fronte invenire potes: Quam ego & veracem esse, & per omnia libro consentaneam facile demonstrabo; quid enim appositius, quid accommodatius ad defensionem Populi Anglicani, quam si ejus vitam & mores turpisimos esse convincam qui probrofissimo libello edito Populum Anglicanum tantâ injuriâ lacerassent? eum te esse confirmo. Quid si digressus aliquoties essem, & in materiâ præsertim tam tritâ & sape tristi Lectoris nonnunquam recreare animum aliunde experirer? Tûne adeo presius & minimè laxus homo es, ut latum unguem ab argumeti cancellis discedere quoquam licere non putas? quæ lex Rhetorum tuorum digressiones istiusmodi reprehendit? Ego si exemplis, quod possem, Oratorum illustrium explicarem quid hac in parte liceat & usitatum sit, efficerem ut appareret statim facili negotio, quam tu harum rerum ruditus atque ignarus sis. Nec solam Satyram, quod ais, in te scripsi, sed ut perspicerent omnes, libentius me & multo studiosius bonos collaudare, quam malos vituperare, clarissimorum aliquot nominum laudes qui vel patriam armis & consilio egregiè liberassent, vel mihi saltem facta eorum defendenti favissent, (cum id etiam causam cohonestaret) & passim admiscui, & pleniùs introduxi. Atque adeò ne hoc quidem, quod serenissimæ Suecorum Reginæ grates potius, quam laudes persolverim tu unquam ostenderis à Defensione Pop. Anglicani, cui illa impensè existimata est favisse, alienum fuisse. Quid si, quod objectas, me denique laudasse aliquantis per digressus? quis ea tempora, eas persæpe causas incidere non fateatur, ut propriæ laudes etiam sanctissimis modestissimisque viris indecoræ non sint, nec unquam fuerint? hunc etiam locum uberrimum exemplorum illustrare copiâ si vellem, equidem me omnibus facile probarem tu obmutesceres. Sed me nusquam laudavi; nec, quod criminaris, Panegyricum à me mihi met dictum usquam invenies: Singulare quidem in me divini numinis beneficium quod me ad defendendam libertatis tam fortiter vindicatae causam præter cæteros evocasset, & agnovisse fateor, & nunquam non agnoscere debere: & præclararam hinc minimèq; culpandam, ut ego quidem arbitror, exordiendi materiam sum profisile. Petitus deinde ab illo Clamore Regio convitiis omnibus atque calumniis, & infimorum numero habitus, non me laudibus, quanquam id nefas non erat, contra adversarios despectores, sed nudâ ac simplici rerum mearum narratione contentus, tuebar: id Populi Anglicani quem defendebam, quanti interesset, ut ego meam existimationem non planè abjicerem nec obtrectandam quibusvis & obculcandam relinquerem, præfatus antequam mei facerem mentionem sedulò ostendi: offensionem denique sicujus fortè hac in re incurrissem, haud negligenter sum deprecatus. Hæc tu si propter invidentiam & livorem aut non legere aut neminiisse non vis, quid est reliqui nisi ut crepes? nullum enim in fronte libri mendacium, nisi abs te per malitiam atque calumniam conflatum reperierit. Quanto mendacior *Alexandri Mori fides publica?* an te omnia in illo libro ex fide publica scripsisse audes dicere? atqui aut hoc tibi necessariò dicendum, aut libri illius fronti nulla fides est. Ita tu dum in titulo tuo putidus, in meo malitiosus es, aut fides publica

publica frontem per te, aut tua frons fidem perdidit. Pergis de mendacis. Alterum est, inquis authorem esse me libri, cui titulus, *Clamor sanguinis Regii*. Quod cum ego verum esse firmissimis testimentiis jam suprà demonstraverim, tēque illius libri certissimum curatorem atque editorem omnium iure gentium & legibus pro Authorē habendum est, sequitur ut quæ mei fallendi spe nixus hoc loco vociferaris, quasi author non es, tametsi infirma per se, atque inania sunt nunc fundamento illo fallaci subruto, suā sponte corruant atque subsidant: simūlque ut totum illud mendacium, illa omnis temeritas, imprudentia, immanitas, quā me per summam impudentiam hinc oneras, in teipsum recidat. Exclamarem itaque & frigentem & tuo laqueo impeditum, te hic prætero: nugas autem quasdam tuas sine risu non possum; per quas acutius & miserabilius exclamare te putas. Nam licet, inquis, ea crimina quæ in me conjicis vera essent, tamen contra jus & fas omne esset, quod nullius in nos authoritatis, quoddam tribunal excitas, criminationes publicè spargis. An nescis ergo, hominum ineptissime, idem hoc tribunal esse, eandem tellam atq; autoritatem, jus idem criminandi & judicandi, quod ego vestro primùm Salmatio, mox Clamatori Regio defensione justissima eripui? vestrum ego nunc exemplam atque judicium in vos converto, vestro jure utor; vestrum ipsum tribunal, vestra subsellia, quæ in nos parasitis, de vestris erepta manibus in vos justissimè statuo. Deinde, inquis, tametsi libri author illius essem, non tibi tamen integrum fuisse tot scommata nihil ad causam pertinentia huic propinare faculo. Videte, quæsio, æquitatem hominis: Sibi & Salmasio licere vult omnia, calumnias, mendacia, contumelias; nobis vera in illos criminia retorquere, quasi ad causam scilicet minus pertinentia, non licebit. Sanè qui res, rationēque rerum recto judicio ponderare solent, non dubito quin inecum sentiant, nihil vehementius ad causam pertinere, quam qualis vita atque moribus sit qui eam acerrimè detendat. Ego causam Regiam, qui vehementissimè defenderit, si aut corruptum esse aut facinorosum arguo, haud levi argumento impugnasse me causam Regiam satis intelligo: Si mendacem, si turpem, si perfidum per omnem vitam criminatorem nostrum esse ostendo, eundem quoque in nos esse eò facilius fidem facio. Tu interim cùm duo tibi proposueris; alterum, ut ostenderes nec esse te libri autorem illius, nec id fuisse mihi persuasum; alterum, falsa esse quæ in te conjecta sunt probra, nihil horum efficis; sed dissolutus ac fluens, modò huc, modò illuc vagando, tum eadem inculcando, ignarus quam in propinquuo tibi effusè nunc, pabulanti litens à tergo atque intactus hostis instet, dum nescire me putas quid sit libelli authorem esse, aut quid tu feceris, in eadem perstas vel futilitate vel fallacia. Quid commerni? quid peccavi? quando Populum tuum ləsi? Cavillaris etiam; quando boves tuos ant equos abegi? Non tu boves meos abegisti, Cacus pastor ut sis; sed alienas oves abduxisti, tuam deseruisti Phryx novus Alexander, vel etiam Cataphryx Morus. At sciscitari ex amicis credo poterām, quos isthic apud nos habes, nec paucos nec vulgaris nota. Quasi verò ego, qui *divinus*, ut aīs, non sum, tuos amicos quinam essent, scirem, qui ante hunc Clamorem belluimum abs te editum, ne vagiisse quidem adhuc te aut infantem natum sciebam. Aut tu planè sensu, vel saltem logicā destitutus es, aut ejus rudimenta non sic dedidiciles, relationes in sensum non incurrere. Itaque & inimicos esse tibi tam multos eōsq; tuā non pietate, sed turpitudine quæsitos necdum audieram; neq; ut ludibriis tam esses opportunus, neque ut tu Veneris nepos, Junonem sic iratam tibi haberet: quæ tibi essent infensa numina æque ignorabam, & qui essent Crantio Dii boni. Anni duo sunt, inquis, ex quo tuum hoc drama exornas. Quanquam hoc perradiculum est, quod optasse nunquam editum, id serò editum queri. & sum ego qui elaboratum rectè atque limatum siquid est, id diu accurasie si dicor, non reprehendendum me magis quam Scriptores quosque optimes putem, qui tarditatem scribendi imputaram sibi à sciolis facile contempserem, tamen & hoc esse falsissimum ex procēdio superioris libri intelligitur, ubi cur maturius non respondissem causam reddidi, & errare te vehementer scito, si operis tam ardui fuisse credis vel inanem clamorem refutare, vel te cuivis obnoxium ludos facere. Nec mili tot subcīvis horulis dicta illa *Floralia*, quæ vocas, quot tibi furtivis noctibus atque dieculis facta illa Fescennina stetere. Et periisse sanè, hic enim tecum sentio, paradisus ille tuus, & ficus & morus & sycomorus, quibus nequitiam tuam, quantum potuit fieri, honestè adumbratam, quoniam sunt qui rem oculis non visam, factam credi nolint, istius defensionis inanitatem ridens, vel argutè vel contemptim exposui: periissent, inquam, illi omnes

non sanè flosculi, sed arbusculæ, nisi tu in horto mœchatus es: ex hortensi & suburbana cultione tua, non ex urbanitate meâ amœnitas ista omnis effluit. Quod autem in frontispicio *Satyræ in te meæ* ( quæ non magis *Satyræ* est, quam quæ est Marci Tullii in Vatinium quemvis oratio ) tanquam propylæum operis illustre collocasse me ais, quid *Morus Græcæ* significet, frustrâ tu quidem propylæa somnias ; non ita eram decori nescius, ut sublime quicquam aut tragicum in historia tua ponerem : Ego tuguriolum illud tuum in horto, tu Palatium illud vetus, in quo hortus ille erat, fortasse cogitabas ; & in illa olitoris cellula, haud dubiè Palatinus adulter tibi videbaris. Id ipsum autem Græcè significare te dixi quod etsi lingua nulla esset, reipsâ te esse nunc dico. Illud tamen negaverim, quoties te tuo nomine Morum appello, *invidiam me velle*, quod quereris, *ex nomine facere*, & moriam tibi objicere ; mihi enim id ferè in mentem non venit : sed Professori Græcæ linguæ Græcum etymon Mori ita perpetuò salire per cerebrum tibi solet, ut nemo salutare te possit More, quin tu ab eo te stultum appellari morose admodum suspicēris. Hæc sunt & hujusmodi quæ tu paginis paulo minus viginti, cùm Authorem te non esse Clamoris Regii probare debuisses, nugatus es : in quibus singulis si otiori tecum diutiùs & morari vellem, ipse Morus essēm. Nunc tandem serio videris velle agere. Non rumores, non sermones, sed literas testes dabis, admonitum me fuisse ne in hominem innoxium incurverem. Literas ergo inspiciamus, quas in medium affers amplissimi viri D. Nieupertii Fæderati Belgij Legati ad te scriptas ; quas tu, ut videtur, literas non ad probationis vim, quam nullam habent, sed ad ostentationem solùm legendas propoluisti. Is, quod singularem viri amplissimi humanitatem declarat ( quid enim is non viri boni, qui tui indignissimi caufà tantopere laboraret ? ) ad Dom. Thurloiem Secretarium adit, tuas literas communicat. Cùm nihil se proficere videret, ad me duos viros nobiles, amicos meos, cum literis iisdem tuis allegat. Quid illi ? Literas illas Mori recitant, rogan, & Legatum Nieuportium idem rogare ciunt, uti literis tuis, quibus authorem Clamoris Regii negares te esse, fidem haberem. Respondi non esse æquum quod postularent ; neque tantâ fide Morum, neque id fieri solere, ut contra famam communem & rem alioqui satis compertam negantis de se rei & adversarii solis literis crederetur. Illi, cùm aliud è contra nihil quod dicerent haberent, pugnare desinunt. Si hæc non credis, tute percurre Legati literas, quibus ego nunc testibus in te utor. Optabat cum non invulgare librum : verū id mei juris erat & potestatis. Ne tibi banc injuriam facerem, ut illud tibi opus imputarem : At liquere sibi, aut unde sibi liqueret, injurium tibi hoc esse quod imputasse, non scribit. Saltem ut nihil vellem inscrere, quod te tangeret. Quidni verò te tangeret quod ad te pertinet, nisi id ad te non pertinere demonstrasset ? demonstrare autem non potuisse, argumento firmissimo est, quod cùm Dom Thurloio Secretario idem denuò persuadere velleret, nihil habuit quod nitteret, præterquam idem illud exemplum literarum tuarum ; ex quo & illud facile perspicuum est, rationes illas ad mealatas ob quis optabat, ne vellem eum librum evulgare, nihil conjunctum cum Reipubl. rationibus habuissé. Noli itaque tu literas Legati corrumpere : nihil illic de hostili spiritu, nihil de importuno tempore ; tantum dolere se scribit noluisse me rogatu suo tantillum moderationis ostendere : id est, noluisse me suo privatum rogatu tibi adversario publico rem gratam facere ; opus excusum & jam penè editum revocare & de integro retexere. Excusatum me habeat vir amplissimus, & præsertim Legatus, si injurias publicas privatis intercessionibus condonare noluerim, nec sanè potuerim ; multóque minus eas injurias Clamoris Regii, quæ neque ad bellum neque ad pacem recens factam ullo modo spectarent. Bellum illud contra Anglos, non contra Rempubl. fuit : bellum vestrum non contra Anglos, sed contra Rempubl. est. An si quis Regiarum partium per bellum Regium quicquam in nos commisit, id per pacem Batavicam à nobis non erit vindicandum ? si quis in Rempubl. nostram contumeliosè quid scripsit, id post pacem cum Batavis factam non erit resellendum ? an per alienum bellum plus Regiis in nos, quam per nostram pacem nobis in Regios licebit ? At non nos cum Regiis aut eorum Clamatoribus, sed cum iis Provinciis pacem fecimus, à quibus causa Regia longissimè sejuncta est ; eamque pacem in qua de hostibus nostris Rempubl. non modo non favendis, sed ne teucto quidem recipiendis nominatim exceptum est. At enim hoc intempestivum & ἀπειροκαλον fuit, quod alienissimo tempore cùm omnia hic & isthic festis ob pacem ignibus collucerent, tu solus gelidâ perfunderis. Evidem non in eo positam ἀπαιφονίā exstremabam.

Tu laetus homo ista melius: doleo non satis perpensa à me officii momenta in te mei. At graviter peccatum est: tum enim *latis clamoribus nostrum vestrum, ne cælum consonabat.* Quasi verò te ardiente & incendiario bene multato, non multo latius illi ignes pacifici & sociales reducerent: quasi etiam *vestrum nostrumque cælum* saustis clamoribus non malò latius consonet; cùm infastus & feralis inimicorum clamor compescitur. Quod tu itaque alienissimum tempus, id ego opportunissimum fuisse contendō: nec *obstrepisse* me, quod ais, *Pacis articulis*, sed *acciamasse* & *plausisse*. Postremò & me prorsus ignoras, & tibimet intra paucos versiculos manifestò mendax deprehenderis. *Abs te,* inquis, *quo factum sit animo non interpretor:* Et statim, quod *depositis armis, animalium retineres armatum.* Mirum ni ex eo bello quæstum feci, aut stipendium aliquod navale, qui factam pacem usque eò molestè tulerim. Dicam igitur quod me dicere neque ullum obsequium, neque necessitas cogit. Falleris tu quidem magnopere, si quenquam esse Anglorum putas, qui Fœderatis Provinciis me uno sit amior, aut voluntate conjunctior; qui præclarius de Republ. illa sentiat; qui eorum industriam, artes, ingenium, libertatem aut pluris faciat, aut sapientia collaudet; qui bellum inceptum cum iis minùs voluerit, suscepit pacatiū gescerit, compositum serio magis triumpharit; qui denique obtrectoribus eorum minùs unquam crediderit. Unde tu nullam in me calumniam mendaciorem aut minùs congruentem affingere potuisti. At *illum rerum cardinem auropatus esse videor, ut prodeuntibus demum articulis pacis obstreperem.* Tu scilicet cardo rerum; in te pacis articuli vertuntur; hunc si attingas, actum de pace est. At quem hominem? quo numero? civem credo egregium, Senatorem primarium, ornamentum curiae: immò ne civem quidem, sed inquilinum, alienigenam, & Scoto-Gallum impurissimum, odiosum omnibus atque offensum, Reipubl. hostem, qui si quò expulsus, ejecitus, & in rei malam amandatus esset, ne tantillum quidem articulis pacis noceretur; immò satisficeret potius. Tu itaque desine, si sapis, politicari; & pacis articulos cave dehinc missites, ne quis te ex pacis articulis Regii Clamoris editorem ad supplicium poscat. Pollicitus sum, inquis, Legato, *nihil indecens exiturum è calamo meo.* Neque sefelli; vel siquid omnino illa in parte commisi, in me solum commisi, dum tuos excutere putores, tua tractare inquinamenta sustinui: & quod illuc etiam præfatus sum, non tam quid me magis decuisset, quām quid te dignum esset spectabam. Nec tamen indecentius aut acerbius in te ego, quām olim viri gravissimi in improbum quemque ac perditum & concionibus honestissimo quoque civitatis in loco atque conventu habitis, & scriptis palam editis invecti sunt. Verùm ad illud nunc venio quod virum sanctissimum & hujus ætatis longè castissimum offendit Morum; *illoto scilicet sermone utor, verbis nudis & praetextatis.* Prepuberum hominis & prostibulum! Téne illota verba reprehendere qui facta turpissima patrare non erubisti? Jam non pœniteret profectò, si quid in hoc genere liberiū paulo dixissèm; etiamsi aliud inde nihil assèquutus essem, nisi ut elicerem ex te dissimulationem hanc improbissimam, tēque personatum omnibus vel hinc palam educerem hypocritarum omnium deterrium. Quod autem tu mihi dictum libro toto ostenderis, quod verbum illotius, quām hoc ipsum Morus? sed non in verbo neque in re, sed in te vitium omne atque obscenitas tota est. Tu Fauno quovis aut nudo Satyro turpior, bona verba uti nuda essent tuis moribus effecisti. Tuam nulla umbra, ne focus ipsa quidem, velare turpitudinem potuit. Qui te dicit, tuaque flagitia, eum necesse est obscena dicere. Itaque si in taum opprobrium vel nuda verba exeruistem, facile me etiam gravissimorum Authorum exemplo defendissèm. Qui ita semper existimarent, verba nuda atque exerta cum indignatione prolata, non obscenitatem, sed gravissimæ reprehensionis vehementiam significare. Quis unquam Pisoni Annalium scriptori, qui propter virtutem & pudicos mores Frugi dictus est, vitio vertit, quod in Annalibus questus est *adolescentes peri deditos esse.* Quis unquam Sallustium Scriptorem gravissimum reprehendit, quod etiam in Historia dixit;

*Ventre, manu, pene, alea, bona patria dilacerari.*

Quid Herodotum, Senecam, Suetonium, Plutarchum, Authores omnium gravissimos adducam? quos tu si negas verba etiam plusquam prætextata, rēisque satis turpes rebus gravioribus aliquoties immiscuisse, satis declaras te iis in

Authoribus versatum non esse. Hoc si omni tempore & loco indecens est, quoties tu Erasmo doctissimo qui Roterodami stat aereus, quoties Thomae Moro nostro, cuius tu nomen tuo commaculas, quoties denique iplis Ecclesiae patribus antiquis, Alexandrino Clementi, Arnobio, Lactantio, Eusebio, dum obsecra veterum religionum mysteria vel denudant, vel dendent, decenniae & obsecritatis dicam scribere debebis? Verum tu fortasse, ut int ferè hypocrita, verbis tetrici, rebus obsecra, ne ipsum quidem M<sup>sc</sup>ca illâ nostra irremunem abs te dimiseris; cum alibi s<sup>ap</sup>iens, tum etiam ubi Phiniæ hasta quâ parte mulierem transfixerit, si qua fides Hebreis, aperte narrat. Ne ipsum quidem liobum pudentissimum ac patientissimum, dum meretricem sibi uxorem nudato & prisco sermone imprecatur, si ipse alienæ uxori insidiatus unquam fuisset. Non te Salomonis Euphemismi censorem non Prophetarum scripta tuam turpliculi immò nonnunquam planè obsecra censuram effugerint, quoties Masorethis & Rabinis, pro eo quod disertè scriprum est, suum libet Keri adscribere. Ad me quod attinet, fateor malle me cum sacris scriptoribus ~~delegimus~~, quâm cum futilib<sup>s</sup> Rabinis ~~delegimus~~ & esse. Tûque frusta Marcum Tullium inclamas; qui si in aureo illo quem citas, de Officiis libro, illud jocandi genus elegans, urbanum, ingeniosum, facetum arbitratur, quo genere non modò Plautus & Atticorum antiqua comoedia, sed etiam Philosophorum Socraticorum libri referti sunt, id quod illuc legisse poteras, non ille mihi quidem nimis angustos, non nimis severos decori statuisse fines videtur, ut cuiquam difficile sit intra eos fines secessere; nedum ut ego me non continuerim. Noli itaque tu mihi homo inquinatissimus, de honesto & decoro ineptire; non est tuum, mihi crede; immò tu sic habeto, nihil minus decere, nihil ab ratione ipsa decori magis abhorrere, quâm te talem, qualis es, laatum sermonem usurpare, aut illotum reprehendere. Sed videris iunc velle rem omnem in pauca redigere: Non sum, inquis, autor Clamoris. Non suades. Res patet, dilucet, eāmque pluribus argumentis affirmare tam sit ineptum, quâm in clarissimum solem mortale lumen inferre. Desine ampullas; dic tandem aliquid. Ipse ego quantum possum reclamo. Nempe nunc denuò; minaciter modò & regiè; nunc miserè. Amici non tacent. Ex ore tuo. Ecclesiaste admonent. Fide tuâ. Legati confirmant. Ex literis tuis. Quid hoc omne aliud est, nisi illa initio tua singularis negatio, Non sum auctor? Verum tu, antequam ad hunc locum pervenisti, jamdiu intelligis miser quo loco res tuæ sint; quos in laqueos te indueris; quibus à me vinculis obses tenearis: nunc quantum voles clama, Te non authorem Clamoris esse; cum omnium gentium leges atque jura. Praeconem te mihi pro Clamatore, Procuratorem pro Authore tradiderint. Quid nunc Authore fiat, aut ubi terrarum degat, nihil moror: vixerit sanè in Gallia, & simul in Hollandia jucundum fuerit videre, quod narrat ipse, quibus ludibriis, quibus periculis Legati nostri eo tempore conflictarentur: sit vel Satanicae minister Synagogæ, non labore; hoc saltem unum bene fecit, quod te tam diligentem sibi tamque fidelem diaconum, non Evangelii, sed infamissimi libelli ministrum reliquit. Age nunc triumphos de me istos, quos ego flebiles tibi efficiam: profer in mediū, si potes, mea illa mendacia, meam illam imprudentiam, temeritatem, audaciam, pertinaciam & impudentiam, meum illud ingens piaculum quod te Regii Clamoris affirmaverim authorem. Clama quantum potes è longinquō ad Populum Anglicanum quem illo anteā nefario Clamore edito tam indignè læsisti: nam accedere non aedes. Vociferare, inquam, si satis in tuto es; Quantum te, Popule Anglicane, tua de Miltono fessellit opinio! Hæc enim ipsa dum clamas, dum plaudis tibi, & tanquam elapsi gratularis, nescis me lustra tua, & sylvas anonymas indagasse, nescis in plagiis te meis esse: sentit Pop. Anglicanus me non poenitendum vel defensorem juris sui, vel venatorem ferarum suarum. En ego te reluctantem obtorto collo, traductum per ora omnium, pestem populi, in Ecclesia verrem, caudâ non minus, quâm obliquo dente maleficum, in conspectum omnium protraho. Téque belluam Pop. Anglicano inspectandam, non Abdilitatis, sed Defensionis meæ gratissimum munus edo. Tu interea, nequid desit ad triumphum, quem de me, ut putas, deluso atque decepto agis, quod authorem Clamoris te dixerim, adhibes, ut solet, jocos. Et frontem, inquis, immerito perficere diceris, tota enim jamdudum frons tibi periit. Noli nunc de me queri; noli sarcasmos; & sannas & scommata, simulata rursus gravitate, reprehendere: memineris ut hi ludi à teipso instaurari & introducti nunc sint; ut reprehensos modò & damnatos ipse nunc revokes. Facetus esse cùpis; non succurrat in præsentia: suggeram itaque ego tibi jocos quosdam

quosdam tuos ; & quod triumphum maximè deceat, militares: quique admoneant te temporis cuiusdam, in quo frons tua tam validè *perficta* est, ut tibi tum multo maluisses totam frontem periisse. Meministi fortasse illius diei, immo verò diei, credo, & horæ & loci meministi, cùm tu Pontiam in domo Salmasii ultimum, ut opinor, convenisti : tu illam, ut copulæ renunciares; illa te, ut nuptiis diem diceres. Quæ ubi è contrario pactum stupro conjugium dissolvere in animo tibi esse videt, tum verò tua innuba, non enim dicam Tisiphone, impatiens tantæ injuriae in faciem tibi atque oculos, non sectis unguibus, furens involavit. Tu qui teste Crantzio (præstat enim non sine tua fide publica tantum certamen exordiri), qui teste, inquam, Crantzio *Gallie Atticæ*, Latinè feroculus essem, teste, Deodato, *terribiles unguis ad tui testam haberes*, pro virili tua parte ad scœmineum hoc genus pugnæ te comparas. Stat arbitra certaminis Juno Salmasia. Ipse Salmasius in conclavi proximo decumbens pedibus æger, ut prælium commissum audiit, iisu penè moritur. At heu nefas ! imbellis noster Alexander, & Amazoni congregatus impar, succumbit. Illa inferiorem nocte, in frontem & supercilia natumque hominis tum primùm supernè peccat : miris capreolis & Phrygiano opere totum jacentis vultum percurrit: nunquam tibi More lineamenta Pontiae minùs placuere. Ipse plena jam utrâque margine genarum, scriptus & in mento necedum finitus, ægrè tandem surgis: sed ne poeniteat te, homo ad unguem factus; non jam Professor, sed tamen Doctor Pontificius: jure enim poteras tanquam in pieta tabula scriptisse, *Pontia fecit*. Quid autem ? Doctor ? immò codex jam factus, in quo ultrix Pontia sua adversaria exaravit stilo novo. Sensisti puto Vlacci tabulas Tangentium & Secantium ad radium Cifrarum nescio quot lugubrium in pelle tua excudi. Tu tum More facie non integrâ domum te proripuiti: fronte quidem exporrectâ, quam vix contrahere jam poteras; superciliosus tamen & caperatus, quippe derepentè multò literator; & quantum potes, abdis te quoque, reconditæ ut posses dici homo literaturæ. Eho noster Ecclesiastes ! ubi es ? quid lates ? expectant te jam nunc, qui tibi aures è superiore loco dicenti accommodare solebant. Sed tibi misero nunc Pontia è superiore loco dixit, tuisque auribus unguis accommodavit. Redde nunc tuum vultum nobis, Ecclesiastes, antiquum sanè & rugis venerandum; cur apocryphus vis esse ? cùm ipsa Pontia Pontifice canonicus jam maximè sis & rubricatus. Quin etiam hinc Critici, inde antiquarii ad fores te inclamat; tui videndi desiderio ardent. Emanavit, nescio quo pacto, novas quosdam inscriptiones Gruterianas apud te esse; alii Arabicas, alii Copticas aiunt; qui verius, Ponticas ex terra Taurica. Omnes uno ore consentiunt pulcherrimas esse oportere, utpote in ære frontis tuae tam graphice, Pontiano præsertim onyche, insculptas. Nemini respondet Morus, omnibus negatur, spernit omnium desideria; & delibutus unguentis domi, literas dediscere Pontianas mavult. Hæc habui, More, quoniam te mecum jocandi cupidum animadvertis, quo ego tuum de me triumphum velut militari carmine exornatum volebam. Quidni enim pugnas tuas tum maximè commemorarem ? quanquam palma quidem erat Pontiae; illa tibi lemniscos tantummodo reliquit. Etenim quod tuum non est, tibi non attribuo; tametsi tu id toto libro, quasi absurdum meum insectaris, oblitus te procreatione & chirographo tuo fidejussorem mihi factum; oblitus, quod æs alienum tu esse dicis, id nunc legitimè non minus tuum esse, quam cujum tu esse dicis. Tu itaque coecitatatem cyclopeam mihi exprobasti; & quod impudentius est, dum id negas fecisse, iterum facis: Qui nulli tum fuerant oculi, nunc *exemptiles* & *Lamianas* sunt. *Narcissus* nunc sum; quia te depingente nolui Cyclops esse; quia tu effigiem mei dissimillimam, *præsixam poematisbus* vidisti. Ego verò si impulsu & ambitione Librarii, me imperito, Scalptori, propterea quod in urbe alias eo belli tempore non erat, infabré scalpendum permisi, id me neglexisse potius eam rem arguebat, cuius tu mihi nimium cultum objiciis. Tu itidem is es, qui clarissimum virum, Consilii Statûs tum Præsidem, contumeliis incessisti; de quo iratior, quam de meipso, quæsivi ex te quid aliud esset calumniari perpetuò bonos, quam esse Diabolum. Hinc tu pulchram noctis hypocritandi occasionem ex Crantziana videlicet calumnia, quasi ego *Christi Doctrinam de Divortio quemadmodum à Theologis explicari solet, diabolicam dixisse*, qui ater modò eras & maledicentissimus, nunc albus repente factus, & mitis & patiens agis gratias, quod te communis cum cœlesti doctrina convitio honestem. — Hyæna ! aut si qua alia est bellua, tam tetrâ fraude noxia atque infamis ! túne cœlestem

doctrinam tot tuorum facinorum asylum atque persugium speras fore? Sed perge quò tendis: si enim Theologorum quasvis explicaciones pro cœlesti doctrina amplecteris, toto cœlo, ut te dignum est, erras. Quin & Apostoli gloriosum illud cum bestiis pugnandi martyrium tibimet tribuis nequissime; qui nuper non homo cum bestia, sed ipse bestia cum homine, id est cum foemina, de fide connubiali abs te rupta pugnam tam inhonestam pugnâsti. Reversus deinde ad mores pristinos, solitâmque jactantiam, dicendo me provocas. Neque verò, inquis, mihi tantum derogo, quanquam nihil arrogo, ut te commodiùs aut facilius quam me putem posse dicere. Concedo equidem, si tibi istum in modum furari licet: haec enim ipsa verba, quibus copiam tuam vendiras, ex oratione Marci Tullii pro Roscio Amerino apertissimè furatus es. Atque hinc puto est, quod Francofurtanas nundinas librorum tuorum Catalogo tam copioso nobis obtrudas cùm editorum tum edendorum: ex quibus aliqui sunt quos videre gestiam; & imprimis illum *de gratia & libero arbitrio*, ad amicam præsertim illam si scriptus est, cuius tu nunc gratiam, rejectâ pro arbitrio Pontiâ, accommodato forsitan argumento ambis: tum illum *de Scriptura sacra*, quorum Scriptores multa humanitùs & imprudenter scripsisse ferunt te affirmare: illam deinde *pro Calvinô*, quem tu veluti Prophetam extructo monumento Pharitaeus exornas, vitâ & moribus jugulas: nam quæ prodibunt opera tua, quæ premis & retractas, & ad umbilicum spectantia moliris, ea meritó suspicantur omnes esse turpissima. Illam *de piis fraudibus dissertationem* sancè expecto: nam de impiis abs te factis fraudibus abundè audivimus: enim verò *Commentarius ille tuus*, quinam sit in quintum *Evangelium* futurus demiror; nam illa quatuor priora jamdudum factis abnegâsti: unde & *Theoremata illa practica* mirè desidero, nam tu in practicis egregius homo sine controversia es; id quod de te tot fabulæ non facile testantur. Ad illa autem loca novi fæderis, & *axiomata quibus ex veteri novum fædus illustratur*, Pontiæ quoque notas vellem simul ederes. Et postremò isthuc memineris, te alterum volumen operum tuorum, quod Genevæ in Bibliotheca publica etiamnum extat, totum omisisti: uti etiam inscriptiones illas, cum frontispicio mirabili, quas quamvis opus Pontianum, in tua tamen membrana tuas esse, adstipulante etiam Justiniano, rectè dixerim: nam Noctes tuas, nescio an Atticas cum Pontiâ, sive dialogum morillum, alii spuriū, alii duntaxat embryonem, qui subtilius non inter libros, sed inter liberos tuos numerandum existimant. Sed properabas credo ad alteram instituti operis partem, calumnias meas. Nam mendacia, id nempe unicum, quod te authorem Clamoris dixerim, partem tui operis longè maximum tandem aliquando consecuisse te significas. Cùm autem leve hoc merito cuiquam videri possit, etiamsi falsa aliquâ persuasione imbutus attribuissem tibi librum istum, alioqui nec improbatum tibi, nec tua existimatione indignum, cur unum tantummodo noxam tam verbosè tam iracundè summa cum invidia rei per se levissimæ sic exaggeres atque exagites, perinde quasi in se omnes impietates & crimina complectetur, nisi jam antea docuisssem, id magis mirandum possit cuiquam videri. Sed ea nimirum arx erat unica, in qua spem omnem collocaveras; si persuassis plerisque te authorem Clamoris non esse, méque mentitum, in altera parte quam de calumniis vocas, de quibus quod pro te dicas nihil proorsus habes, sperabas te facili defensione usurumi contra me scilicet mendacem jam antea compertum, téque omnes vitae maculas apud longinquos & ignotos hâc arte gratis eluiturum. Verùm ego cum præter spem opinionemque tuam te authorem Clamoris tergiversantem licet & reclamantem legitimè arguerim, non dubito quin ad flagitia quoque tua, & quas tu calumnias dici mavis, accuratiè prout res feret exequendas apud omnes rerum æquos æstimatores fidem integrum attulero. Nunc quam frigidè, quam invitè, quam planè santis in morem vari ac vetuli has abs te dictas calumnias tractes, quámque infeliciter amoliri abs te coneris, reliquum est ut ostendam. Primum cunctabundus, & incerto pede à prioribus castris in hæc altera cum multis impedimentis ægrè & ne vix quidem transis: quippe à mendacio non ad alterum mendacium, id enim non audes dicere, sed ad *calumnias duntaxat & rumusclos*. Itaque ad mendacium illud toties jactatum, modò dimissum atque præteritum perpetuò recurris, cum præfens arguere, siquod esset, deberes: & adversarii quod miserum est, quam tui securior, in illo errore, quemadmodum credi vis mèo, quam in tua nunc apud te recta conscientia multò plus repositum tibi spei atque præfidii declaras. Atqui non meo, siquod fuit, mendacio, sed tuâ te veritate, siqua fuit, munire debuisti.

debuisti. At enim *authoritate propria* meras calumnias intento, *quas nullo arguento probbo, nullo teste confirmo.* Vis igitur dicam apertius rem ipsam? nam te, ut video, præista mollitie frontis non perficit, sed inscriptæ modò, pudet dicere; qui ne stuprum quidem aut adulterium toto responso nominare homo prudentissimus & flos castitatis ausus es, ne *vanissimam fabulam* scilicet & obscoenam, id est tua facta retexeris. Dicam ergo, & quia non abnus, rerum ordinem sequar.

Est Claudia Pelletta quædam, pellicem posthac nominemus licet, nescio tuam solum; quæ, cum ancilla in eadem domo honestissimi viri Genevensis esset, in qua tu hospes eras turpissimus, cum calone & rhedario communis tibi suit. Eâ mulierculâ, postmodum nuptâ, quod stupri tecum habuerat commercium adulterio continuavit. Cedo testes, inquis, & argumenta. Nugator! quid tu testes ex me ubi non sunt, quaris, quos ubi erant, fugisti? Genevam revertere, ubi horum criminum jamdiu reus factus es. Dic velle te modò abolendæ calumniæ causâ judicium his de rebus legitimum fieri; invenies qui tecum libentissimè his de criminibus experiri lege velint; qui vadari, qui sponsonem facere non recusent. Nec testes deerunt. Aderit in primis Hortulanus ille qui te vidit, cum in illud tuguriolum cum fæmina solus intrares; vidit, cum illa Claudia tua clauderet fores; vidit postea egressum te, amplexantem palam cum muliere impudica, & usque eò petulantem ut illum veterem hortorum custodem obscoenum, non ex fico, ut olim, sed ex moro factum conspexisse existimat. Aderunt & alii quos viri gravissimi, qui tuum nomen detulerunt, testes in promptu habent. Cujus tu testimonii vim veritus cum dimanasse rem illam tentires quam in occulto patrasse te arbitrabaris, ut infamis ille reus Sielliensis, non jam quid responderes, sed quemadmodum non responderes, cogitare coepisti: & paulo ante ferox judicique cupidus (nam de aliis quoque multis rebus & antea & tum etiam deferebaris) demissus repente & consternatus abeundi licentiam (id quod plerique maximè volebant, ne in rem tam fædam de Pastore suo inquirere cogerentur) quasi jamjam abiturus petisti. Per hanc tu rationem liberatus judicij metu, cum alibi non haberetis quod te reciperes, omni munere cum Ecclesiæ tui Scholæ, omnique stipendio privatus, octo circiter vel decem menses in eadem urbe foedis factis notatus detrectata causa dictione vixisti: quo nullum majus argumentum contra te esse potuit. Nunc posteaquam oblatum tibi certamen defugisti, tuisque commodis carere omnibus, quam judicium de illa re pati maluisti, posteaquam tuo ipsius judicio temet ipse damnasti, à me homine longinquo testes & argumenta ridicule fane quærvis. Quinimmò, ut dixi, Genevam revertere; & quando vadimonium illud tam male obiisti, I sodes ad supplicium quod te illic manet adulterio debitum; si pristina illius urbis religiosissimæ disciplina nondum refixit. Ad illa verò sponsalitia stupra tua quod attinet cum Pontia, quæ te ubique decantatum & digito monstratum insignem hominem illis in Provinciis reddidere, multo minus est cur à me testes & argumenta postules. Famam ipsam communem, constantem, & illa centum vel potius mille ora, si vis, in judicium voca hæc totidem sunt testes quibus si in foro saepe creditum est, cur ego de adversario publico non crederem? cur ego solus quæ in ore omnibus & sermone sunt, adversarius tacerem? sed nec testes hic mihi, nec justo numero nec literæ desunt; in quibus literis & libidines tuæ & illa perjuria quorum ope elapsus ex judicio es, cum horrore ac detestatione maxima narrantur. Sunt & muti testes qui etiam sine voce testantur; illa nocturna itinera quæ totes Hagacomitis Leidam curresti; illi nocturni & furtivi congressus cum Pontia; cum qua tu muliere per causam, ut aiunt, impudicitiae divortium fecisti. Si tu eam parùm pudicè versatam interdiu cum aliis credidisti, cur alii te continentiore noctu cum eadem consuevisse crederent; an expectas dum servulum tuum in te producam, nequitiarum tuarum diu conscient, donec nondum planè amissò pudore, ausfugere abs te in bonam frugem conspectæ ipsis oculis libidines tuæ pudefactum coegerunt? Opus utique non erit servum illum ad quæstionem poscere: Ipse detestatus tanta in Ecclesiastico homine flagitia latè prædicat. Tu interim ut lectorum, si non aures, at latè oculos invitare possis, oratiunculam nescio quam intercis hic putidissimam, Historicorum more, lunulis adnotatam, quali acutissimam nimirum & lectu dignissimam: non orationem, sed chorum quendam Battologorum introductum abs te aliquis putet; amicorum scilicet tuorum, hortantium ut *te ipsum reverearis*; ut *ungues tuos*, quos tibi fatentur non deesse, ad necessaria magis tempora, Pontianam credo alteram dimicationem, velis

velis potius reservare : mecum ne velis *in arenam descendere*. Sed perdunt suam operam amici verbosissimi, sua monita præclara, tot curta adagia, triviorum symbola, oleum nempe tuum Battologiae professor : illis posthabitatis me potius usus es consultore adversario, ut responderes cum tuo magno malo. Non ut *tuum ego silentium in conscientiam ne verterem*, sed ut conscientiam tuam suo, quod optat, silentio frui ne sinerem. Nam attendite quæsto, & cognoscite nunc, si unquam alias, hypocritam numeris omnibus absolutum. Videt necesse sibi esse aliquid pro te dicere ; se intuetur, quamvis invitus ; videt in turpi præter turpe nihil esse quod possit responderi ; circumspectat ecquid foris propè se refugii sit, ecquid adminiculi quo inniti possit ; ecquid quo se tegere, tub quo latitare ; ecquos in societatem & communionem scelerum suorum possit attrahere, ecquem ordinem aut genus hominum suis privatis rationibus illigare, ut causam suam quasi communem communi periculo & alio um existimatione defendeter ; nihil magis idoneum invenire potuit, in quod omne suum dedecus transferret, nihil in quod deonerare spurcitiam suam commodiū posset, quām ipsam Ecclesiam Dei : *Si mea, inquit, propriè tantum res ageretur, imponere fibulam ori meo & obmutescere poteram exemplo Domini mei : sed universus ordo noster, & Ecclesia Dei pér meum petitur latus*. O scortum & ganearum Antistes ! cujus non ori magis, quām inguini fibulam impositam oportuit ; quanto tibi præstisset obmutuisse, *exemplo Domini tui*, cui Christus Dominus silentium cum capistro imperavit, quām Ecclesiam Dei hāc tantā ignominia affecisse ? *Ais universum Ordinem vestrum à me licet obliquè stigmate notari*. A me ais ? dic ubi ; recita, si potes, locum ; nisi fortè quōd ego in mercenarios, id tu in Ministros Evangelii dictum putas. Erras More, & aliud fortasse multo justius haud absimile conquestus esses ; non ego vestrum Ordinem obliquè, sed te extra ordinem tua Pontifex & oblico & directo & trantverso stigmate notavit. *Ecclesia, inquis, Dei, cui mea omnia tempora consecravi, per meum petitur latus*. Per tuūmne latus turpissime ? qui tantum abest, ut omnia tua tempora Ecclesiæ consecraveris, ut ipsa Ecclesiæ tempora, omnissimo nonnunquam matutino concionandi munere, furtivis libidinibus consecrassé haud temel dicaris. Ne repeatam quid etiam temporis famosis libellis Ecclesiastes contecraueris. Per tuūmne latus ? at nihil omnino est quod graviore cum vulnere Ecclesiam petat, quām tuum ipsum impurissimum Ecclesiæ tam malè contiguum latus. Hoc si vis intelligi per tuum latus, id est, per tuam turpitudinem propter tua sceleria Ecclesiam opprobriis impiorum peti, maculâ aspergi, infamiam contrahere, hoc quidem verum esse non diffiteor. Itaque universus ordo tuus, & Ministri præsertim Gallici, qui te optimè norunt, ne tuo illo pestifero latere diutius periclitentur, te ipsum quantum possunt, tuique contagionem amovere ab se atque depellere conantur : causam ullam aut rationem tuam communicatam sibi nolunt ; ne scelerum tuorum atque dedecorum participes fiant : ejetum te ex suo ordine, & exturbatum, ut meritus es cupiunt ; & illam, quam aīs fibulam ori tuo impudicissimo affigere conantur. Macte estote integritate vestra atque constantia, viri Ecclesia digni ; prospicite, ut instituistis, Ecclesiæ puritati, existimationi, disciplinæ exemplo : amovete à lateribus vestris immundum illud & verrinum latus, cuius non solum iētu Ecclesia læditur, sed affrictu etiam polluitur. Nolite hanc indignissimam contumeliam pati, ut is cum flagitorum suorum nomine meritis conviciis atque infamia petitur, non se peti, sed quasi is, quia coenum hominis est, idcirco murus & munimentum Ecclesiæ esset, per suum latus Ecclesiam peti dicat. Abigate procul ab Ecclesiæ septis concionantem lupum ; vocem illam hircinam tot stupris & adulteriis impuratam, populo verba dantem, imò vendentem, idque è superiore, quod jactat, loco, ne siveritis in sacro coetu amplius audiri. Profectò si Ethnicorum legibus, verbi gratia Solonis cautum est, ne quis Rhetor turpitudine vita notatus, civilem concionem habendi ad populum, ne Atticorum quidem si disertissimus fuisset, jus haberet, additāque præclara ratio est, plus exemplo nocere turpem, quām oratione quamvis castissimâ atque sanctissimâ prodesse, quo etiam nomine Timarchus, vir inter primos illius Reipub. accusante Æschine, damnatus est, quanto est indignius scortatorem adulterum tanquam Dei nuntium & ministrum, ad Christianum Populum sacras habendi conciones jus in Ecclesia perniciosissimum obtinere. Nolite committere, ut Magistratus Ethnicus, Deique expers, religiosior atque sanctior in foro fuisse quam Christi sacra synodus in Ecclesia esse videatur. Nolite vereri, quem iste scrupu-

scrupulum callidus injecit, si eum quem approbat, cui sanctas manus impo-  
 suistis, cui gregem Dei commisistis, perspectum nunc adulterinum & spurium  
 ejeceritis, ne quis vestrum judicium aut prudentiam desideret; neque enim  
 Paulus hac in parte, ut sc̄istis, vidit omnia: illud veremini, si Pastoris in mu-  
 nere talem retinueritis, ne omnes non judicium modò & prudentiam, sed reli-  
 gionem quoque & pietatem & gregis denique curam in vobis requirant. Hæc ad  
 pastores de te, More; nunc ad gregem pro me pauca dicam. *Patrie, inquis,*  
*mea greges qui pascuntur inter lilia, nescio quam in invidam vocas.* Utinam ne ista  
 lilia, spinas esse aliquando sentiant; verum non ego tuæ patriæ greges in invidi-  
 am, sed tuus Clamor Regius ad societatem sui furoris vocare cupiebat. Quem  
 enim non irritassent istiusmodi opprobria? *maxime omnium Galli nostri reformati,*  
*non modo horrendo factō percussi, sed ejusdem injusta infamia pressi, plurimum alloborave-*  
*runt, ut parricidium & parricidas cognoscerent.* Hæc & multa alia acerba quidem &  
 planè hostilia Clamor iste Gallorum sub nomine Reformatorum, in nos cla-  
 mitavit: ad quæ omnia respondi solum, Gallis etiam reformatis impositam ean-  
 dem olim necessitatē fuisse, ut suum quoque Regem hostis numero haberent.  
 Verū ego incogitantior (quid enim de me non fatear potius, aut non indi-  
 ētum velim, quod Ecclesiæ Galliæ Reformatas, quas esse scio nobis omnibus  
 charissimas, in invidiam vocare possit) incogitantior, inquam, fui, qui isti in-  
 sanissimo Clamori vocem ullam Ecclesiæ aut fratum interjectam esse cre-  
 didisse. Scimus eos quo sub regno vivant, quibus in periculis, quibus in angus-  
 tiis evangelii causâ versentur; & tamen ampliū hoc sibi esse, si tueri sua  
 queant. Nos ut vel minimam nostra causa invidiam apud suos Reges aut of-  
 fensionem susciperent, nunquam petivimus; ut de nostris factis aut consiliis  
 suum sensum declararent, tametsi fratum judicia plurimi semper fecimus, ta-  
 men ne hoc iis periculum crearet, nunquam postulavimus; preces eorum, non  
 sententias aut suffragia prodeesse nobis censuimus, suam autem erga Reges  
 fidem ex suo in nos odio verborumque acerbitate perspici aut probari non  
 arbitramur. Multa deinde præteris, *qua nimis meum in religione animum pro-*  
*dunt;* & sapis: fac & illud quoque præteras, quod te hominem sacris addictum  
 Cotytiis, credo, aut Isiacis, non Evangelicis (nisi addictum ita ut devotum  
 intelligis) adversarium, quod ego mihi honestissimum duco, nactus sum. At  
 enim illi qui diversum à nobis in religione sentiunt, sic enim tibi prospiciens, Eccle-  
 siæ prospicere vides, ex ista fabula Ecclesiæ nostris insultandi ansam arripunt,  
 quæ patientur ipse qualia vulgo turpia dictu sacrificulis objiciuntur suis: & merita  
 quidem, si patientur, verū spes est, non esse passuras: salus certè unica rerum  
 est, si pati noluerint. Si enim patientur, quæ tu in me tela levissima conjectisti,  
 ea in te ego acutissima retorqueo. *Satana triumphus paratur, scandalum infirmi-*  
*ribus creatur, inimicis gaudium, sociis dolor, fidei damnum.* Hæc vera sunt non me  
 accusante, sed te impunito. Talem esse quenquam in Reformata videlicet  
 Ecclesia Ministrum adversarii gaudent: accusat aliquis? multum, mihi crede,  
 de isto gaudio protinus remittunt: damnatur is incorruptis & integerimis Ec-  
 clesiarum suffragiis? Nihil æquè dolent: nam qui Presbyterum Reformatum  
 flagitiorum inculsat, accusat idem sacerdotes omnes & sacrificulos eorundem fa-  
 cinorum sibi conscos: qui illum absolvit, hos multo facilius absolvat necesse  
 est. Frustra nos quidem opinionum quarundam & dogmatum, frustra etiam li-  
 dei reformationem gloriamur, nisi morum sancta cenlura pariter quoque vigeat.  
 Non doctrinam tantum reformatum, sed Doctores reformatos esse convenit,  
 si ereptam sacrificulis, ereptam Satana insultandi ansam cupimus. *Magnum, ais,*  
*honorem habere me Ordinibus Fœderati Belgii, quos indigere putem notore me:* monitore  
 opinor volebas dicere. Immò verò tu illis quem honorem habuisti? quorum  
 existimatio gravissima tam apud te parum potuit, ut eorum de te opinionem fal-  
 lere turpissimè malueris, quam flagitiosam vitae tuæ licentiam refrænare: quique  
 ejusmodi homo cùm sis, arrogare tibi tantum potes, ut existimes tot viros gra-  
 ves atque prudentes te notore, etiam è superiore loco indigere; tuo admonitu posse  
 unquam sapere; ut idcirco os tuum è suggesto importunissimum tantæ gravissi-  
 morum hominum frequentiæ, & præsertim sacræ concioni offerendum sit.  
 Qui denique apud quos tanto te in pretio esse dicis, iis nihil aliud nisi aut mini-  
 mum judicium, aut maximam doctorum penuriam relinquis. Minimum pro-  
 fectò ip̄i sui honorem habent, qui abs te Doctore & Ecclesiaste meliores disce-  
 dere te posse crediderint. Verū tu nihilominus buccam inflas: *Quid nunc,*  
*inquis, memorem tot illustres ac principes viros, tot proceres, tot Ecclesiæ, tot Academ-*  
*mias,*

mias, que me sovent & ornant, vel optant & exambiunt. Et ego, quid, inquam, nunc memorem tot agyras, tot empiricos, tot seplasiarios, tot circulatores, quos Romae aut Venetiis iisdem penè verbis suas pyxides & pharmaca vendentes, præterieras audivi. Atqui dum hec scribo, inquis, literas accipio quibus ad Ecclesiastæ ordinarii munus & sacræ Theologiæ professionem invitor in urbe nobilissima. Nam hoc certè habes, in quo omnes Doctores circumforaneos venalitios ambitione superas. Primum per amicos tui similes occultam das operam, ut quot potes ex locis inviteris: posteaquam id difficile repertum est, ex quo jam passim notus es, hoc solum (quæ tua animi egestas atque mendicitas vera est) miserè contendis, & nonnunquam perfidis ut omnino inviteris, quamvis ea diserta lege & pætu interposito, ut omnino ne venias. Hoc modo invitatum te nuper in Galliam, & ni fallor, Montalbanum, invitatum & Franekeram; vel Groningham intelligo: Harum utram in urbem sanè nescio, in alterutram sat scio: de loco enim fateor nondum mihi satis liquere, de re satis. Hanc demum rationem ex cogitare coacti sunt homines importunitate tuâ fatigati & vici, quâ & abs te simul tanquam à peste sibi caverent, & tuæ miseræ gloriolæ multo cum risu vela panderent; tèque erraticum sophistam & planum tuismet ventis ludibrium commendarent. Sed ne cui fortè vanior quam mendacior esse videaris, in illud nunc incidimus usitatisimum tibi & impudentissimum artificium quoedam tuum maledicendi simul & maledicentiam vituperandi. Quoties enim strenuè conviciando vel ad inopiam vel ad ravim, quasi ad incitas redactus es exhausto penu, dum novum virus colligis, subito bonus & bellus abhorrente te fingis à conviciis omnibus: nolle te scilicet *Intra ludere*, nolle *sordes miki regerendo manus tuas coquinare*; non placere tibi de cane *Lurante viatoriam*; malle te *omittere latrantem caniculam*. Quid hæc quælo nisi convicia sunt? quæ dum deponere te dicas, totis viribus intorques; ita caudam atterere & simul ringere idem tibi est: idque ipsum agis, dum agere te negas; usque è totus ex mendacio confatus, ut ne verax quidem utrovis modo sine mendacio esse possis: ii enim negas te nunc maledicere, quod tu negas, verba ipsa, te invito, fatentur; si fateris, tua eadem verba id ipsum, quod fateris, negant. Quid est, si hæc non est maledicendi ars illa, quam tu *Dæmonum Rhetoricam* infamis libelli editor vocare te ait solere. Sic tu nimirum homo sanctus & veriloquus, *Christum didicisti & doceas*: id est, dum latrare te negas, mordes. Tibimet tam apertè mendax, in me ut sis religiosior, non expecto: tentas, ut video, omnia, captas omnia; si quem forte rumuscum, aut susurrum aquilones cum fugitivis famigerantibus ad vos perferunt, aures arrigis: Hinc illud, non is es, inquis, de quo mentiri fama vereatur; minus quidem tu hic subdolus es, quam soles. Famam etiam mendacem mihi ministeris; dici nempe me aliorum ingenia ex moribus meis estimare, nulli non vitio quod insequer obnoxium. Ergo ego scortator, ut fama mentitur, ergo adulter; hæc enim in te crimina inlector. Fac sanè periculum famæ; age, insimula, dic, si quid habes, audacter & clare; tempus, locum, nomina simul ede; quod ego in te facio. Dic cum qua Claudia Pelletta, dic cum qua Pontia, dic siquo in horto, siqua in domo, noctu an interdiu, siquod in judicium adductus unquam sim, siquod unquam recusaverim: hæc tibi omnia dicenda sunt, hæc ego in te omnia demonstravi. Invenies profectò me ad injurias meas tuaque crimina persequenda attulisse hanc dicendi libertatem, & anteactæ vitæ meæ certissimum indicium atque fructum, & agendæ posthac firmissimum propositum. Nunquam me liberratis hujus poenitere audies, ut Luciuim Crassum pœnituisse olim ferunt, quod Caium Carbonem unquam in judicium vocavisset; cùm hac sua severitate præcisam sibi aut circumscriptam in posterum liberius vivendi veniam apud omnes arbitraretur. Is Caium Carbonem civem improbum in judicium Senatus populique Rom. vocavit: ego te, More, & meo & pop. Anglicani nomine, quem tu infami Clamore edito prior lacestisti, illo Carbone multo nigriorem, judicia patria detrectantem sacerdotum omnium judiciis trado. Quid tui interim famigeruli de me missent aut loquantur, unicè securus. Tu senties eam esse vitæ meæ & apud me conscientiam, & apud bonos existimationem, eam esse & præteritæ fiduciam & reliquæ spem bonam, ut nihil impedire me aut abstergere possit, quo minus flagitia tua, si pergis lacestere, etiam liberius adhuc & diligenterius persequar, tèque simul tuálque etiam famæ quas meditaris corruptelas & perfidexero facile & riferio. Interea, ne cui dubium sit, quin tu omnia pervestigando nihil prorsus in me habeas quod verum crimen sit, aut si haberes, quin id cupidissime statim & malitiosissime dices modisque

modisque omnibus amplificares, videamus quām non crimina quāe sint, des crimi-  
ni; etiam rectē facta quām odiosè calumnieris. Primum cur Clamori autoris  
anonymi responderim quæris, & non tot aliis qui nomen ediderunt suum. Quis adver-  
sario tam aliena & inepta interroganti rationem redderet? ego tamen ut quām  
æquanimiter tecum agam videas, reddam. Cur Clamoris authori responde-  
rim, rogas? quia iustus, inquam, publicè ab iis quorum authoritas apud me  
gravis esse debuit; vix alioqui manum admoturus. Deinde quia nominatim le-  
sus: nam & tu hic, quamvis id minimè velis ut existimationis aliquam meæ  
quoque rationem ducam, veniam vel invitus dabis, quam omnes boni dant,  
scio, libentissimè. At cur non aliis, inquis, respondisti? Clamat & illi, nec  
minus fortiter: rursus respondeo, ut prius, quia ad rationes publicas non vocatus  
non accedo. Deinde, quia non læsus; nam & hoc, quamvis tu id maximè  
velles ut impanè tibi quenquam lædere liceret, non est leve. Deinde quia ex  
vestro ipsorum judicio tantum Salmatio tribuimus ( quem Defensorem Regium,  
quasi solus is esset & instar omnium, nominare soletis ) ut post illum posse  
quenquam aliud dicere quod momenti esset non existimaremus. Vis plura?  
quia liberum erat; quia non vacabat; quia denique homo sum, humana  
mihi latera sunt, non ferrea, tu licet Alexander ærarius sis. Aliud quiddam  
opus est, ut mihi videtur, quo tot importunis Clamatoribus ora melius ob-  
tinentur. Quām multa tuus ille Stentor anonymous clamitabat, quāe à Sal-  
matio clamata prius & conclamata erant? quibus ego toties repetitis, quam-  
vis cūm miseria ac tædio sæpius respondissē, tamen quia cum isto vocifer-  
atore verboso certare ubique non libuit, languet tibi scilicet oratio mea, quoties  
pro populo dico: tibi, inquam, cui Gallicā nive frigidius est non esse tautologum.  
De me si accuratius dixi, non eò id feci, quo ego minus populo quām mihi  
studarem, sed propterea quòd tuus Clamor tum quidem novum aliquid sup-  
peditabat, unde possem ab odiosa crambe vestra nonnunquam respirare.  
Quod itaque facetè inquis non immerito Defensio pro populo secunda dicitur; quo-  
niam id faustum est, ex ore præsertim adversarii, omen accipio. Tu licet no-  
vum quotannis clamorem edideris, rumpas te prius licebit, quām clamorem  
secundum edidisse dicaris. Alterum meum crimen est quòd in Laudes Re-  
ginae Suecorum serenissimæ per occasionem ab adversario ipso datam, di-  
gressus sum: & inter alia dixeram ( satis modestè quidem ut opinor ) nequid at-  
tribuerem mihi quòd Reginam contra Regiam, ut videbatur, causam, tamen mihi  
favente reperissē, nescire me planè quā meā sorte id evenisset: malebam  
ad sortem, ad sydera, ad, si quis est occultus vel animorum vel rerum, consensum  
aut moderamen, quām ad meum quicquid erat, vel ingenii, vel accuminis, vel  
copiæ referre videri. Hanc tu calumniandi simul & parasitandi materiam na-  
ctus, fremere extemplo, quasi indignum hoc esset; & lutum illud in visceribus  
tuis concretum, in ore mox tibi, ut frequentissimè solet fluitare. Age, de-  
spue; quid est? eam inquis propterea tam importune laudabas, ut cum ea te compone-  
res lutum. Tūne Morus es an Momus? an uterq; idem est? utro te nomine ap-  
pellem dubito: quis enim præter Morum aut momum tam sinistrè ac perperam  
interpretatus hæc esset? quod ullum dictum modestissimum hæc tanta malitia non  
depravaret atq; perverteret? Tum illud simul depromis ex peculio tuo servile &  
parasiticum; nesciebat Christina se tibi esse tam familiarē. Téne scabellum homi-  
nis ex tuis loculis & immunditiis Christinæ suggerere quid nesciat aut quid di-  
cat? atqui sciebat se illa pro sua singulari in literatos benevolentia Salmatio fa-  
miliarem; cui me tamen arbitrio suo liberrimâq; sententiâ haud semel dicta est  
prætulisse. Sed hoc unum, inquis, Regina non meruit abs te laudari. Abs te ergo il-  
laudatissime? concedo libens! quis enim obstare potest, si tibi modò libeat vel  
invitissimi cuijuslibet laudes contaminare? experire sanè; persequere modò istud,  
quod veluti specimen laudationum tuarum egregium hoc loco inseruisti; quām  
supra mortalitatis modum innitata natura vis, & stupendum ingenii lumen everit.  
Perge, inquit, & macte isto ore: ab isto exorsu quantumvis in sublime evo-  
les per me licet: isto enim tenore, si perrexeris mirificum tu quidem fastigium  
ac prōpe nuoferum tan̄ altis sublitionibus impositurus videris. Mihi, fate-  
or, non placet sic altè insurgere, unde statim necesse erit, vel ridiculè ruam,  
vel inter nubes frigescam. Attamen iis, inquis, dotibus insignis es, quae possunt  
etiam heroibus animum laxantibus placere. Esto; sunt & tuæ dotes & præsertim  
scripta, quæ heroios placere quiddam aliud laxantibus, possint. Et in primis  
ista tua quæ sequitur sapientissima & ministelle te digna ad typographos con-  
ciuncula;

ciuncula: quam idcirco prætereo: nam ad tertium jam crimen meum pervenit; quod dixi nimirum, ut cum famulo me peregrinè fuisse. Crimen grave; quo ego nomine haud uno in loco perstringor: id scilicet nefas erat meminisse, ne versificatores vestri, qui ex egestate nescio qua emersisse me per hanc rerum apud nos conversionem versificabant, cecinisse falsa reperirentur. Jocum verò hic tuum, quando hæc tam rara avis est, non possum prætermittere. Non equidem vobis *Typographis litem unquam intenderim, non certè magis quam illi servo qui Miltonum euntem peregrinè comitabatur.* O longè & miserè petitus! quid hac capit is cucurbita facias, ex qua, ut id maximè labores, nullam salis micam potis es extundere. Sed quietus homo & fugitans litium es; itaque non meo sed ne tuo quidem servo litem intendis, qui domesticæ turpitūciniis tuae fugitivus, secretiora flagitia & nefarias libidines tuas divulgavit. Quartum est, si quidem id crimen dici meum debet, quod tuum est mendacium, *in eodem scilicet libro, quem scatere, ait, discinctiorum nepotum festivitatibus, ausum me censuram agere, & graviter concionari de Republ. deque civium officio.* Quis non germanum te nunc dicat Epicureum? cuius neque in moribus honestas, neque in scriptis urbanitas ulla reperiatur. Mirum non est si hoc nomine facetiis omnibus infensor sis, cùm quia negantur tibi, tum quia te pungunt: non mirum est inquam, si tibi tam ulceroso sal omnis inimicus est. Id mirum, Professor cùm sis, cur mihi succenseas qui sic diligenter salaryum tibi cure. At verò quos tu *jocas è lustro popinique despumptos* falso ait (nisi despumptos ex lustris idcirco dicas, quod te illic latitantem extraxerint) eos si cæteri omnes non inhonestos aut illiberales, sed honestos atque urbanos tuamque putredinem perficanti sales concessos non negaverint, tum quidem tua professoris insulti ignorantia, ut perspècti alias, hinc satis manifesta est, qui id parum convenire dicas, quod Marcus Tullius in oratore summum esse statuit, ubi de oratione L. Crassi in Cn. Domitium summa cum admiratione sic loquitur. Nec enim concio major unquam fuit, nec apud populum gravior oratio, quam hujus contra collegam in censura nuper, neque lepore & festivitate conditor. Et paulo infra, id uni Crasso contigisse ait, ut non solum venustissimus & urbanissimus, sed & omnium gravissimus & severissimus & esset & videretur. Quin etiam Platon & Socratis nihil magis convenire aut decuisse visum est, quam rebus interdum severissimis intermissus atque inspersus lepos. Hæc ego viris doctis & intelligentibus quin & supra & nunc denuò satis probaverim, non dubito. Te interim non reprehendo, qui mollior, inquis, debuit esse transitus à naso ad supercilium: nam digitorum Pontiae credo adhuc meministi, quam iste transitus abs tuo naso ad supercilia minimè mollis fuerit. Fœlicem te quidem, si hoc tum mulierculæ persuassis: sed de oratione transitionibus, More, judicium longè aliud faciendum est. At leges scribo, hoc quintum crimen est, quibus se teneat non populus modò, sed illi etiam qui me præceptore nihil egerint. Quid tu mihi quo quis egeat, homo levissime & arrogansissime? tene superiore ex loco egerint Fœderati Ordines concionatore, me ex inferiore, quod omnibus ex æquo civibus licet, nostri non tam egeant libero hortatore? non est, More, cur ego me natum in mea patria tam inutilem existimem, cùm te in aliena tam arrogantem videam; non est, quam ob rem te mercede concionantem, quam me gratis monentem rectiora putem posse suadere. Hæc mea quinque sunt peccata mortifera; nam illa septem, opinor, confidere nequisti. Ex quo intelligitur, inania quam fuerint quæ condonasse mihi te dicas, cùm sint tam levia, quam criminis. Nisi & illud fortè criminorum mihi vis esse, quod Deum testem invocarim; & certè parum abest ut istud quoq; in criminibus meis numeres. *Hinc illa, inquis, nimium sine sollicita protestatio.* Quenam ista fuit, More? audies vel invitus; nec illam nunc recito, sed iisdem conceptis verbis (neque enim pœnitet, & hic etiam peregrinationem meam calumniaris) rursus Deum testem invoco, me illis omnibus in locis, ubi tam multa licent, ab omni flagitio ac probro integrum atque intactum vixisse, illud perpetuò cogitarem, si hominum latere oculos possem, Dei certè non posse. Hæc tibi *nimium sollicita protestatio* est, More: cui non magis sollicitum est, Deum testem invocare, quam invocatum pejerare. Quam multi & quam multis de rebus te accusent, non ignoras: aude modò, siquid in te integri, siquid incorrupti est, iisdem quibus ego nunc præivi tibi verbis, te ipsum defendere. Dic age in hæc verba: Deum testem invoco me ab omnibus illis flagitiis quorum insinuolor, integrum atque intactum semper vixisse; me neque Claudiæ, neque Pontiae, neque ullius omnino fœminæ stupratorum esse aut adulterum.

Non audebis, opinor, tametsi facile perjurus esse diceris, in hæc verba præuentem me sequi. Verum si Dei non aedes, hominum saltem fidem implora. Genevam, inquam redi, permitte te illic magistratibus & populo; dic illis ut castum & innocentem hominem, falsò insinulatum, deceat: Viri Genevenses, multorum apud vos & gravissimorum criminum accusor; si ita vixi, si inter vos ita versatus sum, ut hæc per idoneos testes & argumenta probari vobis possint, en sisto me; legitimum pati judicium, quod antea recusavi, nunc non recuso. Hoc multo minus audebis, sat scio: malis tergiversari, ut supra dixi, malis aliunde persugia & latebras & diverticula veterani lectoris in modum querere. Veruntamen honestam suisse illam orationem meam fateris; sed præcedenti parum consentientem. Cuinam præcedenti obsecro? vellem recitasses: ego enim aliquot retrò paginis pro certo habeo, ne minimum quidem obseceni vestigium inveniri posse, quia tanto intervallo de te nulla sic mentio. Quod siquem alium locum intelligis, ubi in tua vitia falsè animadversum est, velim te scire, quicquid tu ex Platone detorsisti, neque alienum esse neque inverecundum eodem in libro cum acrimonia & sale (profiliati enim pudoris verba nusquam illic reperies) & turpia insectari, & de Deo cogitare. Sane si oratoris præceptum hoc verum atque honestum est, in eodem vultu convenire & pudorem & acrimoniam, quidni itidem in eodem ore convenient? Nullius enim pudentis pudorem minuit vehemens & falsa turpitudinis exprobatio vel etiam irrisio, sed pudorem, in quo prius non erat, impudenti reo nulla res efficacius incutere videtur. Tu vide ut cum pudore & cogitatione Dei tua stare perpetua possint mendacia, Ecclesiastes adulterine; qui scripsisse me ait Romæ martyrii suisse candidatum; structas ab Iesuitis vita mea irsidiis. Ad quod utrumq; mendacium diluendum opus est nihil aliud, nisi ut quis locum ipsum libri inspiciat: & cur ea de re aliquid omnino scripserim, conjecturâ per se assequi nemo facile non poterit, cui id modò credibile non sit eum ob fligitiæ in Italiæ profugisse, qui religionis ibidem confitende periculum toties adierit. Nugaris deinde multa; & macharas & legiones garris Pontiae mastigia. Verum hæc satis risimus: nunc luculentam & insignem hominis calumniam quoq; attendite; ut cognoscatis qua fide vel in sacris etiam literis, quas cum summa Ecclesiæ ignominia profitetur, versari soleat; quam nulla isti falso Ecclesiastæ religio sit verbum ipsum Dei sacrosanctum corumpere, si id commodum sibi fore crediderit. Ego ut refellerem eos, qui Grammatistæ aut Critico Magni titulum & cognomen largiri ineptissime solent, sic scripseram: Is solus magnus est appellandus, qui res magnas aut gerit aut docet, aut dignè scribit. Quis hac verissimâ sententiâ offendatur, nisi Grammatista? Quid hic noster profesor? id est, inquit, qui res magnas docet, ut Miltonus de divortiis, aut dignè scribit ut Miltonus idem pro Populo, bis magnus. Lepidum sane interpretamentum, More! & ejusdem planè artificii, quo Evangelii etiam locum illum de divortiis non verbo, sed factis interpretatus es. Licet obsecrationem dimittere vel uxorem vel sponsam: Morus cum despontata sibi Pontia scortatus est; ergo, licet Moro sponsam ob scortationem dimittere. Vos O tot Principes, tot Proceres, tot Ecclesia, tot Academia, que hunc hominem foventis & ornatis vel optatis & exambitis, evocare nunc certatim hunc vobis, quâ sacrarum, quâ profanarum literarum interpretem tam fidum & religiosum; ut sacras profanare literas apud vos quâ fæcis, quâ commentis suis possit. Vel si id minimè vultis, nam Doctorem hunc commentitium longè latèque olfecisse jamdiu videmini, date saltem & concedite hoc palpum tumoris hominis & gloriolæ: evocate quoq; per literas quam honorificas Ludionem hunc cathedrarium; sed cum hac cautione, si salvi esse vultis, clam interposita, cum hoc urbanissimo interdicto, ut nullo modo accedat. Miro profecto reddet ludos inter tot Cathedras, dum professions & prælectiones & murmura & plausus & Pontias novas sibi somniant. Sed dimitto nunc hominem, quia me prope dimittere. Alio se vertit; imò verò quò se vertat, non habet. Simulat velle nunc de vita & moribus suis causam pro se dicere. Exordiri jam putares hominem, & velle aliquid præfari; cùm in ipso statim præfationis vestibulo, elusa omnium expectatione perorat. Tam tenui se esse argumentum, tam turpe etiam dum repetit, vel ipsa rerum inopia subito exarescit, vel ipsa foeditate percussus & quasi syderatus obmutescit: Vultus, vox, latera deficere videntur; animus tamen veteriorius, & ut dixi antea, indurati utroq; jamdiu foro veteris & crebri fontis artes non deficiunt. Quò me vertam? quò te vertas, miselle? quis unquam nocens

reus demissa barba sordidatus & squalens tam miserabili procēmio deprecatus unquam judices est? quō te, si innocens, si insōns, si tutus undique tibi es̄es, quō te, inquam, nīl ad te verteres? tecum loquerere, te consuleres, extra te ne quāreres? Sed heu miserū te! discordia tibi tecum gravissima jamdiu est. Nihil tibi invisum magis, quām tecum habitare, apud te es̄e; neminem libentiūs, quām te ipsum fugis. Frustra: tecum enim fugis miser, te sequeris: Quod agitat intus est, intus & flagellum & tortor Argus ille tuus, qui te semper non fūneris, quod quereris, artibus, sed piaculorum tuorum Oestro agitatum, cinctus mille oculis ac testibus persequitur. Quid nunc agas? nam aestuantem te miserē & pendentem video. An tuas ipse landes vesanus decantares? vesanus profecto sis, si id suscipias; vesanus, si id unquam cogitabas. Vitāmne conscribas & facinera omnia tua? pervellem equidem; sed vereor ne non Morus, sed Florus nimium in tuis floralibus, id est, multo brevior quām par es̄et, futurus sis. Vereor ne invideas nobis tot lepidas fabellas, qui unam solū retexere, hortensem nimirum illam, tantopere gravatus sis. Sanè qui illas lites Junonias omnes, qui illa jurgia Salmasii prætermiseris, qui prælium illud nobile Pontianum mihi tantiis rebus parūm idoneo reliqueris, qui denique totam illam Pontiæ Sestia scicco pede præterieris, præteribis opinor silentio Tibaltianam quoque illam, & illius nuper domus calamitatem, ubi tu procax in ancillam, proditor in herum extixisti: nam ancillis, ut videtur, quocunque vadis, nullum abs te refugium est. Tacebitur & vidua illa, quam tu, solatii tum plenus, nunc inops, cùm de marito recēns mortuo velle consolari præ te ferebas, ejus pudicitiam tentasse diceris: Nec dices credo quā domo egredientem te cum scorto intempestā nocte Amsterdami illa mulier vedit; quæ delinita primū pollicitationibus tuis, mox accepta, novissimè nomen tuum ad Presbyteros detulit; qui tuum nomen recipere, quod ob priora facinora ejiciendum ex suo ordine & circumscribendum statuebant. ne auēto scelere, cùm augeri poena tua non posset, augeretur ordinis infamia, recusarunt. Quid ergo? an qua fecisses uno cum servo itinera nocturna illa nempe Haga Leidam posteris narrares? ne hoc quidem sat scio, voles: verū illa servus ipse passim copiose narrat, & permulta alia præclare abs te gesta: cætera jam tritissima plurimisque per ea loca testibus confirmata. Age verò; post dubitationem sanè miseram quæ te perplexum tamdiu atque suspensum tenuit, post tui fugam, quō tandem fugis? quō ad extremum te recipis? fidei, inquis; publicæ monumenta consulamus. Acta tua credo jam publica, quæ in Bibliotheca Genevensium enumerata centum prope articulis tuorum sceleurum monumenta posteritati servantur. A Geneva exorsu, inquis, fabellam nescio quam poetarum autoritate subrixam instituis. Ferax tu quidem sæculum poetarum dicis, qui tot una in urbe, tibique omnes infestos quāraris; nigrum te aliquem oportet esse, ipsoque moro nigriorem, quem tot poetæ oderint; festivum quoque hominem, qui quorum authoritas testium te jugulavit, eorum nunc poeticam iniquiorem in te causeris. Verū ista te festivitas nihil in hoc tempore adjuvabit. Permulti sunt in illa civitate viri honestissimi nonnulli Presbyteri, Doctores, Ministri, nescio an Poetæ, qui fabellam tibi hanc in foro agere cupiunt; qui non sua carmina recitare, sed tua crimina pro testimonio dicere parati jampridem sunt. Nemo sic unquam poetam recitantem, ut tu hos omnes contra te testantes & fugisti & fugies. Adeóne verò singulare impudentiā occaluiti, ut institutam in te legitimè accusationem testatissimam, cuius vim atque autoritatem cùm sustinere non posses, discedendi, & veluti in exilium abeundi licentiam exorāsti, hanc tu qualis fabellam nescio quām eludere & uno verbo leviculo sic amoliri abs te posse existimes? At permulti sunt, inquis, in hoc Belgio, qui me Geneva familiariter usi optimè omnium norunt quām non ibi nullo in pretio fuerim. Audi igitur quæ sint honestissimorum hominum de te judicia primò Geneva, deinde in Belgio. Duorum verba ipsa ex literis desumpta, in medium proferam.

Literæ Geneva datæ pridiè Id. Octob. 1654.

Mirari certè nostrates satis non possunt, ita te interiora ignoti alijs hominis noslē, tam nativis coloribus depinxisse, ut ne ab illis quidem, quibus familia-ritissimè usus est, tota hominis histrionia vel certius vel felicius potuisset adumbrari: unde hærent merito & ego cum illis, quā fronte ~~et~~ <sup>et</sup> licet homo & oris improbi, in publicum rursus theatrum prodire sit ausurus. Illud enim sum-

summum foelicitatis tuae hac in parte compendium, quod non vel ficta vel ignota alias hominis scelera attuleris, sed quae omnium & amicissimorum etiam ore decantata, integri coetus autoritate & assentu, immo plurium adhuc scelerum accessione luculenter possint corroborari.

Et infra. Credas velim vix ullum hic reperiri amplius, ubi multos annos publico munere, sed cum summo hujus Ecclesiae dedecore fructus est, qui prostatu pudoris homini patrocinium suum vel audeat vel sustineat amplius commodare.

Hæ sunt eorum voces, qui penitissime te nōrunt: quam turpem tui memoriam Geneva reliqueris, hæ literæ, aliæque benè multæ si proferrentur, docecent. Nunc in Belgio aliisque locis quā famâ sis, quo in pretio cognosce. Viri probatissimi tibique noti non literas solum, sed quoniam abs te prius nominatus, idque in tua causa, atque laudatus est, nomen quoque edam. Is est vir gravissimus Joannes Duræus; qui dum Ottone sola fide nixus interponit se, mecumque agit, ut innocentem te scilicet missum facerem, non potest non fateri simul quā longè alia de te cæterorum pænè omnium existimatio, aliisque sermo sit.

*Ex Literis Duræi Basilia, Octob. 3. 1654.*

Quod ad Mori vitia improbitatemque attinet, non videtur Ottonus ita de eo sentire: scio tamen alios pessimè de eo loqui, manus ejus in omnes penè manus omnium in eum esse, plerosque etiam Gallicæ Synodi ministros dare operam ut ei Pastoris munus abrogetur. Neque hic aliam Basileæ reperio de eo hominum opinionem, quam quæ in Belgio est eorum qui eum minimè amant.

O pulchrum elogium! quo tu omnium penè mortalium judicio Ismaeli hosti Ecclesiæ, quā in Ministro pacis & Evangelii similior judicaris. Hunc tuae ubique gentium existimationis testem integerimum, si potes, rejice. Mihi credulitatem desine objectare: *Nemo omnes, neminem omnes se fellerunt, tua tibi verba regero.* Hæc cùm ita sint, perficiam haud multo negotio, ut intelligas, quā in exiguum tibi in aliis praesidium sit, cùm tam exiguum tibi in teipso fuerit. Quod enim potest aliena fides testimonium de te aliis perhibere, cùm tua fides perhibere nullum quod juvet aut cui confidas, de temetipso possit tibi? Et vide te quæsto quā dissoluto animo, quam abjecto desertor sui & persuga ad patrocinium alienæ fidei ab se transfugiat. *Neque vero, inquit, tempus teram in eorum sollicita refutatione, quacunque tu garris.* Laudo te læti animi atque jucundi, nihil tu magis sollicitè, quam sollicitudinem ipsam vitas. Mea modò *nihil* sollicita tibi fuit ad Deum protestatio: nunc tuam non minùs sollicitam putas tuorum criminum refutationem. Atqui ego si duntaxat garrio, haud multam sanè sollicitudinem tua refutatio desiderabit. Ignavissimus profectò sis, aut male conscius necesse est, cui tam facilis tuimetipsius defensio, tam gravis & sollicita videatur: ineptus planè & ridendus, qui nullum tempus inutilius terere te putas, quam in eo ipso quod ad rem, siquid vides, & ad causam maximè pertineat. *Nam quid proficiam, inquis, si fabulam hanc penitus retexuero?* statim aliam ordieris. Sanè quidem difficile id esset nemini: neque de nihilo te urit ista suspicio. Tanta enim tu solus fabularum sylva es, ut ex tuis unius rebus gestis atque nequitiiis suppeditare centum triviis atque circulis unde multos in dies rideant satis fabularum unus possis. Atque adeo hujus fabulæ aëtum jam quartum peregrimus: exit Morus; aliam credo vult personam induere. Ut semel inquit defungamur, quod fuerit Ecclesia Genevensis, quod civitatis illius de me judicium hæ docebunt literæ Testimoniales, alia occasione data. Ita est; ad elogia nunc transfixus; actus quintus incipit: nova planè persona, sed eodem tamen subtus latente More, prodit cornicula, sed & ea quoque personata: miris nescio quot repente plamis adscititiis atque coloribus ita indutus, ut Phœnicopterus nescio quis potius, & exornati quiddam monstri simile videatur. Aves Aristophanicæ expoliasse hominem dices; sed malâ ave, ni fallor; cum se non jam fabulam agere, sed apologum Æsopicum in se verum demonstrare nudatus intellegit. Cùm enim hasce plumas nec tuas esse, More, & partim obsoletas, quæque suâ sponte mox defluant, partim falsis coloribus fucatas, partim dolo, malisque artibus surreptas docuero, dubium non est, quin delusus abs te olim grex avium, nunc factus certior qui sis, de repetundis plumis jure tecum sit acturus?

asturus ; & ablato quisque suo, obscoenam sub phœnicio upupam non deplumine te modò, sed depygem demum relinquat : Primæ omnium literæ *Genevensium Testimoniæ* cristam tibi erigunt : quas illi multò maliūt, sat scio, aut nunquam tibi datas, qualis postea evalisti, aut abs te nunquam prolatas. Semper ego quidem de Genevensi Civitate, pro eo ac debeo, honesta omnia & sentire soleo & loqui : religionis cultum purioris, primùmque studium, in Republica deinde prudentiam, æqualitatem, moderationem, constantiam propè admiror ; quā se tam arctis finibus, inter vicinos hinc inde potentissimos & imminentes, summâ in pace ac libertate per tot jam annos conservat & tuetur : rectiusque in re vix mediocri & melius id agit quod civilis vitæ omnis principium atque finis est, idque populo suo foecilius præstat, quam summis opibus instructi, summis opinione hominum adjuti consiliis reges maximi servientibus præstant suis. De Genevensibus igitur, quod eorum laudem & existimationem possit imminuere, non est ut quicquam velim aut queam dicere, etiam si de his literis Testimonialibus ea dicerem, quæ & ab aliis dicta olim ipsi fatentur, & ad me recentiū allata sunt. Sed necesse non est ; non dicam igitur qua occasione sint datae ; propterea quod ipse non hac, sed *alia occasione* datas esse ait. Non quæram, utrum summa Ecclesiæ Senatusque voluntas honorarium hoc Moro testimonium sua sponte concesserit, an impudentissima hominis postulatio, cùm accusatus gravissimorum criminum nequisset se defendere, ab iis duntaxat abstulerit qui Ecclesiæ Pastorumque communi existimationi perperam metuentes, amandare ab se hominem quoquo modo malebant, quām hac publico judicio severius perquiri, nec sine offensa fortassis infirmiorum palam agitari. Non dicam, id quod multi tamen dicunt mihi que confirmant, nec conventu frequenti, nec solito conveniendi die datas hasce literas : ne id quidem dicam scribenti adstituisse Morum ; unde illud fortasse *tralatitium*, & exambire ex elegantiis Mori selectioribus tam in promptu erant ; & *rupta concionante Mоро subfella, gemmeque illa clarissimæ* ; quæ omnia usque eo vel cupiditatem scribentis vel judicium non grave significant, ut non solum nimio laudandi studio laudes ipsas corrupisse, quod vitium ab eo qui totius nomine Ecclesiæ scripsit, quam maximè abesse debuit, sed indignissimum ornare dum studet, non tam vivum decorare, quam mortuum & putentem illis odoribus differtum funerasse videatur. Non dicam denique illa nomina in conventu subscripta non esse, circum vicos cursasse Morum, & pastores domi singulos adortum, quo sibi facilius hasce subscriptiones expugnaret ; Propterea quod erant in conventu qui reclamare, qui intercedere, qui obsistere non desinebant, qui tetè non audiri graviter conquesti sunt. Nihil horum dicam ; quod nonnulli tamen dicant, etiam qui illo tempore Genevæ rebus illis omnibus interfuerent ; multi aliis in locis *Dicum hominumque fidem implorantes atque jurati nulla se similitate, sed offici religione commotos, hac dicere* ; adeoque illis literis fidem se adjungere non posse ; quorum inter primos virum sanctissimum Fredericum Spanhemium, Theologiae professorem & pastorem reverendum fuisse intelligo : Hoc solum dico, hasce literas, quod idem de literis reverendissimi viri Joannis Deodati est dicendum, ante sexennium datas, multis postea maleficiis ab ipso Moro oblitteratas jampridem esse & antiquatas. Nondum increbuerat Claudia, nondum hortus, & illa, ad Claudiam nescio an cum Claudia, Mori suavissima cohortatio :

— *Poma alba ferebat,*  
    *Qui post nigra tulit Morus :* —

Id quod viris proculdubio integerrimis & honestissimis, harum literarum subscriptoribus, quin imposuerit non dubito. At postquam illa cum muliere, primò ancilla, deinde nupta, occultari diutius consuetudo istius nefaria non potuit, factus iterum reus, cùm honestam rationem defendendi sui nullam inventiret, & manifestis in rebus teneretur, fractus jam animo, atque id maximè veritus, si judicium fieret, nequid in se gravius consuleretur, quo ipso die pronuncianda de se sententia Presbyterorum, deinde Magistratum erat, judicium declinat, licentiam abeundi petit. Illi necessitatem hanc rati fe hoc modo effugisse, quam impositam sibi minimè volebant, ut Ecclesiæ Ministrum tantorum scelerum damnare, & in homine Ecclesiastico tam triste exemplum statuere coherentur, libenter assensere. Petit insuper literas impudentissimus homo commendatitias. Id vero postulare ab judicibus suis reum indignè ferentes, prorsus

sus recusant: ita bonus ille tabellarius permanere sine literis illa in urbe, omni munere exutus, circiter decem menses coactus est: Etesius credo sacrificans, ut aliquam saltem auram commendatitiam impetrare aliquò possit: Donec multi gravissimi viri ne morari quidem ejus illa in urbe ferendam rati, rursus rem adducere in judicium coeperunt. Id autem cum ad novas lites, &c, ut supra dixi, offenditionem infirmorum spectare videretur, consultius tandem visum est, quo modo hominem ablegare: rursus itaque dant literas; non frigidulus, quod antea dixisse me queritur, sed, quod nunc dico, frigidissimas; non ut commendare cuiquam mortalium, sed amandare ab se hominem planè videntur. Hoc si ita non est, More, postulo mihi respondeas, cur superiores illas Genevensium literas, haud uno nomine jam obsoletas, quæque recentiora facinora tua à me tibi potissimum objecta, ne attingunt quidem; quæ ego vix attigi, ut iniùs mihi comperta, blasphemias nempe tuas in Spiritum sanctum, aliisque opinionum monstra uberioris commemorant, cur & illas in quibus parum tibi de te credi à plerisque subscriptores tui queruntur, cur, inquam, illas utrasque in medium protuleris, has novissimas de medio removeris? Cedo proximas hasce literas post alteram in te accusationem illam gravissimam ab aliis ægerrimè, ab aliis facile, sed eodem tui removendi animo ab omnibus concessas: Sapiens opinor, non exhibebis; non delectant te istæ literæ: ex quibus mutatam de te Genevensium opinionem, res igerata amicissimorum studia manifestè perspicere possumus; eosque his literis non te laudatum, sed ab se, dummodo longissimè removatum, qualvis in terras exportatum cupiisse. Hæc Mori fides publica est; quam se in Ecclesiam credere, quam in Spiritum Sanctum planius facit. Quæ reliqua à me dicta in eum sunt neque diluit, neque refellit, ne oppugnat quidem. Sed quoniam Vlacco fidejussore, tomum insuper alterum fidei publicæ promisi, in quo virorum aliquet insignium, Seruus ue & Ecclesie Midelburgensis, & Amstelodamensis testimonia dicentur, dum volumen illud, cudentum, puto, in Gallia, excudendum Hagæ-Comitis à Vlacco expectamus, aut ne expectamus quidem, vi sum est de toto hoc genere testimoniorum pauca differere.

Magnum ego ornementum quidem virtutis testimonium publicum esse fateor; argumentum perinde certum atque firmum longè abest ut existimem; nam ut illud omittam quod virtutis multo difficilior quam nummorum spectatio est, hoc sanè constat, privatorum privatos mores, & præsertim vitia ad aures gravissimas, tot alicui negotiis occupatas, rarissimè perferri. Et testimonium publicum tam qui petunt, quam qui dant, boni juxta malique ferè sunt; & pertinet quidem mali scepis quam boni, falsa specie proborum induit. Ut quisque optimus est, ita minimè testimonio eget alieno: neque enim fecit quicquam vir bonus ut nascatur, seipso contentus. Si commendato est opus, virtutem semper apud se habet commendatricem optimam; si defenso, obrectationibus nimirum & calumniis haud raro appetitus, eandem circundat sibi integritatem suam, & invictam recte factorum conscientiam; quo veluti munimento atque præsidio firmissimo, improberum hominum & impetus vanos excipit, & tela frustratur. Contrà hic noster omnia: non enim virtutem, sed opinionem dumtaxat ejus integumentum vitiorum, sibi comparaverat: ut retectus, ut deprehensus, abscondere diutiùs, improbitatem suam non potest, exors ipse fidei & naufragus ad alienam fidem se confert: quorum oculis antea servierat, eorum nunc manus commendatitias implorat; & singulari quadam atque inaudita hæc tenus impudentia, quorum judicium experiri non audet, eorum postulat testimonium. Propterea quod meanet ipsius sententia damnatus turpissimè discedo, quod sententias vestras horreto atque defugio, literas quælo date innocentiae, pietatis, radicitatæ apud vos ~~in~~ testimoniales. Si hæsitatur, si ambigitur, si ab aliis denique reclamatur indignitate rei vehementissimè comunitis, quod non demittit se? quo non descendit? circumcurfare, ambire, prensare, obtestari, & quod adire non audet, eò amicorum allegationes dimittere. Aguntur fortune hominis, agitur caput, existimatio, immo Ecclesie totius & sacri ordinis existimatio agitur. Expugnantur multi, partim fatigati, partim inducti, partim veriti nequid istius ignominiae in publicum redundaret, partim delictis ignoscere, literato parcere, laboranti consulere sua bonitatis esse arbitrati. Ita tandem victor iste laureatas literas aufert; ita emendicata quovis tempore vel occasione, non jam testimonia de se publica, quæ si fuissent ipse abolevit, sed sua de publico reportata spolia ad coronam venditat; nec tam laudes videtur tuas, quam pœnitentiam publicam circumferre. Quem enim non poeniteat præconiem sc̄e laudum

dum ejus fuisset, qui ad omnes postea libidines tam turpem sui auctionem fecerit: nunc ejusdem sese mangonem fieri, qui servus omnium nequissimus ministrum se licitanti cuivis Ecclesia ex hac laudum catastrophae vendibiliorem, & sacrarum litterarum miseris emptoribus venalem se pretii quantivis professorem proficitur. Nam viderint per Deum immortalem, qui ex istius vel commendatione vel imputitate ignoscentes & bonos haberi se postulant, ne ista bonitas in malum definet; viderint ne ipsis bonis fraudi sit. Cum necesse sit, serpat latius, serpat oxyus ista contagio pastoris in gregem, doctoris in scholam; atque in ipsos fortassis bonorum istorum liberos, qui sophistae huic errabundo & infami in disciplinam traduntur. Viderint ne tot pigmentis illita atque ornata turpitudo, tanta bonarum laudum jactura atque dispendio dealbata labes, spem faciat & aliis, eamque mentem iniciat, posse se quoq; tutissimo hoc exemplo, eandem scholis, eandem ecclesias inferre personam, sine suo periculo cum summa etiam commendatione improbissimam. Cogitent, qui celari adversarios nostras maculas putant oportere, non celando sed eluendo maculas purgari: celando apparere multo manifestius, & majorem indies foeditatem contrahere. Postremò viderint, ne Ecclesiastas hujusmodi amovere ab Ecclesia tamdiu negligant, donec ipsa Ecclesia cum Ecclesiastis unà amoveatur. Sanè cum Apostoli præceptum de Episcopo notissimum sit, eum ab extraneis etiam bonum habere testimonium oportere, quid adversariis latius aut triumphandum magis potest accidere, quam cum legerint atque audierint, qui non leviter atque incertâ, sed constante famâ, summeque consentiente, multis testibus, multis in locis flagitiosus atque nefarius compertus sit, eum quasi Ecclesiæ lumen unicum & ornamentum collatiis Presbyterorum laudibus, & multipli commendatione publicâ decorari. Quod hostibus nostris gaudium ne diuturnum sit, provideri non alia ratione potest, nisi quis poterit exemplo, rēque ipsa demonstrare, nullum esse pestibus hujusmodi in Ecclesia reformata confistendi locum: haec testimonia, has laudes tum olim datas, cum is, cui dabantur longè alius affectaret videri, atque esse nunc perspicitur, ipsum nunc irritas & nequaquam suas usurpasse sibi fraude pessimam; & amicorum de se elogia suo ipsius vitio abrogata, non ad vilissimas merces involvendas, quo fato mala scripta solent ferè perire, sed ad foeditissimas flagitiorum ipsius fortes integendas, pro involucris abusum esse. Ego certè in priore illa defensione, & publicè jussus & privatim læsus, nisi si quaenam dicendo peperisse mihi honestam existimationem, eam silendo amittere, & quasi vacuam possessore, occupandam mendaciis & opprimendam relinquere maluissem, & patriæ, & mihi simul, cum una eadēque causa esset, communem operam summo studio impendi. Nunc accusatus graviter ab eodem quasi immeritum & innoxium hominem per calumnias & mandacia infamasse, ut impudentiam illius redarguerem, innocentiam tuerer meam, & siquid vel antea jam dixi commode, vel in posterum quod ex usu sit dicturus sum, si non doctrinæ & ingenii laudem, famam saltem integrum, & colendæ veritatis fidem afferre possem, ad contentionem hanc per se minimè gratam, sed necessariam tamen, denuo descendì. Neque verò est, si haec non essent, cur hujus operæ aut poenitere me, aut pigere quenquam alium, nisi conscientiam sibimet, debeat. Sanè improbos vituperare, & bonos laudare, quandoquidem hoc præmii nobilissimi, illud poenæ gravissimæ rationem habet, & æquè justum & justitiae propè summa est: quin & ad vitam benè instituendam par ferè momentum utriusque cernimus. Ita denique cognatae inter se haec duæ res sunt, unóque & eodem opere absolvuntur, ut improborum vituperatio, proborum dici laudatio quodammodo possit. Verum ut jus & ratio atque usus utrobique par sit, non itidem est par gratia: nam qui alterum vituperat, duarum is uno tempore gravissimarum rerum onus atque invidiam sustinet, & accusandi alterum, & de se benè sentiendi. Itaque laudant facile nunc boni, nunc mali dignos juxta atque indignos; accusare nemo liberè atque intrepidè, nisi solus integer, vel audet vel potest. Nos qui adolescentes tot sub magistris exudare in umbra eloquentiam solemus, vimque ejus demonstrativam in vituperatione haud minus, quam in laude arbitramur esse positam, tyrannorum antiqua nomina fortiter sanè ad pluteum concidimus. Et Mezentium, si sors ferat, putidis rursum antithetis enecamus; aut Agrigentinum Phalarim tristi entymematum mugitu, quam in suo taurō, exquisitus torremus. In xylo nimis aut in palæstrâ, nam in Republica plerumque tales adoramus potius & colimus, & potentissimos & maximos & augustissimos appellamus. Atqui oportuit aut non in ludicro primam ferè ætatem umbras

tile consumpsisse, aut aliquando cùm patriæ, cùm Reipublicæ est opus, relictis rudibus, in solem ac pulverem atque aciem audere; aliquando veros lacertos contendere, vera arma vibrare, verum hostem petere. Parte aliâ Suffenos & Sophistas; aliâ Pharisæos & Simones & Hymenæos & Alexandros, veteres quidem illos, multo mucrone infectamur: hodiernos & in Ecclesia redivivos collatis elogiis laudamus, professionibus & stipendiis & cathedris, incomparabiles videlicet & doctissimos & sanctissimos viros, ornamus. Ad censuram si forte venientem est, sicuti forte persona & speciosa pellis detrahitur, si turpis introrsum, immò verò si palam atque aperte facinorosus arguitur, sunt qui hunc malint, nescio quo studio, quóve metu adducti, testimonii publicè defensum, quàm animadversione debita notatum. Mea ab his fateor, quod aliquoties res ipsa jam docuit, satis longè disjuncta ratio est: ut siquid adolescens in illo otio literarum vel præceptis doctorum vel meis lucubrationibus profeci, id omne ad usum vitæ generisque humani, siquid tam latè possem, pro infirma parte mea conferrem. Quod si etiam ex privatis nonnunquam inimiciis delicta publica animadverti & tæpè corrigi solent, & adversarium nunc non modò meum, sed penè omnium communem, hominem nefarium, reformatæ religionis & sacri maximè ordinis opprobrium, literatorum labem, juventutis perniciosissimum præceptorem, immundum in sacris Ecclesiasten, impulsus omnibus causis justissimâ vituperatione prosequutus sum, eo nécne cum fructu, quo oporteat, viderint illi, quorum potissimum interest exemplum in isto edere, me quidem spero ( cur enim diffidam?) rem neque Deo ingratam, neque Ecclesiae insalubrem, neque Reipublicæ inutilem præstissem.

# A U T O R I S A D ALEXANDRI MORI S U P P L E M E N T U M R E S P O N S I O.

**H**Aec ego Defensionem meam cùm ante duos menses hactenus parasse, ne cohsumptum forte biennium alterum in se profligando clamitet Morus, tanto cum desiderio Supplementum illud Fidei publicæ contra me promissum expectabam, ut nihil mihi longius videretur. Didiceram enim ex Vlacco perorante, recessisse quidem in Galliam Morum, non tamen quiescere: sed vel diffisum viribus Genevensium attritis, vel quòd manu tam exigua vix satis sibi instrutus ad decernendum uno prælio videretur, novum contra me exercitum, & quod mirandum sit, Medioburgicorum & Amsterdamiensium in Gallia conscribere: Contules etiam & Scabinos magna cum manu signisque infestis adventare. Serò *'a. u.'* m' eripere novae copiæ; sine quibus prima acies, opinor, labare atque dehitcere videbatur. Sed cur tam serò, cur ab extemporali homine tam tardè advenerint si quis miratur, erant scilicet literæ quædam mortuorum longo situ eruendæ; erant quoque subsidia hæc consularia tam gravis armaturæ, mira itinerum ratione *ex Gallia*, teste Vlacco, *transmittenda*: Quid si etiam ibidem conficienda? quibus cùm ipse Vlaccus, homo æquissimus, ut habeatur fides non postulet, sed quod æquum & iustum cuique videbitur, id ut judicetur, sic omnino faciamus. Sufficit Vlacco, Supplementi hujus collectitii Legato, Lectorum curiositati, non incredulitati satisfecisse: nempe fidei publicæ, ex Gallia in Hollandiam, quasi postliminio quodam reversæ, fidem defore uniuscujusque privatam, haud ab re sane suspicabatur. Primum hoc velim unicuique in mentem veniat, quod suprà \*

demonstratum est, publica testimonia quâ ambitione ferè comparentur ; in re privata quid valeant ; quâm sâpe hallucinentur : me deinde non facta criminia in Morum, non ignota, non obscura, sed vera, sed jam vulgata atque testata, in foro denique & judicio agitata haud semel, atque versata protulisse. Non igitur calumniatores nos, non testes in se, sed suos esse judices intelligat Morus : id jure æquissimo ; quoniam ipse in nos prior has partes sibi sumpsit ; nos ipse prior judicavit ; suam in nos sententiam iniquissimam edidit. Prolatis autem utrinque testimoniiis cur secundùm eos merito pronuntiemus, qui Morum gravissimè accusant, in causa est cùm ipsius comperta in nos audacia atque improbitas singularis, tum ipsius testimonii quamvis *publica*, tamen ambigua fides ; quæ consuetis atque tritisimis laudandi formulis prosecutus Morum, objecta illi crimina ab accusatoribus tam multis non diluit. Quid enim affert vel hoc supplementum, More, quod ad rem pertineat ? Accusabant te Genevæ gravissimi viri Theodorus Troncinus pastor & Theologiae professor, duo alii pastores Mermilliodus & Pittetus multis opinor testibus adductis ; accusabant multorum criminum, & commissi præfertim in horto quodam probri turpissimi. Tu hic contrà literas producis Deodati senis ; qui venire in conventum jamdiu desierat ; nec quid ibi gereretur, nisi ex te tuisque fautoribus audire consueverat. Literas deinde Sartorii, ne non satisse omni ex parte causam tuam viderere ; tum Gothofridi Jurisconsulti, ne non satis cavisse ; has omnes literas jam ante scriptas, quâm hac tua flagitia vel ad Ecclesiam delata, vel amicis, ut solet, omnium ultimis, credibilia essent. Quæ igitur à me tibi objiciuntur, horum nihil negant. Fac autem disertis verbis negâsse : haud quaquam tamen istorum negatio affirmatione potior tot hominum probissimorum erit, quorum præfertim testium vim ac veritatem cùm sustinere non posses, petitâ subito abeundi licentiâ, non absolutus judicio, sed elapsus, evasisti. Literis deinde Genevensium non sine multorum gravi intercessione atque etiam indignatione, ut supra dixi, concessis, tu quasi Rheno amne lustratus ( quo *ejectum te in Belgiam* a sis ) & noxâ omni ablutus, utcunque commendatus, mirum non erat si, convocatâ illic fortè Synodo Gallo-Belgicâ, tanquam Mercurius quidam novus Gallo-Belgicus, non tu quidem illuminatus, sed combustus, ut fit, in Synodo, ad tempus latuisti. Eas autem literas cùm suprà dixerim fore, ut in medium nullo modo proferres, ne prioribus hîc positis quanto essent frigidiores perspiceremus, lepidè tu quidem *exemplar earum nancisci te non posuisse* causaris. Quod autem dixi ad tempus, non semper latuisse te, id facile constat, primùm quòd in illa ipsa Synodo Trajeti ad Mosam habita quòd primùm appulisti rumores quosdam contra doctrinam tuam & conversationem illis in Regionibus jam esse sparsos, & suspiciones haud leves de te passim vel novas haberí, vel veteres recruduisse, neque ita te iis absolutum, quin ad alteram postea Synodus novâ rursus commendatione opus tibi fuerit, declarat, quæ sequitur Ecclesiæ Medioburgenæ ad Campensem Synodum Epistola, declarat etiam illius Epistolæ subscriptor primarius Joannes Longus ejusdem Ecclesiæ pastor, qui tuâ tum quidem larvâ inter alios deceptus, perspectis nunc demum & exploratis moribus tuis, nunquam te nisi maximæ contumeliae detestationisque causâ dicitur nominare. Immò verba ipsa tua declarant quibus fateris post seditionem Midelburgi ortam, in qua amicus quidam tuus potentissimus dignitate excidit, eos qui post eum rerum potiti sunt, in te non *æquè propensa fuisse voluntate* : id tu eorum Ignorantiæ assignatum vis, quibus tu Theologiae professor celeberrimus non *æquè familiariter innotuisse* ; cùm ad suspectos jam mores tuos revera sit referendum. Quid enim ad te advenam seditionem qui suffragiis omnium publicè accersitus non studiis partium, sed bonâ famâ ac diligentia in isto munere Theologico tueri existimationem tuam notus *æquè omnibus* debebas. Hic tamen quereris quòd *ejectum te dixerim ab Ecclesia illa*. Ego verò non *ejectum te* dixi, sed tantummodo alegatum ; idque non de ipsa ejiciendi vel ablegandi formula, sed de voluntate eorum abs te jam alienata intellectum volui. In hoc non admodum errasse me testis esse potest vir, ut audio, probatissimus, quem suprà appellavi, Joannes Longus ejusdem Ecclesiæ pastor, qui nunc, inquam, longè fecus de te sentit & loquitur, atque primò sentit, cùm in tuam commendationem *omnium nomine* subscripsit ; Testis est vir spectatissimus Joannes Duræus, qui non unam Ecclesiam Midelburgensem ejecisse te, sed universam penè Synodum Gallo-Belgicam *ejectum* velle scribit. Frustra igitur Synodi Goudensis actum illud subjungis, quod factis recentioribus irritum fecisti ; frustra, inquam, actum illud quod apertissimi te

te mendacii coarguit: etenim illius Synodi authoritatem idcirco adhibuisse te  
ais, ut sciam omnia rite & solemniter in Synedrio Midelburgeni de te acta: ipsa  
Synodus non ritè, non solenniter hæc esse acta, sed nonnullos defectus in modo  
agendi notat. Velle scire illos defectus cuiusmodi fuerint, cur tu Midelbur-  
gensium testimonia sine nonnullis defectibus in modo agendi auferre non potu-  
eris. Illud interea tenendum memoriam est, quibus cum defectibus Genevensium  
testimonia adeptus sis: quanto reverè cum dedecore, quanto in speciem cum  
honore illi te dimiserint. Prorsus, quasi id unum sibi reliquum necessariò de-  
crevissent, laudandum te esse atque tollendum. Verùm, ut dixi, laudes illas  
qualescumque perspecta postmodum & cognita vitæ tuæ turpitudo antiquavit  
jamdiu atque delevit: ut ad infamiam potius tuam hæc omnia conducere vide-  
antur, qui tam præclaram de te olim hominum opinionem, admissis in te postea  
tot probris, tam foede sefelleris. Ventum tandem ad Pontiam est; quam sic  
à me falso nominatam contendis. Ego verò authorem Batavum & notissimum  
illud de te distichon, quo me facile defendam, recito:

*Galli ex concubitu gravidam te Pontia Mori;  
Quis bene moratum morigeramque neget?*

Bontiam, fateor, aliud apud me manuscriptum habet. Sed prima utrobi-  
que litera, quæ sola variat, ejusdem ferè apud vos potestatis est. Alterum  
ego nomen ut notius, ut elegantius salvo jure Criticorum præposui. Satis  
de nomine; nunc rem ipsam consideremus. Quis tam est reus, quis tam omni-  
genere criminacionum oblitus, qui, si solus audiatur, causam suam vel Cas-  
sianis judicibus probare non queat? Tu quam attulisti hujus rei narrationem,  
ejusmodi est, ut nemo sit, modò integer atque attentus accedit, quin te, eti-  
am inauditis accusatoribus tuis, vel planè condemnandum, vel suspicione gra-  
vissimam non absolvendum arbitretur. *Vxorem ais Salmasii graviter tibi infensam,*  
*& ob eas rationes quas commemorare non vis, nihil intentatum reliquisse, ut te in na-*  
*sam infastissimi matrimonii compingeret.* Primum illud suspiciosissimum est quod  
celas; illud nempe arcum quod tibi tam modesto homini & ministro uxo-  
rem amici sic inimicam potuit reddere. Mirum deinde inimicitiae genus narras,  
quo impulsa uxor amici tui famulam sibi dilectissimam nuptum tibi dare cu-  
piebat. Nassa autem illud matrimonium qui potuit dici? nisi tûte eam vel  
sponsione aliquâ tibi induisses, vel escam avidè nimis appetisses, atque ita mer-  
itò infastissimum, quod stupro auspicatus es, matrimonium reddidisses.  
*Nihil, inquis, intentatum reliquit.* Quid ergo inter alia teneraverit tu ipse no-  
bis divinandum relinquis; immò ipse non taces, ipse effutire non erubescis;  
& illud suprà dictum à Crantzio, paulò infra quasi palmarium quiddam pro te  
ex ore Salmasii repetis; *Siquid in Pontia peccavit Morus, ego sum leno, & uxor*  
*mea lena.* Hanc scilicet pulcherrimam fore defensionem tibi apud omnes amens  
credidi, si ostendisses lenone Salmasio, ejusque uxore lenâ, te non ignobile  
stuprum fecisse; & non nisi dominis perductoribus ancillam vitiasse. *Hoc vul-*  
*go innotuit;* tu verò palam vehementissimeque reluctari. Euge corculum pu-  
doris, deliciae castitatis! Tûne reluctari verò? virginali, ut videtur, verecun-  
diâ homo nassâ muliebri indutus. Nam piscis, nisi captus, non reluctatur:  
illa profectò mulier nisi thunnum te perspexisset, nisi facilem, nisi opportunum,  
nisi obnoxium ancillæ suæ deprehendisset, nunquam tibi istos laqueos ita elimas-  
set, nunquam tibi Vulcanios illos casses tua Juno tam facile adaptasset; nunquam  
in virum gravem, Ecclesiastem, doctum, celebrem, qui mariti domum inter  
amicissimos frequentasset, nunquam nisi in mulierosum & notæ incontinentiae  
hominem tale quicquam moliri aut tentare ausa esset. At, inquis, *cum factione*  
*quadam se conjunxit, quæ qualis fuerit, aperire tibi nolo.* Ergo hoc etiam non mi-  
nus suspitosum nobis relinquis, quod tuâ multùm interfuit aperuisse, quæ ista  
factio, quo in loco te tot Ecclesiarum, tot Synodorum, tot Magistratum testi-  
moniis ac sigillis loricatum hominem & cataphractum tam acriter oppugnarit.  
Si ob vitæ sanctimoniam, concionandi assiduitatem, professoriae facultatis præ-  
stantiam te odio habuisset, nihil æquè tibi laudi ac defensioni esse poruit: nunc  
cùm in re omnium potissimum explicanda tectus atque astutus esse malueris,  
credendum est non factionem, sed bene magnum bonorum virorum numerum  
ob impuros mores tuos, vitamque offensam meritò te odisse. Deinde, si Mi-  
delburgi, si Amsterodami, ubi tanto in pretio atque honore apud omnes fuisse

te prædictas, tam numeroſa te factio adorta est, claudicare tuā fides publica videtur; eosque demum esse factionem qui te tantopere laudauunt. Si Hagæ aut Lugduni primū ista factio in te tam acriter est concitata, nihil profecto obſtar quō minus apparet deferuisse te tandiu & Pastoris & Profeforis menus utrobique ſacrum, ut Hagæ libellos famoſos ministerium tui Evangelii miniſtrares; Lugduni Pontiam ancillam, id est Nasiam ipfe tuam ſectare; tuosque illos, poſt diurnum ſaþe diſceſſum, tot nocturnos ad eam vicina ex urbe reditus, tot cum ea furtivos, inſcientibus dominiis, congreſſus viuitati noſiſſimos, tantum in te odium plurimorum commovilſe. Hos tu adiutorios uxoris Salmasii vocas; & ignominiam defuncti amici tui matronæ, ejusque propinquus non ferendam inuris. Hæc ſcilicet cum Ruffino & faſtione illâ, horrenda criminacionum tonitrua diſpoſit, & totum insanis clamoribus Belgum implevit. I nunc, & à me conficta hæc eſte clamita; dic meas has eſte calumnias; quas ego non calumnias, ſed criminaciones ab universo penè Belgio, te conſitente, accepi. Has ego tacerem? hiſ non crederem? proque tua in nos noſtrāmque Rempubl. injuriā, ſcelere, audaciā veras eſſe non judicarem? quam tu faſtionem, eam ego, probiſſimorum hominum multitudinem, teſtimoniū, judicium eſſe non arbitrē? Hoccine divinā animadverſione factum non putem, ut dum aliis famoſos libellos tam diligenter adornares, famoſus ipfe paſſim libellus fieres? Tu verò cūm exiſtimationem tuam hærere, ut aīs, ad metas videres, & linguis omnium vapulares, haud inſolito audaciſſimi cuiusque conſilio, potentiorum ſtudiis fretus, quos affectatis conſcionibus, & Corinthii æris tinnitu illo tibi forte conciliaveras, prior Pontiam in jus vocas. Contrà Salmasius, non insaniam, ut tu appellas, ſed cauſam ſe uxoris deſtituere non poſſe per amicos tibi denuntiat. Quod eum fuiffe cauſam niſi justam quoque cauſam credidifſet, tibi veriſimile eſſe non debet. Tu, non ſine conſilio ſummorum & ſapienſiſſimorum totius Belgii capitum, quorum nimirum patrocinium vel adulando, vel ſuppliciter ambiendo ad omnes nequitiarum tuarum eventus tibi comparaveras, litem in ſuprema Hollandia curia proſequeris. Quo in loco potentiam quorundam, ut dixi, non innocentiam tuam præſidio tibi maximo fuiffe, ſi vel teiplum audiamus cauſam hīc tuam quanto potes cum artificio & cauione dicentem, obſcurum non eſt. Desperabant adverſarii fore ſe illa in curia ſuperiores: tuam afflikturos ſe eſſe famam non desperabant. Quid ita? quia paucorum vim atque opes in foro dominari, cæteros pænè omnes favere ſibi videbant. At vero non tuam, ſed tuam ipſi famam accuſatores tui afflixiſſent, ſi tu aequo judicio ſuperior ipsorum opinione futurus videbaris. Omnes, inquis, omni ope me unum oppugnabant; non deſuiffe tamen amicos tibi agnociſis: paucos igitur & potentes fuiffe illos necesse eſt: id quod etiam miratos & conqueſtos eſſe inimicos tuos uisque eò non diffiteris, ut ne noceret tibi iſta gratia tam aperta ac maniſta veritus, haud ſemel ſubirasci te ſimiles amicis tuis, cūmque iis expoſtulare, quaſi parum prudenter tibi & non ſatis cautele faviſſent. Itaque ſuprema capita, qua tibi ſuum in hac cauſa præſidium obtulere, enixe rogaſti, ſiquid valeres gratiā, ne quid eorum autoritas de victoria innocentiae tua delibaret. Illius judicij exitus qui demum fuerit, non dicens; Adverſarii certe, tantum absuit ut jure aut acquitate viatos ſe eſſe arbitrarentur, ut quos tu reos modò teceras, hi nunc petidores ad Synodum provocarent; & quod obtinere à magnatibus ius ſuum non poterant, id impetrare per Eccleſiam facile ſe poſſe ſperarent. Verū & in illa Synodo nimis multū valuiſſe gratiam gratis, ut aiunt, id eſt nullis omnino meritis tuis datam, etiam ex iis qua pergiſ ipſe narrare, ſatis conſtat. Adſunt Delegati Lugdunenses; ſaccum producunt opletum fœdiſſimis criminacionibus: ſatis amplum, opinor, ſi tua omnia flagitia conineret, ut induendo etiam tibi, ſi egiffes forte poenitentiam, ſufficere potuerit. Urgent Delegati, ut prægerentur omnia, qua ſecum ſacco illo gerebantur: vel ut latiniuſ dixiſſes, portabantur in ſacco; a te enim puto, gerebantur in ſindone. Sed Synodi pars magna relincki, famoſos eſſe libellos. Animadverſite quæſo novam ac ſingularem juſdicum aequitatem atque prudentiam; qui criminaciones cum teſtimoniū in juſdicum allatas, neque dum perlectas, tanquam famoſos libellos, rejiciendas eſſe contendunt. Horum vicit ſententia: excurrit confeſtim unus eorum, gratulabundus Moro, & bonum factum inquit; nihil contra te legetur. En iterum ſeveros judices! quorum ſententia in Mori gratiam ſic manifesta lata eſt, ut unus eorum pati non poſſet quin ex ipſo judicio de ſella profiliret, gratulatum reo. Pauuit Morum iſpum tam diſſoluæ ſententia: perturbari denuo ſe ſimulat, & a grā ferre, non perlegi illa volumina criminum ſuorum. Objurgatus itaque bonus

bonus ille Judex & acriter ab ipso reo increpatus, redit in coetum; ceterisque facile persuaderet, ut mutata priore sententiâ statueretur omnia legenda esse. At vero, quæ isti Judices primùm legenda non esse, ad arbitrium deinde Rei, conversis eadē horâ sententiis, legenda esse decreverant, de iis tandem per etis quān non attentè, quam non severè, quam denique in reum propensè judicaverint, intellectu difficile non est. Consurgunt judices; reum frequentes adeunt; amplectuntur; & cui palam modò gratificari, ei nunc aperte gratulari non dubitant. Quamquam ego in hoc toto judicio non tam Mori, quam ejus personæ atque ordinis habitam esse rationem crediderim. Synodi praes̄ ipie Riverius complexus te, *nunquam Aethiops, inquit, ita dealbatus est, quemadmodum bōdie tu fuisti.* Tūne verò adeò obesa nare homo es, ut irrisum te potius, quam absolutum hoc proverbio non sentias? Riverius cùm Aethiopem te lavando & operam & laticem frusta perdidisset, dealbavit. Tu jam salve nobis, Aethiops, aut, si mavis, paries dealbate; quandoquidem quo Paulus Ananiam eodem te Synodi praes̄ titulo decoravit. Nunc ipsum decretum Synodi perpendam̄. *Leetis chartis iis quæ allata fuerant à Delegatis Lugdunensibus circa litem illam quæ in suprema Hollandie curia multilabatur, nihil in iis repertum est, quod valeret adimende Ecclesiis libertati, quā Morum ad sacras conciones habendas cum occasio se dabant, invitare solebant.* Hac etiamsi tuâ sola fide accipiamus, quām obscura, quām tepida, quām ægrè absolvant reum, aut ne absolvant quidem, quis non videt? qui te olim maximis cumulare laudibus solebant, nunc multis criminibus infimulatum, ne uno quidem verbo tenuissimo purum aut insontem pronuntiant. Non commendant te Ecclesiis; libertatem tantummodo iis non adimunt quā te, non ad Pastoris assiduum munus, sed cum occasio se dabant, ad concionandum fortitò *invitare solebant.* Ista autem occasio si se nunquam daret, id sibi displiceere aut detrimenti quicquam inde capturam esse Ecclesiam, haudquaquam ostendunt. Tibi interim pro ara pulpītum est; illa in aula te jaetas buccā notissimā, & quo turpior domi, eò clamosior in coetu es: quicquid in occulto, quicquid in *sacco* illo peccas, hīc tua cymbala, tua aera concrepare strenuè non desinis; & tuum illud rostrum nusquam impudentius, quam in rostris offers. *In nunc, inquis, & stupra & spurios sibi finge.* Immò, ito tu, inquam, & stupra tua si audes vel uno verbo disertè nega: id quod toto hoc libro facere non es ausus. *Consuluntur acta publica;* immò consuluntur acta privata, acta furtiva, acta nocturna tua, quæ vulgatissima istis regionibus jamdiu innotuere. Unde spurii si non extiterint, non continuò tu castus, sed eò fortalsè nequior fuisti. Hactenus quæ tu testimonia attulisti aut male parta, aut jam exoleta, id est aliquanto prius data, quam patesc̄ta ea fuerint facinora quæ à me tibi potissimum objiciuntur, ostendi. Quibus testimonis si ab innumeris passim viris bonis quos nunquam nominatim læseras non est creditum, id quod ipli Subscriptores tui queruntur, de me nostrisque hominibus, quos injuriis maximis ultrò irritasti, si non credamus, non est meritò quod queri quisquam possit. Postremas omnium literas Amsterodamensium Consulum & Rectorum, nescio cujus operā, quōve pacto comparatas, ex Gallia transmittis: neque ad tempus omni ex parte fatis accommodatas, & ad rem certè minimè appositas. Ego quæ tu ipse flagitosū feceris, coarguo; tu quid magistratus in te non fecerit hoc testimonio duntaxat ostendis. Scripsi equidem, &, quod tum palam testatus sum, non pro certissimo, sed ut nuper audiveram, idque etiam per literas fide dignas, magistratum Amsterodamensem tibi pulpītum interdixisse. Tu literas fateris *per omnes gentes* contra te ab *adversariis* tuis missatas. Et eos adversarios nunc scribis esse tuos; ego & bonos viros esse eos acceperam, & te adversarium sciebam esse meum. Ex ipsis quero Magistratibus Amsterodamensium, num istiusmodi quippiam allatum ad se de adversario non tantum suo, sed civitatis etiam suæ, silentio prætermittendum censuissent? Hoc igitur si verum non sit, est quoque levissimum; de quo & ego minimè laborare, & tu minimè exultare debeas. Numquid est aliud quod testentur tibi hæ literæ? est aliud. Te *ex quo tempore apud se in publico munere versatus es, nihil admisſe quod justum predictis calumniis locum dare potuerit.* Quid si ante admiseris, quam ad eos venisti? Nam quibus Consulibus admissa abs te quæque fuerint, cuius in scabinatum pruritiones tuæ inciderint, si ex ratione factorum non habeo dicere, id non dices, arbitror, ita magni referre. Quid, inquam, si ante admiseris? quod ego quidem pro certo habeo. Tum sanè & hoc quoque testimonium, ancile tuum, haud multò plus ponderis, quam alterius cujusquam habuerit; ut, quod de iis, quæ auctoritate

ditione tantum acceperat ab aliis, testificetur. Quod autem adjungitur te *extra culpam notimve fuisse*, id adeò liquidò non ita se habet, ut etiam reliqua in dubium vocare videatur. Non alium igitur atque te ipsum tuis Consulibus opponam; qui te culpatum, notatum, vexatum, linguis omnium toto Belgio vapulasse, haud semel, pluribusque verbis confessus es. Commodùm itaque interserunt, *ut ad nos relatum est*. A quibus autem? nam & ad nos longè alia & à plurimis relata sunt: utrorum qui hæc tam varie referunt anteponenda fides sit, ipsi nostram æquè ac suam existimationem esse sciunt. At verò non ad se omnia quamvis consules, relata esse ut doceam, respondeant mihi rogo libellus iste in nos famosus, à Moro editus, relatúsque ad se fuerit? quem libellum edidisse in nostram Rempubl. non ministri erat Evangelici, sed ardelionis & calumniatoris, & nebulonis maledicentissimi. Si negant de hoc libello quicquam sibi perlatum, posse & multa alia etiam improbissima non perferriri ad se de hoc Moro velim existiment. Sin fateantur allatum sibi esse illius libri editorem fuisse Morum, suum tamen illi testimonium tanquam homini reverendo, probo, inculpato perhibuerint, sciant nos istiusmodi testimonium etiam Consulū & Scabiorum tanquam levissimum, & nullius planè autoritatis repudiare. Horum, inquis, Rectorum gravitatem, fidem, autoritatem si nosse, sexcentis milienorum Miltonorum libellis retundendis parem agnosceres. Ego verò, mi homo, id nescio an ita facilè agnoscerem; quandoquidem & id nescio, *&c. 151. M.*, an τάξτις δένεις virtute an censu magistratum illum in civitate sua obtineant. Neque me latet Consules, Prætores, illustriora longè quam nunc sunt nomina, etiam verreri, eorum omnium Romæ perditissimum, studiosè defensisse, cum provincia tota, virisque boni universi gravissimè accusarent. Hoc summum fidei tu publicæ propugnaculum, eadémque basis & firmamentum maximum, quam nullo tamen negotio labefactetur & corruat vides. Sequitur Ecclesiae Amsterodamensis Gallo-Belgicæ testimonium, subscriptore imprimis Hottono, Mori intimo, & quod supra demonstravimus, Regii Clamoris concilio. Valde nobis probatum sit necesse est hujusmodi testimonium, cuius subscriptionis princeps est Hottonus. Sed tamen quid afferat, vi eamus. *Tantum abesse, ait, ut eorum criminum eum reum esse sciamus aut agnoscamus quorum à quodam Miltone Anglo accusatur.* — Hujus fidei vis maxima, ut video, in ignorantiae professione posita est. Quid hoc testimonio faciamus? quid hac fide? quæ suā se petissimum ignorantiam commendat. Reum esse nescimus, non agnoscamus: hoc quis præterea toto propemodium Belgio ignorat, quæ illi præcipue crimina objicio, eorum ipsum in utroque foro, non reum modò diuturnum fuisse, sed plurimorum judicio damnatissimum; nec nisi potentium quorundam studiis, utque sacro potius ordini quam ipsi consuleretur, fuisse absolutum. *Tantum abest ut reum esse sciamus, ut contrà potius ab illo aliquoties conciones sacras regaverimus.* Contenti nempe hoc forensi judicio, ubi gratia plus justo potuit; & suadente præsertim Hottono, quoties ipse respirare & suis parcere lateribus decrevisset. Verum hoc quid efficit? aut quis est nescius multos in concionibus satis esse placitos, satis suaves ac tinnulos, qui in omni vita reliqua offensioni maximæ fuerint? Etenim qui suis libidinibus explendis dat operam, quid obstat quo minus idem titillandis alienis auribus commodè servire possit. Quod reliquum est, index potius operis, quam testimonium dici meretur: quando enim aliud quod dicat non habet, *satis supérque testantur*, inquit, *de ipso aliarum Ecclesiarum in quibus vixit dñiūs quam apud nos, publica documenta ad quæ nos iis consentiendo referimus.* Quæ vos detrectantium penè, & libenter hoc negotio expedire se cupientium prorsus videtur; facitque ut non immerito suspicemur, testimonium hoc, tametsi planè friget, non sine sudore tamen Mori, allaborante etiam Hottono, multis repugnantibus, impetratum ægrè fuisse. Epilogi loco est *Curatorum schola* testimonium. Verùm in schola quid tu declamites, quid recites, aut quemadmodum te geras, neque tanti esse reor ut cognoscere curemus, neque ad hanc causam pertinet. Vitam & mores tuos excutimus: quos cum isti vix attingere, & ad literas superiores malle nos remittere videantur, quod ad eorum testimonium infirmandum satis sit, superius quoque dictum putemus. Ad finem aliquando pervenimus tuæ Fidei publicæ; quæ ex Gallico ferè sermone in Gallico-latinum tralatitia inanissimi libri maximam partem occupat. Copias jam omnes tuas cum supplemento etiam lustravimus: per amplias quidem eas, sed ad pompam sanè potius, quam ad verum robur comparatas. Hæ sunt plumæ tuæ, sub quibus corniculam

niculam latitare te dixi. Hæc vestis illa multicolor quâ Morum revera, id est morionem te induisti: his tu phaleris ne populum quidem fefelleris: tûque si sapuisses, aut ullo rerum usu prædictus fuisses, nullius fore usus tibi hæc omnia, quod ad tuam attinet causam, facile intelligisses. Potest fortasse quispiam: cuius nomen alioqui nunquam audiremus, tam sui venditandi causâ quâ tui, phalerata verba tibi deditis: potest aliorum pudor & honestas flagitanti ac sudanti, & agi jam tuam existimationem miserè querenti, hoc tantulum non denegasse. Potes tu per interpretes Hottonos multa confesisse: & tamen post hæc omnia scito te nihil quod ad rem pertineat in medium protulisse. Quid juverit, quæsto, vel in foro testimonia generatim dicta, quid elogia de tuis *asibus*, quid incertas blandientium amicorum laudes proferre, si ego te certorum criminum accuso? Accusarunt te adulterii Genevæ olim viri graves; tempus, locum, adulteram nominarunt: multorum præterea criminum te detulerunt. Quid si istam faraginem pro testimonio Judicibus tum tuis ostendisles? accepturōsne putas fuisse eos, tæque absolvendum istis criminibus fuisse continuò judicaturos? immò vero jussissent te, ablatis hisce nugis, appositè respondere; ullamne cum ista foemina rem, rationēmve habueris; illo in horto eamne conveneris; illo in tugurio, clausis foribus, solusne cum sola fueris. Hæc & hujusmodi multa ex te requisissent; ad quæ singula, neque in illo tum judicio, quod te jure absolvere vel suspicione posset (judicium enim illud petitâ abeundi licentia commodum prævertilli) neque in hoc libro, tot alioqui ineptiis refertissimo, quicquam respondes. Facis idem prorsus in causa quoque Pontiana: quid in foro transactum sit, quantopere tua gratia ad præjudicium miseræ mulierculæ post Salmasii obitum valuerit, suspicione admodum ipse narras. De illis nocturnis Hagâ Leidam itineribus, de illis cum Pontia clandestinis atque nocturnis congressibus, quanquam hæc & multò plura hujusmodi omnibus in ore sunt, nullum verbum facis. Quid hæc prorsus alienissima nobis obtuvis? immò quid omnino hanc tantam literarum ac testimoniorum congeriem tibi ullo tempore comparaſti? an quod tuæmet ipse conscientiae satis probatus apud te non eras? an quod de te nec tibi ipsi, nec spontaneis hominum sermonibus credere audebas, nisi tot coactis nominibus ac testimoniiis tibimet confirmatum hoc esset atque testatum, id quod alioqui nunquam credidisse, te virum bonum aut tolerabilem posse cuiquam videri? An verò tot criminibus accusatus, cùm de te homines ubique pessimè loquerentur, commendationibus totidem sanare illa vulnera posse te existimasti? atqui vides que sæpius ex mala valetudine ad inanem medicinam, ex novis maleficiis & rumoribus inde natis ad novas perpetuò commendationes recurris, earum authoritatem eò semper minorem abs te reddi atque indies leviorem: ægrotare nimirum existimationem tuam & morbosissimam esse, quæ tot purgationibus, tot medicamentis indigeat commendationum quis est quin suspicetur? Sed fortasse longinquas in urbes quemadmodum prædicas, ad Professiones amplissimas persæpè invitatus, hoc te quâsi commeatu, iter facturus, instruxisti. Optimè: quæro itaque an proficisci in animo tibi fuerit ad eos homines qui te ignorassent, an qui satis noſſent? si ad illos, venustus profectò homo necesse est tibi fueris, qui ab illis invitatum iri te unquam credideris, qui te ignorassent: Si ad hos qui te jam satis norant, quid hoc tanto commendationum instrumento ac sarcinâ ad eos opus erat, quibus jam antea commendatissimum te esse ex eo ipso, quod invitaſſent, sciebas. Perspicuum igitur est, nullam ob rem aliam, tantam vim testimoniorum commendatiam sic te studiosè concessisse & in promptu semper habuisse, nisi vel ad ostentationem quandam circulatoriam, ad quam artem factum te præcipue atque natum existimarim, vel impendentis ignominiae metu, quam ex flagitiis nondum patefactis certissimam tibi expectabas. Ut haberes nimirum speciosum aliquid & publicum & foris partum, quod privatæ atque domesticæ erumpenti interdum ex latebris opponeres infamiae; utque Procerum atque Doctorum splendidis testimoniis in quibus consequendis gratia atque ambitio nunc se plurimum possunt, contra populi veras voces te communires. Veūm ista te spes ut dixi, & frustrata jam est, & frustrabitur; cùm quia tuam obtegere improbitatem atque nequitiam, neque lux ulla neque tenebra possunt, tum quia hoc ipsum quicquid est munimenti, quo te circumseplisti, per se satis int̄num atque rimosum est. Id planius adhuc fiet, si testimonia hæc tua, quemadmodum per se singula consideravimus, ita nunc postrema primis, prima mediis conferamus; & doctores proceresque tuos inter se paulisper committamus. Ut intel-

intelligi tandem possit, quæ fides illius fidei publicæ, illorum testium sit, ubi aut alii ab aliis tam longè dissentunt, aut plerique tam multa vel dissimulant vel nesciunt, quæ suā sponte alii fatentur. Illud imprimis exemplo sit, quod in iis literis occurrit quæ Genevensis esse Ecclesiæ dicuntur. *Nihil unque illi, id est Moro, vel ab infensissimis hostibus merito objici queat, quod justæ sit reprehensioni obnoxium.* Ego contrâ non quæ hostes objiciunt Moro, sed quæ amici ejus, quæ testes ejus & justæ reprehensioni obnoxia fatentur, & ipsi in eo reprehendunt, ex his iisdem testimoniorum deponam. Quid enim Deodatus? *Non provocat quidem Morus, sed terribiles unguis habet ad sui tutelam.* Quos unguis? nam istiusmodi quicquam inter Evangelici ministri arma non reperio; & eloquentiam nolim à viro dicto atque humano, tam truci metaphorâ significari: Reliquum est, ut unguis illos, feritatem atque ferociam hominis interpretemur, quos non ad tutelam sui, sed ad injuriam aliorum, in nos certè nimium expeditos atque acres feræ similius quam pastori exercuit. Apertiora haud paulò sunt quæ Georgius Crantzius, Alberti æmulus, ne ab avunculo fortè suo historicâ fide supereretur, & quanto ægrior tantò fortasse veracior ultrò nobis largitur. *Ego Mori notitiam habui & Genevæ & in Belgio; semper magnas inimicitias exercuit cum æmulis, quibus ipse locum sape prabuit nimia libertate loquendi.* Et hoc teste, contra quam ab altero dictum modò est, & unguis habet & provocat Morus. Ferox atque fidens, crabronum irritator infestissimus: Beelsbubem prope alterum dicas, nisi quod ille muscas: Laboris alioqui intolerantior, teste etiam laudatore Salmasio; cuius & uxorem varie leserat, & alia quædam commiserat inconsideratione tali homine indignâ. Hæc ab amicis ac testibus tuis vis ipsa veritatis expressit; quæ quamvis favore & studio dicentium in molliorem partem flestantur, ejusmodi tamen sunt quæ ingenium tuum palam omnibus faciant, & hujus testimoniis totius fidem intimare haud mediocriter atque infringere videantur: cuius altera pars probum, inoffensum, sanctum, omni labore ac virtute carentem, altera contentiosum, turbulentum, arrogante, garrulum, ignavum, injurium, inconsideratum denique & stultum nobis exhibet Morum. Sic fuit tua fides publica, id est, nulla: reverteris nunc iterum ad privatam, quæ nullâ minor est. *At vides interea, inquis, quam non tralatatio me dignentur affectu, quos tu vis mihi furcas comparare.* Immo tu vide, si potes, irâ atque amentiâ impeditus, quam vehementer hallucineris, quam nihil attentè agas. Non ego hoc de Batavis, sed Genevensibus intelligi volebam; nec quid hi statuissent, sed quid tu meruisses. Verba, inquis, tua recognoscere, Orestis amule. Recognosco, inquam, Orestis æmule! Cujus flagitia si pro meritis excepisset Magistratus, jamdudum adulteria patibulo pendens luisse: nimurum Genevæ, ubi adulterii delatus eras; ad alios magistratus cognitio illius facti pertinere non potuit. Quæ sequuntur porrò & luiturus propediem videris, & hæc non iratus tibiominor, sed duntaxatus dico, facile demonstrant, non tum prædictis me quid sis passurus, sed pronuntiasse quid es es meritus; idque (cum de nobis ipse prior judicassis) pari jure meo fecisse. I nunc non conscientiæ integritate, non justâ defensione, sed scelerum imputitate quod facis effer te & gloriare. *Hinc, inquis, fungo, nuper è terra nato quem ant quos opposui?* Erras More, & me non nosti: mihi lentè crescere, & velut occulto ævo satius semper fuit. Tu ille fungus qui ex ephebis modò Genevan profectus, Græcarum literarum professor subito emersisti; & tot viris nata grandioribus Ecclesiastis, Jureconsultis, Medicis, illa ingenii tunc primum efflorescentis gratia, ut tu satis fungosè narras, palmam præripuisti: mox inter fungos, & olera, & armamenta olitoria, fungo recens tuberante, non tu quidem Claudiū extinxisti, sed Claudiū supinasti. Nunc conciliare me jubes mea dicta, si possum, & fabulas cum Magistratum dictis atque judiciis abs te scilicet emendicatis: Ego verò mea dicta cum tuis factis facile conciliavero; de ipsorum dictis atque judiciis ipsi viderint: nos ut non porticibus, ita nec iisdem judiciis fraudem. Tu tecum si potes temetipsum concilia; qui totum illud Genevense negotium, & gravissimum in te crimen adulterii; quasi fabulam refutatione & fortius malignam prætermisisti; hic alteram fabulam de infenso erga te Magistratum animo, summâ curâ, summoque studio refellere conaris. Cur illam quæ vehementissime ad te pertinuit, tam facile prætermittis, hanc quæ te minimè attingit corrogatis tot testibus tantâ mole refutare contendis? Sanè si ipse tibi net constare vis videri, nosque tuum institutum & respondendi rationem intuemur, qui fabulas confutatione indignas esse censes, aut illud in te verum crimen, aut hoc de te non verum Magistratus judicium credamus opor-

oportebit. At non omni ex parte vituperandus est Morus; habet suas laudes; magna virtus magnis virtutibus compensat; sicut quod in homine Ecclesiastico laudatissimum simul & rarissimum est, ut gratis concionetur. *Nullo*, inquit, stipendio actuoratus gratuitam Ecclesia operam rogatus praesto: immo vero fortuitam; ex quo videlicet ampliore mercede propoverta, relictio Pastoris munere, sacra rum Historiarum Professor factus es; id est revera, ex sacrario in scholam ad stipendium uerius emigrasti: tum si cuius rogatu forte concionatis, hoc tanquam beneficii loco imputas; cum assiduum Pastoris ministerium deserueris, ut hanc subeislivam operam desertae abs te Ecclesiae non sine maximo compendio tuo gratis impertire videaris. Tu vero More ii Ecclesiam Medioburgensem, quae te, ut ais, tam honorifice invitasset, tanto cum fructu audisset, tamen aegre dimisilis, sine gravissima causa reliquiles, & ad alium gregem, idemque munus Pastoris te contulisses, reprehendendum meritum & levitatis arguendum existimari. Nunc cum Attalicis, ut ipse ais, conditionibus non Christianis, & emolumenti frumentu longe ubericere adductus, non de grege in gregem desultorius tantummodo Pastor transieris, sed illo munere longe potiore posthabito, ex Evangelii ministro inatus in Professorem & Historicum, ex ipsis Ecclesiae adytis ad pomeria regressus sis non mercenarii solum, sed defectoris propere numero habendum te esse, si habenda veteris & sanctissimae disciplinae ulla ratio est, affirmare non vereor. At concionaris tamen: & strenue quidem, nunquam magiore cum fructu Attalico, ad Pergamenos putata, non tuum ad gregem; quibus si forte aures vix satis teretes pruriunt, tu, vitio cantorum planè converso, rogatus nunquam desistis: & velut sacerdos Phrygiae matris nondum exsectus, aut Curetum aliquis, moves libenter tua crotala; non ut vagitum quempiam fabulosum, sed ut iumores fligitiorum tuorum plus nimio veraces fanaticæ vociferatione obruias. Hoc tu septenario strepitu & doctrinâ fortuitâ, ut quivis olim cyclicus aut sophista, si rogatus recitas, desertum Pastoris munus assiduum explere te putas? At concionator est bellus & facundus. Ita, credo, ut est orator; cui proverbia si demas; & insultos versiculorum centones, orationis ipso filo atque contextu nihil inornatus, nihil incompositius, nihil verbosius atque putidius; nihil ubi venustatem, numerum, atque nervos paulò disertiore homine dignos magis requiras. Unum est in quo grayiter titubatum à me esse fateor: Græcarum literarum professorem dixi, quem sacrarum Historiarum dixisse debui: enim vero incredibile mihi prorsus, & portento simile videbatur, Historiarum sacrarum eum esse Professorem, qui tot profanarum argumentum ipse atque materies esset. Tu vero inibi rectius, More, non Historiarum, sed Calumniarum Professor deinceps nominaberis. Quod ne quis à me secus atque res ipsa se habet dictum arbitretur, mea ipsa verba abs te prolata in medio ponam; tuam deinde horum interpretationem, quam dico esse Calumniam: ut quam impudenter & malitiosè agas, quod & supradicte sapientia demonstravi, & hinc qualem te sacra etiam literæ tortorem proculdubio sentiant, præterire neminem possit. Restat jam tibi sola Græcarum literarum professio: ergo hoc ego criminis tibi do, quod Græcas literas es professus: ergo ego Græcas literas, earumque professores cogo in ordinem: Ergo ego Græcas literas ad ima subsellia relego. Quis horum quicquam sequi præter te dixerit? ipsa malitia si operam tibi suam locasset, tale quippiam ex meis verbis ullam in partem torquendo exprimere qui tandem potuisset? tu hoc non solum pro verissimo tibi sumis, verum etiam ut non nasutum minus conjectorem te quam navum esse Calumniatorem intelligamus, cur Græcas inquis literas, earumque professores cogas in ordinem, nisi me fallit animus, olfeci fucus: Nempe Salmasius cum esset Græcae linguae callentissimus, & hujus ego authoritatem elevare statuisse, id ut quoquo modo possem, Græcas literas, ejus, si diis placet, regna, ad ima subsellia relegavi. Quis calumniari solerius, quam hariolari te nunc dicat? Atqui non meus ille fucus, vir sagacissime, sed tuus mucus quem olfecisti, tantummodo erat. Mihi enim cum Salmasio de Græcis non magis literis quam Calendis contestata lis erat; non illum literis vel Græcis vel Latinis sed authoritatum & rationum ponderibus affligendum atque sternendum esse intelligebam. Hinc tu, propterea quod omnes cupidè ambages queris, nequid ad rem dicere cogaris, ut olim paupertatis, ita nunc Græcarum literarum in laudes ridiculè sanè transcurris. Quas ego cum neque nesciam, & si quis alias, plurimi faciam nihil profecto ineptius, nihil alienius fingere potuisti, quam deipsecis à me esse Græcas literas: cum non tibi illas, sed te illis prodro esse dixi.

Sed hæc tua perpetua ferè ratio est; ubi non fictis criminibus urgeris, ut ne cibmutuistis plane videaris; data tibi esse à me crimiñi quæ libet fingis, aut absurdæ quævis & falsissima de me inferis eaque in primis quæ dicta nunquam sunt, refutanda arripi: Hic strepis, hic tumultuaris, hic te jactas. Si adulterii te postulo, paupertatem scilicet contemno; paupertas tibi contra me totu penu loculorum tuorum defendenda est: Si stupri arguo, Græcas literas nimirum vellico; Græcarum literarum obtrectator oppugnandus tibi sum: Sic tu vera fictis eludere conaris, ut hoc fumo exictato occultare turpem fugam & convictissimi fontis pudorem atq; silentium possis. Vide autem, dum Græcas literas tam veteratoriè laudas, ut irascantur tibi Literæ Latinæ; tuumque jecur latinum, ut fatis sanum non sit. Quota pars hæc, est inquis, sputorum & alaporum? Næ tu masculum tibi alapum hoc foloëcismo meruisti; nam fœmineas esse alapas quas tot sensisti, mirum non est si invitus agnoscas. Verùm hæc missa faciamus; levia sunt, vetera sunt; alias repente homo jam factus est Morus; ad sanitatem Jainjamque est redditus; grauum unum atque alterum fecit; paulò veracior, paulò candidior ab Rhetorica Diaboli (sic enim calumniam suprà nominat) ad Rheticam transit Juliani. Viciſti, inquis, Miltone. Hanc nempe vocem, ut ille clim (ne non Apostata fatis germanus per omnia videaris) veritate vicitus emisiſti. Sed vide, nè sincerum quod est, cauponum more, mendacio statim diluas. Conſitentem, inquis, habes reum. Ego vero reum quidem habeo; conſitentem non habeo: niſi ſi id pro confesso est habendum quicquid tu silentio præteriuiſti: ſic enim & libellum in nos famosum edidiffe, & hoſti noſtro dicaffe, & Anglicanam Rempubl. indigniſſimis modis, méque nominati illæſus læſile, totam denique fabulam Genevenſem conſiteris. Ab hac prævaricatione ad precationem quandam artificiō compositam te confers; ſive ea tuæ fidei publicæ extrema confeſſio dicenda eſt; ad quam Deum teſtem invocas, tremendum fateor & teſtem & judicem. Multa conſiteris, multa ploras, peccata quidem longè gravifſima; ſed quæ ad nos nihil attineant, quia penitus latent, & etiamnum inconfeffi nobis ſunt. Et iſta quidem ſi in occulto, clauſisque foribus, ut peccare anteā, ita nunc precari in animum induxiſſes, laudarem equidein te, déque benignitate & clementia divina benè ſperare juſſiſſem: nunc cum in platea media orantem te hic reperiām, ad homines potius quam ad Deum concinnatas has eſſe preces. & quaſi ultima jacentis tuæ fidei publicæ ſuſpiria juſdicari. Te Deus, te teſtem invoco, an non videant homines in corde iſto quæ tu non vides. O confeſſionem claram atque ſimplicem! immo vero quid obſcurius, quid cautius, quid jureconsultius compoſuitiſſe poteras, ut decem cauſidicos vel adhibuiſſe viderere, vel pertimuiſſe? Nam quid hoc eſt, obſecto? an non videant homines in corde iſto. Quid vident homines in corde? Urinatore hic opus eſt Delio. Verùm quid quis in corde videat, viderit. Ego facta palam, audita, viſa, teſtata reſero: quas nemo meas eſſe calumniias ſine maxima calumnia dixerit. Longè turpior ſum, inquis, re quidem vera quam illi fingunt; ob illa tot abſcondita, quorum apud te reus verè ſum. Sic tu nota ignotis, clara abſconditis delere atque eluere conaris: occulta, incerta, latentia confeſſeris, ut explorata, certa, maniſta eò impudentiū negare poſſis: ad extremum eò deſcendis, ut confeſſionem hanc, quaſi libellum famosum de temetiſlo conſribas, quo faciliū veram accuſationem aliorum poſſis evadere. Tu hæc atque hujusmodi valere apud Deum cave existimes; apud homines certe vel mediocriter sagaces, minimè valebunt. Quod ſi linguis, ut ipſe aīs, atque conſiſiis omnium jamdiu verberatus, resipuisti aliquando revera, & ad bonam frugem revertiſſi, gaudeo. Nos te ſic veram egiffe pænitentiam arbitrabimur, ſi tuarum in nos injuriarum & maledicentiæ famoſæ poenituifſe tandem intelli- gemus.

JOANNIS PHILIPPI  
ANGL I  
R E S P O N S I O  
A D

*Apologiam Anonymi cuiusdam tenebrionis pro Rege  
& Populo Anglicano infantissimam.*

**C**ontra famosum Anonymi cuiusdam Libellum, in quo Senatus Populusque Anglicanus turpissimis convitiis lacerabatur, quem jam vulgo notum est, Salmasii Grammatici infame opus fuisse, prodit nuper Joannis Miltoni Angli pro Patriâ suâ defensio. Liber sanè probus, omniumque doctorum virorum judicio domi forisque multum approbatus. Qui cùm talis esset, expectabatur quidem vel Salmasii ipsius, vel alius alicujus viri literati responsio. Illarum certè partium magni intererat electum aliquem & desertum virum ad caussam suam jam diu laborantem & ruentem adhibuisse. Cùm ecce demum ex omnibus illis rumorum montibus, quos assidue fama nostras ad aures afferebat, tandem prorexit exiguus iste mus, qui miserè stridens rodit tantummodo, aliud quidem nihil agit: vel, ut verius dicam, inanes quasdam mortiunculas captat, dentemque in dente satigat, authorem certè non laedit, ejus autem argumentorum vim & acumen nè assequitur quidem. Mirati primùm sumus quis esset; nomen enim ignobile, futilitatis certè suæ conscius, celat. Cùm verò libellus ejus, macri nescio cujus & jejni ingenii indicium, perlectus esset, in eo statim, tanquam in speculo, virum conspeximus. Quis igitur sit, post videbimus. Hoc verò jam tacere non possum, hominem quendam valde obscurum, & vilem eum esse apparere; qui tamen arrogantiâ suâ mendaciisque fretus, ut morientem & penè defunctam regis sui caussam aliquantulum resuscitare videretur, hominumque animos jam sedatos, & judiciis Dei statim acquieturos iterum commoveret atque irritaret, Dei Omnipotentis voluntati, summæque justitiae se opponere ( quam ille tam insignibus & mirandis iræ suæ exemplis in regem, regisque fautores editis, omnibus vult esse notam) & supremos reipublicæ nostræ Magistratus accusare, convitiisque indignissimis infamiae aulus est. Veruntamen ita obto:pescit, tam insultus est, tamque somniculosum se glarem prædet, ut certissimum caussæ suæ jam languentis, & in totum penè perditæ omen præ se fert. Omnium enim debilissimam atque ini quisissimam certe caussam illam necesse est esse, quam in defendendâ fautores ejus non solum armis, verùm etiam ratione & argumentis inferiores sint. Merito igitur cùm talis esset, ab ipso Miltono neglectus & contemptus est. Multo enim indignior ab omnibus existimabatur, quam ut spectata jam facundia limati illius atque culti authoris ad eruenda sterquilinia, rabidamque loquacitatem tam effrænis atque stulti blateronis refutandam descendenter. Verùm nè inter suos persugas inanis iste rabula se venditaret & aliquid magnum, vel quod uno sanè prandiolo dignum sit, se scripsisse crederet, equidem cùm in Patriam pietate, tum instauratae nuper Libertatis apud nos amore ductus, necnon illi etiam viro mihi semper observando, quem iste infectatur, multis officiis devinctus, pati non poteram, quin hujus ineptissimi nebulonis petulantiam retundendam mihi, nè rogatus quidem, fusciperem. Quemadmodum igitur Romani olim Tirones in palum se primo gladiis & pilis excercebant, ita ego in hunc caudicem stylum acuere & ingenii vixdum pubescentis rudimenta deponere haud incommodè me posse confido. Cum adversario enim tam insipido & vulgari, exiguo saltē quivis ingenuo, & eruditione quantumvis leviter imbutus, etiam de improviso congregari sine periculo poterit. Prius igitur quam opus ipsum aggrediar, ope-

ræ pretium videtur, authorem hujus Apologiae illustrem, si diis placet, & disertum, in occulto tamen latentem investigare. Sunt qui dicunt nomen illi Jano esse, obscurō homini & bonarum literarum rudi, ex illo grege legulejorum quos pragmaticos vocant. Verū cùm meminisse bifrontem esse Janum, alterum sincipitum in ejus occipitio quārendum mihi esse statui. Itaque alteri sincipitio nomen, uti ego indicis quibusdam comperi, Brammalo est. Is librum nuper stylo atque sensu huic penè germinum scripsit Anglicè in *Eboracense*, cuius & hunc fœtum esse haud temerè plures autmant. Virum igitur, quanquam & hic vultum in occipitio gerit, si liber, cognoscite. Nam, ut ipse profitetur, Theologiae doctor est, & Episcopus Hiberniensis. Is cùm ab ineunte ætate homo discinctus & ebriosus, episcoporum, qui tunc in Angliâ dominabantur, luxum, opes, ambitionem ante oculos haberet, inediâ pressus & latrantis stomachi instinctu, nihil sibi utilius esse duxit, quām ut sacerdotis munere induitus, Ecclesiam, tunc quidem lupis omnibus patentem, invaderet; & conciunculis aliquot ad illorum temporum pravitatem compositis instructus, quas de scripto recitandas circumferre solebat, nobilium hominum mensas, & sacellani pingue aliquam mercedem, si qua ejusmodi offa se obtulisset, ambiebat; ubi cœnans quām lautissimis preciis quām brevissimis uterentur. Inter alios Derbia comiti se clanculum offerebat. Tandem verò nequitii coopertus, benevolentiam & favorem comitis Straffordiae, proregis in Hibernia, quem multiplicis nomine perduellionis totus populus ad supplicium tandem poscebat, assentationibus & impudentia turpiter aucupatus est. Ille hominem se naçtum esse ratus ad omnia facinora paratum, quique populum adulatoriis & aulicis concessionibus suis ad suscipiendum servitutis jugum paratiorem redderet, Episcopum eum Derriensem in Hibernia creavit. Jam verò post expulsos Reges & Prælatos, ad priorem vitae inopiam redactus, rursus esuriens, *Curium nunc simulat qui Bacchanalia modò vixit;* utque pietatis obtenu cunctam rabiem in eos effunderet, qui & ipsum & cæteros istiusmodi latrones ovilibus Ecclesiæ opiniis expulerunt, spe etiam nonnulla ampliorem aliquem Episcopatum, mendaciorum suorum & audaciæ premium sub minore Carolo devorandi, pellem ovinam induit, nil præter pietatem & sanctimoniam præ se fert; ita tamen, ut oblonga Lupi cauda infra institam Sacerdotalem facile appareat.

En virum egregium præ cæteris qui apologiam pro Rege & Populo Anglicano scribendam sibi sumit! Age verò, pro rege ut liber. Sed quid tu pro *Populo Anglicano*, qui Dominum tuum Straffordium, hostem Populi acerrimum meritis poenis affecit, tēque pessimum ejus in Ecclesia Hibernensi ad omnia scelerata ministrum pari suppicio affecisset, nisi aut fuga aut obscuritas tua eorum manibus, qui Dominum plectebant, te furem eripuissest. Cur etiam apologiam pro *Populo*? An pro iis qui Regem puniverunt? haud credo; dices, pro iis qui regi favebant periodus? At illi id non requirunt, ut qui, factâ pace, modicè multati, sua jam bona securè possideant, suāmque fidem Reipublicæ nostræ obstrinxerint. Unde tua ista Apologia aut absurdâ planè est, aut nimium intempestiva. Verū tu is homo es, qui titulum istum libri tui, utpote speciosum, vel cum maxima quavis absurditate arripere voluisti. Contra *Ioannis scilicet Polypragmatici* defensionem. Sic ejus nimirum contra Claudium Anonymum, satis concinnè quidem dictum, si Claudium cum Anonymo conjunxeris, insulsa imitaris. Verū non is Polypragmaticus est, qui libertatem laudat, tyrannos damnat, civium suorum rectè & decorè facta defendit; sed tu potius, tuique similes verè sic dici debent, qui cum Ecclesiasticos esse vos profiteamini, & Ecclesiam vestrâ Polypragmaticâ perdidistis, & rerum civilium administrationem nihil ad vos pertinentem perpetuò conturbatis. Sed causa suberat gravis cur scriberes, credo, contra defensionem Miltoni *destructivam*.

*Brammale dic nobis cujum pecus? anne latinum?  
Non, verū monachorum, illi sic rure loquuntur.*

Cognoscite jam hominem in illa nempe barbarie Scholasticorum quām in clarorum authorum puritate & sapientia versatiorem, quorum lucem verspertilio iste ferre nunquam potuit. Unde demum prodeat Apologia ista videamus. *Antwerpia;* hoc enim solūm præclarus iste Protestantium Episcopus, asylum, ut videtur, invenire sibi potuit, inter Jesuitarum & Monachorum catervas, quibuscum tales pseudopiscopi libentissimè esse solent. Rectè igitur meo judicio &

se dignè faciunt Protestantes exteri, qui turbatores istiusmodi errabundos suis cœtibus abigunt. Saltem non ausus est apud ullam Batavorum civitatem hoc suum opusculum typis mandare, veritus ne Illustrissimi Foederatorum Ordines, ut Salmasii nuper sui libellum publicè damnarunt, ita se quoque extorrem & erraticum nebulonem multò severius punirent. Quod illis quidem in laudem atque honorem, huic merito in opprobrium cedere debet.

Jam ad lectorem quædam præfatur, & pauca sanè, sed quæ stulticiam hominis & ignorantiam illiteratam plus nimio prodant. Queritur *manum tantum Salmasii impressionem*, idq; *magna cum difficultate in luce erupisse*; ejus autem libri quem Miltonus scripsit tot esse exemplaria, ut nesciat cui lectorem remitteret. Itaq; nihil hic reperio, cur non amico nostro gratulemur, Salmasium falsè rideamus. Annen hæc satis ad arguendam causæ tuae fœditatem visa sunt? Miltonum omnes cum favore & plausu te ipso teste legunt; Salmasium abjiciunt, nibili faciunt. His tua pervicacia adeò non moveatur, ut omnes idcirco mortales veritatem odisse, mendaciorum & convitiorum amore flagrare, impudentissimè accuses, ipse interim non Apostolus, non Propheta, neque Evangelista, sed scortator & heluo satis notus, & ganeonum duntaxat Episcopus. Vos verò lectors, quos non humaniter appellat, sed in ipso exordio tam petulanter perstringit, tam docti reprehensoris vestri imprimis sensum, deinde literas vereri jam discite; primùm enim ait Miltoni defensionem *inviajose elaboratam*, deinde tot excusis exemplaribus approbatissimam esse fatetur; hæc sanè apud omnes qui Latinè intelligunt pugnantia sunt. Tum *tot sunt*, inquit, *illius exemplaria, ut nescio cui lectorem remitterem*. Satiùs tu quidem, qui vel primâ paginâ solœcismos evitare non potes, ad Orbili cujusvis flagra remittendus es, apud quem nulla poteris apologiâ uti, quin omnes te pueri virgis & ferulis pulchre depexum atque ornatum dimittant. Verum te jam primò auguror hac in parte haud raro peccaturum, qui tam rem manè incipis. Neque lectorem stultè alloqui satis habes, sed eò etiam ulterius audacia processisti (quo vicio ignorantia maximè laborare solet) ut Leidenſi Academiæ celeberrimæ ineptias tuas fœtidissimas Epistola etiam stultissimè scripta dedicare ausus sis. *Alumnū te Academiæ quondam fuisse affiras*. Tune verò Academiæ ullius unquam alumnus, cuius infantia propemodum illiteratae quilibet vel in agris ludum literarium puderet? Leidensem autem *alumnū fuisse unquam te dicere audere, dubium tibi ne sit, quin illa Academia vehementissimè indignetur*; majori enim contumeliam urbem illam afficere non potes, cuius te *quondam alumnū fuisse prædictas*; quanquam illud *quondam*, si unquam fuit, multorum postea annorum crapulâ in lustris atque popinis jam diu proluisti. Sed & tu *eorum tutelam expetis*. Hominum stupidissime, tutelam tu tuae barbarie in Musarum dōnicilio quæris, quarum hoc ipsum munus est, vincitam barbariem catenis in terras ultimas exterminare: nefcis medios dilapsus in hostes. Saltem dum Academicos alloqueris, simula te literatum quempiam esse, vel ad punctum temporis, si potes. *Salmasius, ais, mihi ansam præbuit qui tamen omnibus arripuit: quænam isti balbuties est?* Fac modo Academia, quam interpellas, te intelligat alumnū suum, vix credo annotinum. *Nec calamnum, inquis, in manum sumere anderem (sapuisses tu quidem si ausus non fuisses)* nisi Miltoni amenia me invitum provocasset. At ille te non magis provocavit, quām qui prætereunt importunum & improbissimi oris canem, quem inani latratu insequentem ita contemnit, ut vix fuste te dignetur aut calce. *Quid vero, inquis, ab extero qui inter inhospitales Caucasos vitam degit, expectari poterit?* Nihil sanè: Expectationem tu nostram minimè fæsellisti: neque certè erat opus ut te inter Caucasos vitam degere faterere, lingua te tua ipsique mores barbarum clamitant; Tuáque illa Caucasea poma si dare velles, scito omnes Alcinoos magnoperè aspernari. Ad Academiam quereris inter alia, quòd *Banausi & Mechanici in pulpítam ascenderunt*. Perdoctus tu quidem & idoneus, qui *Banausos, & Mechanicos in pulpítum ascendentēs insecteris, qui pariter atque illi Grammaticæ rudis, haud illis magis pulpítum declinare potes*. Postremò *Alienigenam te Anglum appellas*. *Id quidem rectissimè: Alienā enim sentis, aliena loqueris, quidni alienigenam te Anglum esse dicas, id est spurium, quem Angli veluti purgamentum suæ Patriæ atque piaculum jure quidem ad Caucasos ablegārunt.*

In Præludium ad  
P R A E F A T I O N E M.

**I**N præludiis esse se existimat vir gravis ; ludos ut videtur Episcopales mox editurus. Favete spectatores Ludioni Episcopo. Verum putaret quis hominem non prologum agere, sed in ipso Proœmio Oreitem insanum aut Athamanta saltare. *Ne insaniens Cacodamon Joannes Miltonus, &c.* O mitem & mansuetum ! quam non iracundè, quam humaniter exorditur ! quod aliis, quamlibet furentibus, extremum maledicentia est, id huic pro levi tantum præludio habetur. Sed hoc novum non est : Sic enim Pharisæi olim, veri ejus progenitores, Christum ipsum à Cacodæmone agitari dicebant ; ut nemo vel hoc vel pejus in se dici, præsertim ab hoc Episcopo verè Diabolico, molestè ferat. Offenditur imprimis quòd Miltonus Reipubl insignia, quemadmodum Salmasius regis in fronte Libri posuit. Hæc ille posita ibi ait tanquam fœnum in cornu, *ut cuncti sibi caverent* ; quid hoc ad alios nescio. Te verò Brammale non miror fœnum in cornu usque adeò horrefgere, quoties tot tua adulteria animo revolvis. Omnes deinde quæ de cruce furcifer atque etiam de lyra stultissimè deliras : & certè pæludia professus, nihil aliud nisi nugas agis. *Parlementum & Concilium satis etatis habent seipso armis defendere.* Atqui tuum erat potius cogere, satisne ætatis haberet Latinè ut possis id ipsum scribere. Sed ringit illum Salmasius, vel ut posteà perdoctè sanè emendavit, ringit ille pro Salmasio (menda an emendatio vitiosior sit, lectorum esto judicium) peregrinos veretur : num tu credis quòd tot nefanda, &c. Vx tibi Prisciane ! nam solæcismos hîc non singulos, sed turmatim condit. Quam verò Peregrinos vereatur Miltonus, & imprimis illum Thrasybombomachidem Salmasium, qui libros ejus perlegit abundè nôrit. *Ego, inquis, libertatem peto à libero suo populo Anglicano, ut quod in re tanti ponderis libere proferre possim.* Tunc ut quicquam quod liberum sit liberè proferre possis, mancipium aulae foedissimum, Straffordii famulus & minister, gulae etiam atque inguini turpissimè serviens Episcopus ? Quem populus opinor Universus de libertate concionantem veluti obsecuum portentum abominaretur ; vel etiam lapidibus obrueret, aut siquid mitius, ecquis huc vincula & compedes, exclamarent ; ut Romani olim, Claudi quodam aulico ad concionandum missi, *Io Saturnalia* repente clamabant : Nam servis Romæ, nisi festis Saturnalibus, liberè loqui non licebat. *Nos, inquis, super dejectos cantando epinicia triumphamus.* Rectè quidem super hostes qui propter commoda quædam sua cum tyranno conjurati, patriam ad servitutem redigere conabantur : & epinicia nos quidem minime omnium superbè cantamus, Deo semper gloriam tribuimus. Verùm quid sibi volunt epinicia tua, Bardocuculle ? An quia tam strenuè pergracari solitus es, Græcè idcirco intelligere te putas ? *Angit Miltonum, inquis, quòd Salmasius extraneus aliquam notitiam caperet illarum rerum, quæ nunc fiunt in Anglia :* non quòd notitiam caperet, sed quòd rerum nihil ad se pertinentium arbitrum se faceret, veritatem turpissimis mendaciis perverteret, quos non nôrat, in eos convitiis & contumeliis invehernetur. *Fures, inquis, lucem timent.* Tu igitur sur omnium pessimus qui lucem times & nomen celas. Sacra etiam impuris manibus attrætas. Prov. 29. Cùm boni regnant, populus gaudet ; cùm mali dominantur, populus dolet : eâ de caussâ cùm Carolus dominabatur, populus dolebat. Quod omnes satis meminerunt. Neque leve signum est, eos jam gaudere, bonis remp. gerentibus ; Carolum enim Filium, etiam cum exercitu jam venientem, & libertatem, quâ incedit, omnibus pollicentem, tanquam hostem aversantur ubique, & fugiunt, vi etiam & armis cum summa alacritate propulsant.

Quam autem sis ineptus nunquam clarius perspicitur, quam cùm de te loqueris, ut hîc. *Fateor, inquis, ut huic veteratori respondeam, me multò inferiorem bonis omnibus & adjumentis vita spoliatum.* Quibusnam bonis ? Si bonis animi, doctrinâ & ingenio sis inferior, cur non parem tibi congressum potius quæfisiisti ? Sed is puto es, qui esse doctum, esse eloquentem nihil aliud nisi esse dicitur existimes : ut bonis externis & vitæ adjumentis spoliatus si sis, *Doctrinâ quoque*

quoque & ingenio spoliatus tibi videare. Ain' vero tu *bonis omnibus spoliatum esse?* Callidus nimis es & vafer, cupis celare divitias tuas, verum non potes. Indicabo ego te & facultates tuas. Præter illa bona, quæ erepta tibi esse dicas, restat adhuc tibi, non enim celabis, ingens, eoque ingentius, quod nemo tibi eripiet, solœcismorum peculium; in eo genere divitiarum, neminem te locupletiorem cognovi. Extorrem præterea te esse queritaris; Vah quam indigne! Ut perspicias igitur quam sum pro te sollicitus, est in Cilicia oppidum Soli, antiquum, ut perhibent, & satis amplum; illuc omnes qui solœcismos tam strenue facere solent, coloniam ducunt; Sarcinas igitur quam primum collige, eò enim te, tuisque omnes facultates suadeo transferas. Permagna ibi te latifundia, mihi crede, minent, immò nisi fallor, Solœcorum omnium principatum facilè unus obtinebis. Verum quod nullum tibi unquam fuit ( si ingenium dicas quo inferiorem te factum fateris) id tibi nos scilicet eripuisse infimulas. Cum te contrà ab adversario multas dictiones, & aptè usitata ab eo verba inepte suffurari non pudeat. *Superbire Miltonum ait, nominibus suis & titulis in Frontispicio suspensis.* Quæ ille nomina præter suum, quos ille titulos in Fronte Libri suos posuit; An ideo superbus, quia se sui neque nominis neque causa pudebat? Hæcce tibi *Phylacteria* sunt? *Salmasum*, inquis, Miltonus, tanquam *anonymum convitiis & scommatibus scurrilibus persequitur.* Multò certè sermonis lepore & facetiis in hominem jocatur, tu scurrile quicquam ab eo dictum ne quis ostendere. Sed seculo venturo omnes Miltoni hoc nomine misere vapulabunt, ne forte ( id est ejus loquelâ, nisi fortè) judicet mundus, &c. Quicquid de Miltonis seculo ventuo fiat, tu vates ventriloquus & infantissimus fide nullâ es dignus. Sed nil novi viros optimos nomina sua reticuisse. Nempe quia tu ita facis. Sic sanctus Paulus ad Hebreos, scripsit enim ad Nationem suo nomini infensissimam, de rebus admodum novis & parum creditis; tu vero Populo Anglicano, tu exteris tibi & causæ tuæ, ut ipse ait, minimè inquis, de re notissimâ, & apud omnes gentes, ut idem ait, receptissima, & tamen male tibi conscient nomen occultas. Sic Beza. Rectè meministi, scripsit enim *Vindicias contra tyrannos*, quas tu inter veritates illas, quæ, ut nunc temporis, vix hiscere audebant, recenses. *Virtus*, inquis, apud nos virtus vertitur. Quia Brammali scilicet virtutes, ebrietas, voracitas, alea, scortatio vitia habentur. Sed Cantabrigia & Oxonium suis invictis declarationibus se ab hoc crimine liberarunt. At invictæ illæ Declarationes fatuitatis & væcordiæ facilè evincuntur: Academiarum enim non erant, sed Prælatorum factionis, quæ ibi reliqua erat. Rectius nunc sapiunt Academiæ. *Genesiam*, inquis, Deodatus hoc crimen liberavit. Solus fortasse sensum ille suum, non totius Academiæ judicium explicavit. *Leydam quoque Salmasius.* Non Leydensis tamen, sed externus. Leydenenses libertate prius recuperatâ, quam literis clari erant.

Tot ergo doctorum & bonorum agmine circumvallatus, vix uno videlicet atque altero, faciam rem non difficilem, causam Dei omnipotentis dicturus, Dei nimirum tui; hoc est ventris, aut Bacchi, qui tibi omnipotens est; cuius auspiciis Brammalus

*Grammaticus, Geometra, Minister, Alipta, Sacerdos;*  
*Augur, Scœnobates, Medicus, Magus, omnia novit.*  
*Brammalus esuriens, in cœlum, jusserris, ibit.*

sed eodem credo successu, quo Grammaticatur. Nam in tantam crevit audaciā, ut quicquid libet dicere, licet: hac ejus syntaxis est. Sed Miltonius monarchiam è mundo tollere laborat. Dic ubi? Omnibus enim populis semper hoc liberum reliquit, sive monarchiam vellent, sive aliam regiminis formam; tantummodo nolentibus imponi noluit. Ad solœcismos tuos redeo, qui jam vix intermittunt; *Quidni Salmasio non pepercit rabula?* Videtur tamen sua canina ferocia catenæ vincit vel potius vincieundus, qui omnes undique mordit. Unde tibi illi nitores Orationis & lumina, Brammale? Fieri non potest, quin omnes obscurorum virorum epistolas & loculos expilaveris. Crimini das Miltono, quod is in partem adjutorii (ejus enim Barbarismis utor) Deum vocet. Facis ut te decet Episcopum atheum & prophanum. Sed miraris quâ fronte Miltonus ansus est dicere, se hec, jubente Parlamento, evulgâsse: Primum Miltonus hoc nusquam dicit; sed dixisse finge, ut certè singis, quid tu contra? Si vera, inquis, narrat, ubi Brown vel Elsing, vel Scobel, Clerici Parlamentariorum? Næ tu homo verè minutulus es, & nullius pretii: Nihilne putas jubente etiam libente Parlamento prodite

dire in lucem posse, nisi cui nomen Clerici Parlamentarii adscribatur? Mirum est tot tibi nugas cogitanti non hoc etiam in mentem venisse, quod vulgo dicitur, —

*Clericus in libro non valet ova duo.*

præsertim cuius tu farine clericus es, qui mediocriter saltem latinè non intellegis; si enim intellexisses, non hæc ejus verba, *qua authoritate Parlamenti scripta & declarata sunt*, de ejus libro dicta existimares, verum de publicis Parlamenti scriptis, & declarationibus passim editis. Neque te quicquam ex verbis ejus lucratum esse censisses, quamvis quod dixisse eum falsò accusas, *factionem rempubl. dixisset*; factionem enim tam in bonam quam in malam partem olim dici vel pueris notum est. Progrederis deinde, *Una factio erat & armis se tuetur (non jure) tui.* Quid tū hic tibi velis? Si capis ipse, bene est, ego quidem non capio. Ut nec sequentia tua de *Parlamento supremo, Concilio summo, de Grammaticâ* dñe *comparandi gradibus laborante.* Id te angit potius quod Hierarchia tua gradibus laborat. *trunc,* inquis, honorem Deo ceditis, ut dum vos vestris mundanis gaudeatis, ne minimam religionis aut animarum curam suscipere velle, palam profitemini. En iterum foede solœcum! Sed sane dignum est, ut tu, qui animarum cura quid sit, nunquam scivisti, eam civili gladio commissam crederes. Nos vero, ais *magnō impetu prosternimus verē religionis cultores.* Hostes quidem civiles & proditores Religionis autem cultores Religionis causâ non prosternimus. *Salmasium* deinde crepas: tace de Salmasio, ille suos patitur manus, & in Suecorum aulâ jam diu friget. Sed Miltonus, ut omnes respublicas & *Illusterrimos etiam Hollandia Ordines* in partes suas pelliceret, *Illorum principi oblatrat.* Advertite Hollandi, Principem nuper mortuum, vestrum principem appellat, nec vos quidem liberos esse patitur. Cavete, dum licet, ne pervagante hujusmodi aulicorum doctrina elatus, alter quispiam apud vos princeps ac Dominus succrescat. Tandem *Præludium* hoc grandi solœcismo pene claudit, *hereditarium regis imperium, cui totus populus per multos annos juratus consentieunt.* Vos lectores erudit, quotquot literas humaniores amatis, præfantem hunc Bavium, immò barbarum, odio quo dignus est, & sibilo prosequimini.

## C·A·P. I.

**P**Ræludiis amotis fabulam expectabamus, promissas nimirum illas Miltoni confutationes. Et certè hoc sensu revera fabulam agit; eorum enim quæ promisit, nihil præstat; sed partim maledictis, partim insultis regiae fortunæ miserationibus totum hoc caput exhaustur. Non sum, inquit, tam audax Phormio, ut *Salmasio me compararem, quam Miltonus, qui se Salmasio opponere auderet.* Næ tu Phormio quis fuerit in Comœdia parùm videris intelligere. At quid ais? *Miltonum Salmasio opponere se andere, Grammaticorum Pyrgopolynici?* Facinus ingens narras. Nam si *authoritate, inquis, dirimenda lis sit, plus fidei uni Salmasio, quam mille milles Miltonis omnes ingeni & docti darent.* At vero qui *authoritatem vel Salmasio vel Miltono dant, nisi quam eorum alteruter ratione & argumentis sibi acquirit, ipsi neque docti, neque ingenui sunt.* Miltonum exteris antehac ignotum veritas & ratio commendavit: *Salmasium inane nomen, & multæ lectionis opinio commendare sine ratione non valuit, quin ab amicis etiam ejus, & fautoribus longè inferior in hoc certamine sit judicatus.* Tu totam de patribus disputationem satis callidè abs te amoves, ut quos nunquam consulueris. *Miltonum in plurimis Salmasio castigandum relinquis.* Munus prosectori satis arduum Salmasio reliquisti, qui Miltoni responsum cum legeret, ita, ut videtur, percultus est & quatefactus, ut, solutâ alvo, in latrinam putem confugisse: Unde scripsit ad amicos, cacabundus in hæc verba: *Ego istum Miltonum permerdabo & permingam.* Balistam satis validam in postico geras oportet, Salmasi, qua merdas tam longè contorquere aut explodere te posse putas. Hinc est quod tam foetida meditantem jam diu in Aula Sueciæ foetere te dicant: Neque mirum est, si Sueciæ regina, quamvis opinione vulgi primùm decepta, nunc suo acri iudicio compertum te & cognitum tam olentem Mœvium à se abjecerit. Ferunt alii, cum paginam unam atque alteram responsi illius percurrisset, furore cor-  
reptum

reptum sic subito rodomontari coepisse. Ego perdim istum nebulonem & totum Parliamentum. Haec verba ipsius ad nos delata retuli; & sanè si istiusmodi homo est, non is idoneus qui castiget alios, sed qui ipse castigetur, in Phreneticorum potius gymnasium deportandus. Progredere, Prætermis, ut ais, Oratoriis & verisimilibus ex Cicerone, Aristotele, Euripide, Sephoce, & aliis Ethnicorum scriptis. Non enim Christianis necessario recurrentum est ad Ethnicos. Nescis ergo Salmasium tuum hanc prius affectias viam? Miltonus eò tantum adversarium fecutus est provocantem. Tu vero interim hypocrita ignaviae tuae consulis, qui cum rullum sanè bonum, aut facundum authorem unquam attigeris, id studio pietatis non fecisse te simulas. Miltonus aiebat, *pater nos genuit, non Rex.* Tu inde nomen patris à specie ad numerum detorques, ut captiones hinc quasdam & amphibolias frigidissimas consuere possis; quas ne recitatione quidem dignas existimo, adeo sunt inepta & mucosæ. Si vero, inquis, rex juvenis uxorem ambiens Papam Patrem sanctissimum appellaverit, non tam acris censura perstringendus. Sic Zimri juvenis Moabism uxorem ambiens à religione vera defecit; an excusatior idcirco est; Probabile, vero, ais, esse quod literam secretarii suis scribendam commisit. Eò magis culpandus, qui rem tanti momenti, quæque religionem atque honorem suum in dubium vocare poterat, Secretarii tam minime probis commiserit. Verum & nos Regem Hispaniarum Regem Catholicum appellamus. Istarum literarum exemplar aequum est te proferre, si potes, sicuti nos Regis ad Papam protulimus. Et quidni, inquis, Papam Patrem sanctissimum appellaveritis, si in politicis vobiscum sentiret. Sic scurræ solent deprehensi; quod se fecisse constat, id alios facere velle calumniantur. Hos mores scurrarum lepidissime depingit Plautus:

*Nihil est profecto stultus atque stolidus,  
Neque mendacioquius, neque perjurius,  
Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant;  
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt,  
Quod quisquam in animo habet, aut habiturus est, sciunt.  
Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen illi sciunt.*

Si hos vermes, ais, Regum auribus insidiantes, & velut intus existentes, prohibent alienum, ut neminem sibi fidelem audire poterat, Rex radicatus extirpasset, &c. Credo istos vermes & auribus & cerebro tuo insidiantes, Grammaticæ rudimenta, si qua tibi insculpta erant, penitus exedisse. Rursus Deodatum affers, qui regem nostrum unicum Reformatæ Religionis defensorem insignivit. At, inquam, longius absuit Deodatus, quam ut Carolum in cute nostre posset; ne dicam clausisse oculos, si post Rupellenses Reformatos tam à Carolo præclarè defensos hoc dixerit. Sed pergis, vobis qui Carolum è mundo sustulisti, tandem redendi patet via in Aegyptum, ex quo agre detinemini. Eja Solorum decus, quam te jam in municipio tuo Solensi oblectas, à quo nemo te possit detinere, ne si furcâ quidem expelleret. Miltonus, ais, nec locum, nec librum, ubi à se prolata, è summorum Theologorum libris inveniemus, exhibet. At ista loca Miltonus facile protulisset, nisi ipse Salmasius adversos sibi plerisque reformatos Theologos haud uno in loco faslus esset; quæ tamen loca eorum scripta legentibus ita passim occurunt, ut hinc tua potius ignorantia constet, qui neque illos, neque ipsum Salmasium prælegisse videris. Jam Davidis exemplum omnibus notum narras. Rationes autem illas, quas attulit Miltonus; cur exemplum illud ad causam hanc non pertineret, non attingis; tantummodò Unctum Domini, Unctum Domini ingeminas. Dic soles ergo, Estne omnis Rex unctus Domini? Omnis, ais præfertim Christianus. Cur ergo dux Josua quinque unctos Domini uno die suspendit? Nam Christianos si dices non fuisse, ridiculum est; quandoquidem Christianum profiteri, cum sit maleficus, neminem supplicio debito eximere potest. David, inquis, viam nobis monstravit tolerantia, ut Deo judici relinquatur, qui impunitentem percūtiet, ut morietur. Quid me cogis? defensus jam penè sum, Solenses tuas delicias perambulando. Ad Davidem recurris; Salmasio responsum erat eadem inculcanti, Davidem privatum privatas injurias ulcisci noluisse. Tu Parliamentum omne privatum esse dicis, Regem Carolum, unctum Domini fuisse; nihil tamen horum probas, nihil ab adversario dictum cum ratione oppugnas. Si ex aura populari, inquis, diademata regibus auferenda, quis non vellet se ex infima plebe terra filium potius esse quam regem? Id noli timere; utcunque non deculent reges.

Neque te, credo, hoc deterrebat, quò minus Episcopatum turpiter ambires, quamvis populo invisum. At Miltonus, ais, dum potestatem populi in reges suos imprudenter predicat, reges omnes esse tyrannos instruit. Sic sanè ut lex instruit homicidas, quia vetat.

— *Jam Troja maneret, ais,  
Consilio Priami si foret usq; senis.*

At verò noster Priamus, vel Paris potius, non Trojæ usus consilio, sed Helenæ suæ, & se perdidit & regnum suum. Jam ordine perrupto ad nonum puto vel decimum caput excurrir. Miltonum, ais, asseruisse, nullum membrum Parlamenti absque proprio consensu in judicium vocari posse, Regem autem tu saltem membrum Parlamenti esse dicas. Præpropere tu quidem id ibas petitum, quod nusquam erat, neque à quoquam, quod memini, unquam dictum. Hoc etiam responsum tulisse Regem, cum quinque Membra posceret, falsissimum est, quod ex illa re gesta satis liquet. Nostri, inquis, quod nisi à sicariis vestris impeditus populus esset, regem è vestris manibus eripuerint. Verùm quos tu populum, esse existimas, nos non putamus. An verò Regiorum gregem illum perditum, totiesque dominum, populum appellas? Nos ita non existimamus: victi bello, quod ipsi intulerant, jus populi amiserunt. Miltonum graviter accusas, quod dixerit, Salmasium Regis mortem ineptè plorantem, legentium neminem pilo tristiorum reddidisse. Non ergo in Miltonum, sed in stolidissimas Conducti ploratoris nänias culpam conferre debes.

*Men' moveat quippe, & cantet si naufragus, asem  
Protulerim. — Verum: nec nocte paratum  
Plorabit, qui me volet incurvasse querelâ.*

*Majori patientia, inquis, ferunt Episcopi convitia tua.* Episcoporum sanè patientia omnibus nota est. Hic verò quasi interno dolore percussus, magno servore & conatu, Episcoporum ceremonias & ambitiones asserere contendis. Unde apertius licet conjicere, te Brammalum lurconem illum, quem antea diximus esse, qui Episcopos combibones, & commessatores tuos, belli civilis faces, tam gnaviter defendis. *Quod duxerit Hippia mœchos,* inquis, *innumerabiles sunt.* At multò magis innumerabiles, quot Brammalus fecerit mœchas. Sed Rex noster, ais, *Templa nostra decenter ornavit, & honoravit in honorem Dei, nunquam in equorum stabulos convertebat.* Nunquam, mihi crede, *Templa vestra tām decenter ornavit,* quām tu Solorum Tempa egregiis tuis ornasti solœcismis, quorum monumenta sane sempiterna nunquam interibunt. Te Deum omnis solœci, te patronum tam præclare de illo municipio meritum colent posthac in secula, & invocabunt; in memoriam etiam eloquentiae tuæ tam asininæ, non Scholas discipulis tuis, sed stabulos dicabunt. Regem autem vestrum aio minimè omnium *Templa ornasse,* sed ipsum potius in equorum stabula, atque in haras etiam convertisse, dum tot immundos prælatos, tot porcos Episcopos, te denique spurcissimum in Ecclesiā introduxit. *Regias jam partes agi* dicas, si Presbyteranos gravius incusemus. Nec tamen Christus ipse & Apostoli, falsos Evangelii Doctores, fratres subditios, Religiones prætextu Ecclesiarum infidiantes, mitiū olim increpabant. An ergò dicta eorum aut scripta digladiari in se invicem dices, quod suos vel libentes, vel deficientes à fide atque integritate liberimè reprehenderent? *Ubi mutatur forma reipublicæ ex Monarchia in aliam, non datur successio, &c.* Non hunc Miltonus solum, sed Salmasius obicem Carolo secundo posuit; ejus enim verba sunt si advertisses. Verùm tu, aut coecus aut demens, in socios pariter ac hostes incurris. *Tantā, inquis, illorum astutia omnia oblitterata sunt, ut conformatum est de viribus humanis;* sed nos qui per fidem in Deum expectamus resurrectionem futuram, &c. Apage sis temulente. Quid tibi aut vinolentiis tuis cùm fide, quem si pocula tua majora ita consopirent, ut resurgere nunquam posses, felicius profecto consultum tibi foret. *Scires libenter quid per populum vellimus* Scire ego vicissim, quid Romani per Senatum Populūmque Romanum voluerit. Quæris quod remedium restat populo contra tyrannidem Parlamenti. Tum id quoque dicam, cùm causæ quid erit; nunc supervacua ne quære.

## C A P. II.

**D**efinierat Salmasius regem *Deo solo minorem, legibus solutum; si nostram rem pub. sic definiret aliquis, consensuros nos esse aīs, qui tamen regis illam definitionem oppugnavimus.* Institutum hoc tuum esse video, cūm refutare nihil possis, posse saltem calumniari. *Et qui penetrabit Miltoni scripta, inquis, nil praeter barbariem & insaniam inveniet.* Dirumpi ergo necesse est te, qui tot viros doctos & probos de Miltoni scriptis longē aliter sentire, invitus quotidie cernis. Barbariem verò tu cuiquam impudentissime? quem praeter linguæ satuitatem, cūm sensus belluini & stupor, tum etiam mores in ipsa vastitate barbariae natum atque nutritum clamant. *Utcunque tamen siquid affers audiamus.* Petrus *supremum vocat Regem.* Supereminente quidem vocat; idque vulgari potius loquendi more, quam verè politico, pro eorum captu ad quos scriptit. Sic Consul Romanus *vītālē* est vocatus, id est supremus, quō modō & Poloniæ Rex, & Dux Venetiarum supremus vocari potest; qui tamen, si politicas rationes accuratiū inire volumus, & multorum instituta regnorum, supremi non sunt. Ita igitur supremum vocāsse regem Apostolus censendus est, ut tamen leges cujusque gentis, & jura, & reipub. formam inviolatam esse vellet. Et certè non tam supremus quis sit, docet aut disputat, quam quas ob causas & quatenus obedientiam sive supremis, sive præsidibus præstare debeamus: id Miltonus copiosè explicuit; tu nescio an tuæ conscientiæ væcordiæ, consultò prætermittis. *Quasi, inquis, triginta Athenis tyranni non plus poterant in damnum populi, quam unus si maxime tyrannus esse voluerit.* At inquam ego contrà, nullus unquam fuit unus, si maxime tyrannus esse voluerit, quin tyrannos non triginta solum, sed trecentos, atque etiam multò plures in damnum populi constituere soleret: frustra igitur sub uno, sive Monarchiâ, tyranno melius populo fore speras: nullus enim in republica tyrannus unquam unus fuit, quin plurimos sibi adsciscere tyrannos necesse haberit. *Rex si abutetur, inquis, potestate sua in regni detrimentum, à suis subditis impediri potest & debet.* Rectè concedis: sed quoisque impediri possit ac debeat non dicis. Potest enim tyrannus eosque procedere in detrimentum regni, ut nisi vim vi repellamus, eumque pro hoste habeamus, impedire nullo modo possumus. Concedis igitur ipse, & frustra contendis veritate vinctus, sed videri concedere non vis, pertinaciæ studiosior, quam veritatis; nam quod impediri aīs tyrannum debere, non in judicium trahi & capite plecti vel ab uno vel ab omnibus, sed Dei judicio relinquendum esse, nugae sunt, & gratis dictæ; quæ singula, non affirmanda, sed probanda tibi restant. Vis Monarchiam reipublicæ formâ esse perfectiorem. Id nos in præsentia non agimus. Tua tamen argumenta, quoniam vacat, videamus. *Introducāt à Deo dicis in ultimum & præstantissimum remedium populo toties ab inimicis subatto sub judicibus.* Primum cur illud præstantissimum remedium non primò potius, quam ad ultimum adhibitum fuerit, cūm Deus Reipub. suam quam orætantissimis legibus formaret; deinde cūm Israëlitæ Regem peterent, post annos circiter quadringentos sub judicibus exactos, si Monarchia præstantissima in illud remedium Deo visum est, cur ab ea dissuaserit populum suum ac exterruerit, solum. Cur denique petentes eos peccati gravissimi reos fecerit, ne quælo intelligamus: quod Theocratiam, inquis, rejicerent, nempe sub judicibus. At verò illi non minus in Monarchiâ Theocratiam retinere poterant, ac debebant: sin minus, tu Monarchiam dum præstantissimam esse dicis, non Theocratiam, sed Athoeratiam cave dixeris; in qua Deus tām præsens regere tuum populum quam sub judicibus non potuit. Certè si gubernantibus illis Theocratiam in Republica suisse dicis, ut certe fuit, haud aliam gerendæ Reipublicæ formam præstantiorem, ut sunt res mortalium, inventire quisquam poterit. *Respondeat mihi, inquis, tuus Populus Anglicanus, utrum ligneo Caroli jugo excusso, aliquam misericarum relaxationem inveniant.* Respondet itaque jugum le Caroli feruum à conscientiis suis depulisse, jugum idem Episcoporum; tua vecchia, suoque censu non nunc aulicæ luxuriæ, & libidinibus, sed vincere his hostibus & propagandis imperii finibus ultrò se impendere. *Leges, aīs, Mōsi & regibus à Deo datas quibus regant populum; num populo lex data, ut Reges regerent?* Immo apertè leges tam Mōsi & regibus, quam cætero populo sunt datae, ut tam se, quam populum regerent; sin minus, ita ut regerentur ab aliis,

aliis, ut ne lex Dei cuivis mortalium frustra daretur. *Quis eret, inquis, gladium? populus?* Immò populus per Magistratum, quem sive uerem sive plures ex omni suo numero elegerit. Neque ulla propterea confusione, quas metuis, excitari necesse erit, *Si vel pedem, inquis, figeres, de regibus actum erit,* *δός πάσην τὴν τινὰ γένοντα.* Utinam pedem ipse tandem tigres Silene, si Brammalus es. Nam nos locum, ubi stes ebrius, dare non possumus, quin ea quæ fixissima sunt & firmissima, tibi in gyrum moveri, & cum cerebro tuo temper madente circumnatare videantur. *Quis te, inquis, juramento Regi præstito liberare potuit?* Juramentum ipsum, quo Regi non propter Regem, sed reipublicæ cœsia obstricti fuimus; quam cùm perditum ire, & suum ipse prius jusjurandum violavit, & nostrum solvit. Nihil enim naturæ, nihil rationi aut gentium juri contrarium magis esset, quam si Regi jusjurandum suum violare ad libidinem liceret, populus servare fidem ad perniciem suam teneretur. *Ut dicto audientes Moysi fuimus, ita erimus tibi, modo Deus tecum sit, quemadmodum fuit cum Mose.* Sic Reubenitæ ad Jehosuam. *Conditionem h̄ic nullam vides expressam.* Ad Anticyras ergò naviga, aut domi crapat' am eam misce. cras, mihi crede, nihil expressius videbis, neque tam stulte interrogabis *quid si Deus Josuam desereret,* sed quid si Josua Deum deficeret: Tum cūm quid facturi essent Reubenitæ, tibi respondebimus. *Natare mihi crede ius Regium videtur.* Hoc de jure regio, prout Salmasius describit, dictum est. *Necque est hoc Monarchiam legitimam in Carolo trucidare,* quod tu toties invidiosè & parasiticè vociferaris. Nunc quod minime es, vatem scilicet & coacionato in piissimum multis deinceps verbis agere cupis; dumque adulterum videri te metuis, profers adulterinum. *Dignum Dei agnoscimus & veneramus punientem ingratum populum.* At populo bene est & prosperè, quem tu nequicquam ingratitudinis accusas; tu potius Dei digitum agnoscere, te tuosque viā cum omnibus tyranni fautoribus insigniter punientem. *Nondum, ais, Hispania & Pontificii velum abduxerunt.* Quid nobis Hispaniam & Pontificios toties immixtò objicis; qui non ignoremus Carolum tuum mixtorem in Belgio commorantem legatos ad Papam missile, ut vel ab ipso Antichristo Rex reformatus contra patriam & reformatos auxilium imploraret. *Persecutio, inquis, jam in Anglia maxima est, qua fuerat à tempore quo populus aliquis inhabitabat.* An major eā quam Brammalus in Hiberniā nuper excitavit, qui curiam Inquisitionis conscientiis hominum tam infestam & tyrannicam, primus omnium in Hiberniam introduxit. Te verò illum ipsum fuisse sequentia clariū ostendunt. In hoc enim jam totus es, ut Ecclesiasticalm tyrannidem defendas. *Nam quod tanta, inquis, jam patimur, hac est ratio præcipua, quod in aliquibus Anabaptistarum & ceterorum omnium scismaticorum clamoribus viam concedentes, uno dato absurdo sequuntur inita.* ipsissimus hic Brammalus ille antiquum obtines, qui reformatis omnibus scismaticorum nomine infamatis omnem conscientiæ libertatem adimere perpetuò studebas. Nunc illorum importunitati, id est, conscientiæ, etiam nonnulla unquam concessa fuisse graviter doles. *Reges Anglorum judicari posse à suis subditis Miltonum ais docere, exemplo pravorum temporum, & jure à sapientibus damnatis chartis obsoletis, & ob multas corruptiones merito explosis.* Quid isto hominum genere absurdius aut impudentius? querunt modo quo jure, quā lege factum quidque à nobis sit, si leges non recitamus, contra eas fecisse nos judicant; si leges nostra proferimus antiquas, ratas, atque notissimas, hi statim obsoletas & merito explosas esse aiunt: nec tamen quo tempore explosæ aut abrogatae fuerint, usquam ostendunt. Ita, dum tyrannidem sine auctoritate asserere cupiunt, & vetera & nova pariter rejiciunt. *Quidni, inquis, Uzzias Rex leprosus à Sacerdotibus templo deturbaretur, cum Deus lepra probande, & leprosi omnis excludendi potestatem & mandatum sacerdotibus dederat.* At verò idem Deus, lex eadem omnis malefici puniendi potestatem & mandatum magistratibus dederat, neque magis tamen leprosi regis exturbandi, quā malefici legis puniendi vel h̄ic vel illic mentio facta est. Si lepræ judicio regem eximi non vis, quia nominatim non excipitur, eādem certè ratione neque ullis aliis legibus aut judiciis regem exemeris. Sed video quid agitis, ut regem quamvis vestrā sententiā supremum, vobis tamen sacerdotibus subjiciatis, utque rex in populum absoluto atque supremo dominaretur imperio, vos sacrificuli supremo superiores eodem imperio dominaremini in regem. *Consensus, inquis, populi & inauguratio tantum adjuncta necessaria fuere.* Hoc in Saule, Davide, ejusque posteris concedo, de quibus nominatim creandis Dei mandatum præcesserat: Tu idem de Carolo aut ullis ejus majoribus ostende. *Rex, ais, nunquam pepigit*

cum populo ut illi cum castigarent si aliter quam bene regeret. Neque populus cum rege pepigit, se illi quicquid collibitum est facienti, in perniciem suam obtemperaturos. Neque vero in privato quovis syngrapho, ullus unquam pepigit ut creditoribus liceret, si is debitum non solveret, lege in eum agere, & in carcerem conidere, tuisque bona possidere, quoad plene sibi satisfactum esset. Hoc & istiusmodi quae accidere nollemus, in pactionibus & foederibus vel honoris causa vel boni eminis consulto non exprimimus; quia cum paciscimur, talia nunquam eventura optamus, quae etiam sine monitis intelligere per se quisque & cavere debet. Tu hic tritum illud ingeris; per me reges regnant; fatemur, sicut & per eum sunt, agunt, & moventur omnia: Tu modo peccari, inquis. Tu, inquam, de tuo hoc dicas, autoritatem verbi divini nullam affers. Subjicis, aliqui cui fini illa præcepta obedientie in novo Testamento. Quoties tibi respondebitur obedientiam absurdam & irrationaliem in novo Testamento non præcipi; sed qualis ea, & quibus, & quam ob cautam præstanta sit, luculentissime doceri. Qui habet aures, audiat. Qui repugnant, inquis, damnabuntur, quod proculdubio nunquam minaretur Apostolus, si privatorum tantum rationem vel paucorum habuerat. Quasi vero multi privati sine Magistratum authoritate seditionis esse non possint; quid hoc ad populum cum Magistribus & Parlamento contra tyrannos arma sumentem? Hoc honore Deus dilectos suos decoravit, ut Gentium Reges vinclis coercerent, &c. Id fieri dicas Evangelicis non legalibus catenis. Insipide proflus. An vindicta ergo sic exercetur in gentes? An ferreæ compedes Evangelii vincula sunt, quas Psalmus ille regibus & proceribus minatur? Tu hoc, ut soles, de Sacerdotibus, non de bonis Magistribus & populo intelligi vis, qui pontificale quoddam regnum tuorum in omnes Laicos futurum somnias. Israelite, inquis, quia regem rejicere, à Salmansore in Captivitatem sunt abdueti. Iudei, qui regi Rehoboamo fideles manserant, sub illius tutela securi vivebant. Historiam sacrae Scripturæ si consuluisses, non nescires Hierosolymas sub ipso statim Rehoboamo a Sesako Ægyptiorum rege captas, & Thefauri suis spoliatas, longè prius quam Israëlitæ in captivitatem abducerentur. Jeroboamo Deus decem tribus assignavit, quod de vestra repub. nobis non constat. Tam nobis, inquam, de nostra repub. quam vobis de vestro Carolo: Immò longè plus. Vestros, inquis, Capnomantes & Entheos pro Dei vatibus non recipimus. Neque nos te præfertim aleatorem, ebriosum & Scortatorem Episcopum: cuius vaticinia hoc capite solœcorum floribus ornatissima in gratiam tui studiosorum, nequid tam emuncti authoris desideraretur, hoc in fine concessimus. Aristocracia nonnunquam cachistocracy dicenda. Tam orthographicè hoc abs te quam etymologicè est dictum, siquidem duo contraria simul vera esse possunt. Spes nulli restat ut in pristinam felicitatem restituamur. Nec dubitamus quin plus apud Deum valebunt miseria nostræ. Regibus potius mandasset Apostolus populo obedire ne solo suo dei- ciantur. Non dicimus quin Reges tenentur. Velut defessi reformatæ Religionis; In aliquibus illis viam concedentes, uno dato absurdo sequuntur infinita, &c.

### C A P. III.

**D**obus capitibus à tergo relictis. Etiamne à fuga incipis, tergiversator? At nos non tergum, sed frontem, sed nomen etiam tuum fronti inscriptum maluimus. Manendum igitur, obverte faciem illam insignem Brammaleam, non ferri, sed vini vulneribus fauciām, gemmulis cœruleis, rubeolis, purpureis & purulentissimis bullatam atque distinetam; nam quibus te quisquam telis, nisi raphanis fugientem insequatur moechum, nescio. Sed fortasse more Parthico fugiens soles tela conidere: Condice ergo. Qui populo, inquis, potestatem gladii ascribit, populum impunem relinquare necesse habet; quis enim populum punire leges transgredientem? Fateor, siquidem universus peccat, nam universum punire populum, ne Rex quidem aut solet aut potest. Non magis ergo necesse est populum impunem relinqueret, si populus, quam si Rex potestatem gladii solus habeat; cum in statu populari poenitatem æquè obnoxius quicque sit atque in Monarchia. Liturgiam profigavimus. Missale scilicet Papisticum, paucis admodum mutatis, ex Latino duxtaxat Anglicè editum, una cum Episcopis qui tam raudulenter eam & Papisticè concinnarunt, quid ni profigaremus? nam & alia n, ut

in sacerdotis ipse, substituimus, magis videlicet Orthodoxam, & verbo Dei censentaneam, ut, qui requirit, habeat, si necesse est, quam salubriter possit uti. *Subjecti estote propter dominum, quamobrem? quia constituitur potestas à Deo ad ultionem facinorosorum, &c.* At Rex, cui subjecti esse jubentur, erat Nero vel Claudio. Generalem doctrinam de Magistratu, quis sit aut esse debeat, tradit Apostolus, deque obedientia, quare Magistrati praestanda sit, quod tibi satis sit. Nero an Claudio regnaverit, nihil refert; define tandem nugis istis nos obtundere. *Quodamnum, inquis, ceremonias & lege judicaria liberamur.* Incassum igitur tu tanto-per laboras, ut nos regii apud illos imperii exemplo in servitutem regibus addicas. *Utcunque, inquis, de Dei instinctu gloriamini, ad tribunal divinum sistendi, respondebitis, &c.* Quid alii tunc responsuri sint, ne sit tibi curae. Tu, quid de alea, de scortis, de ebrietate Episcopali respondebit Brammalus, ipse cogita. Potestates non legitimas, sed quascunque intelligi, ais, ab Apostolo, quia Deus præfecit Saulem & ceteros malos Reges Judæis. At verò Paulus de potestate loquitur, quam & summè legitimam describit; non loquitur de viro, qui, à Deo licet electus, si postea nequissimus evadit, & potestatem exercet longè aliam, atque à Deo accepit, & cui duntaxat nos illic obedire jubemur, id sibi, non Deo imputandum erit. *Verisimilius, inquis, quod Anglia Carolo filio debellandi, tandem in crepitum putidissimum & ridiculum erupturi sint.* Videsne jam ut Deus, omnium rerum arbiter, omen hoc tuum, ventriloque, in te tuosque avertit? Vidésne ut ipse tuus Carolus in crepitum evanuit, immo ipse crepus fieri putidissimus optaret, dummodò ex hostium manibus hoc pacto elabi queat. *Supponamus, inquis, tuam rem publ. in tyrannidem degenerare, non teneris obedire illorum potestati?* Concede tu prius, si Rex in tyrannum degeneraret, non teneri te Regi obedire; tum nos satis maturè tibi de republica respondebimus. *Potuit, inquis, Apostolus dixisse bonos Magistratus.* At verò ita dixisse, ex descriptione Magistratus quam ibi posuit, aperte liquet. *Sed nullo, inquis, arguento fortius evincitur regis potestas, quam quod Apostoli mandant nullis conditionibus limitatam.* At rursus inquam, ipsa potestatis descriptio, quæ copiolissima ibi est, conditiones sapienti abunde suppeditat. *Rex, inquis, à Deo missus quantumvis malus ferendus, cetera mala in pœnam veniunt.* Quasi verò Rex etiam malus in poenam non veniret, quod tibi toties in ore est, *remedis idcirco vel tuo judicio auferendus.* *Multum, inquis, Miltono debent Orthodoxi, quod tam ridiculam opinionem iis assignaret, populum scilicet universum Regi ignavissimo esse parem.* Magno sanè acumine mendacium hoc vibras; sed parum inde lucraris. Miltonus enim populum non solum parem Regi, sed superiorem semper affirmavit. Hoc loco sententiam suam non profert, Salmasium tantummodo perstringit, quod ex Sorbonistarum scriptis populum Regi vel parem esse negaverit, quem superiorem dixisse oportuerit. Verùm ità miserè coecutire soles, ut in Salmasium pro Miltono impetum saepiuscule facias. Hæc præter ineptias densissimas, quas infra omne responsum esse judico, confutationum tuarum in hoc capite summa est; unde otium nobis hic etiam tam pingue accidit, ut rursus vacet elegantias hominis nitidissimas gleba Solorum ubere natas ad ornandas Soloechorum porticus & spatia decerpere. *Tuba sonitum incertum edit, ut nemo se ad colendum Deum preparare potest.* Non dubitamus quin multi Religionem Christianam amplexi sint. *Tanquam nulla erat malorum principum potestas.* Non quin Deus omnia ita dispositus. Si enim ad populum provocandum (ut vos primò fecistis ut omnia confundaretis) nemo per diem integrum imperare poterat. Omnes patres nullius estimat. Sed utinam tam humaniter cum Carolo agere voluistis. *Populum contra Regem defendere suscipis.* Et alia hujusmodi.

## C A P. IV.

**I**N præcedentibus Miltonus Leo rugiens, qui Reges omnes devoraret, hic Draco occultè insidians, & vulpeculam agit, nam quo lapidem non potest, vota jacit. Aut insanit hic homo, aut versus facit, novas chimeras, novas metamorphótes fingit sibi lymphatus. Certè Miltonus si Leo rugiens vobis est visus, facitis haud absurdè, ut id sponte fateamini. Te contrà Asinum rudentem primâ voce agnovimus, tèque risu perinde & fultibus excipimus. Semper, inquis, populum in adjutorium vocat Priapus in horto. Quod Priapus in horto, id Brammalus in Sacello. Verissimum hoc esse tota fere

Hibernia non ignorat. *Quos Populus, inquis, crevit si nulli Dei ratio habeatur, prius obedientiam ab iis postularet, quam illis præberet.* Præter illa quæ prius respondi, qualem requirat obedientiam Apostolus, scias insuper, Apostolos non toti Romano Senatui & Consulibus, neque magno ullius gentis Concilio, aut ullius Regni Ordinibus conventus legitimos peragentibus obedientiam præcepisse, sed privatis & singulis. Rex vero, ut nosti, singulis quidem major, universis vero minor est. Beneficia deinde Caroli in Populum enumeras, quæ nulla unquam extitere, sed damnata potius & detimenta, & summa planè dedecora. *Utrum Domini, inquis, vel Christum Domini si dicas Christianum non tam interest.* Atqui Salmasius Saulem Christum Domini nuncupaverat. Tibi ut videtur. Saul non solum inter prophetas sed inter Christianos est. Dicitur autem, 1 Reg. 11. Salomon obdormivit, & Rehoboamus regnavit loco ejus. Et hoc, inquis, dicitur, *antequam Populus Sechem venit ut illum Regem facerent.* Hoc verò non aliter dictum fuisse, quam ut Historiæ series manifestior esset, ex primo sequentis capituli versu appetat. Populus enim Sechemum venit, ut Rehoboamum Regem constituerent, vel regnare facerent, ut est Hebraicæ; ergo antea certè aut non regnavit, aut in Iudea tantum. *Populum, inquis, per incendiarios fuisse incitatum, videlicet Jeroboamum & Comites suos.* At verò Jeroboamus non populum, sed populus illum incitavit. Jeroboamus enim, audita Salomonis morte, adhuc in Aegypto morabatur. Sed Israëlitæ mittentes accersiverunt eum, 1 Reg. 12. Miraris impudentiam ejus qui affirmaret, *non vocari rebelles qui in Roboamum arma sumperant.* Tuam potius non impudentiam solum, sed impietatem demiror, qui eos rebelles appellare ausus sis, quos Deus eo ipso loco fratres sui populi nominavit. At instas, ibidec etiam dictum esse, *sic rebellavit domus Israhel à domo David.* At verò verbum hic rebellavit mitius intelligi pro quacunque defectione, neque in malum sensum rapi debet. Propterea vertunt alii defecit, non rebellavit; cuius enim defectionis authorem se Deus ipse profitetur, scriptura malam & illicitam proculdubio non dicit. Sic Ezechia verbo non minus duro rebellasse in Regem Assyriæ dicitur; quod tamen ejus factum Deus etiam auxilio cœlitus mislo approbavit. Deus Israëlitis Regem petentibus graviter iratus est quamvis regis petendi, si vellent, ex lege Mosis jus habuerit? Tu, *num irascitur Deus,* inquis, *Populo petenti quod ad illos jure pertinet.* Id, inquam, facile potest fieri; nihil enim obstat quo minus id ad populum jure pertineret, & tamen irasci Deus illis merito potuit, quod cum in eo quod optimum erat acquieuisse penes ipsos esset, deterius quod erat anteponebant. Affirmas Deum graviore pœna puniri rebellles Israëlitas, quippe veram sui cognitionem ab iis abstulisse. At ubi id unquam legisti, nugator, Israëlitas illam defectionem Idolatria luisse, cum Deus ipse Jeroboamo mox rebellaturo bona omnia pollicitus sit, seque illi Israëlitas traditurum esse, si ejus præceptis auscultasset, 1 Reg. 11. Sed Orthodoxi, inquis, semper cum Carolo fuere, nam quicquid moribus peccant nonnulli, inopia coatti, Religionem tamen reformatam non deseruerunt. Num verò vestros Orthodoxos, cum Rege suo, inopia coëgit gentes vicinas ebrio agmine, blasphemando, libidinotifimo ac ferocissimo oberrare, omnique impietatis genere omnes Anglos, tanquam sui similes, infames reddere? *Nobiscum tua sententia vitula aurea;* vobiscum mensa dominica, oratio dominica, symbolum Apostolorum, decem mandata. Atqui ea ipsa sacra quæ apud vos solos esse inaniter jaetas, vobis, pro more vestro superstitione & hypocriticè abutentibus, nihil aliud profecto quam vitulae aureæ sunt. *Deum, inquis, sibi contrarium statuimus.* Quidni? An quod Argumentum Salmasii nihil valere ostendit Miltonus, idcircone Deum sibi contrarium statuit. Dixerat Salmasius, omnes Reges esse à Deo; Miltonus non omnes Reges, sed omnes regendi formas, salutis causâ adhibitas, cuius etiam causâ populi conventus, comitia, & consilia habentur. Ergo vel ipsius argumento non magis Regi licet resistere populo propter Rempubl. convocato, quam populo licet resistere Regi à Deo ordinato, quandoquidem & populi convenitus legitimi à Deo quoque sunt ut Sechemi olim contra Roboamum fuisse testificatur ipse Deus. *Utrum, inquis, ille tyrannus, qui viginti tribus annis regnans, neminem pro sua voluntate mori coegit;* An vos qui inter decem annos Régem ipsum & plus quam quingentos mille hominum trucidasti? Quid aïs, mille quingentos? numerum sane peregrinum narras; neque ullus unquam, credo minori jacturâ bellum tam levum confecit. Profectò si tam scires latinè quam scis malitiosè loqui, non quingentos mille, sed quingenta millia, opinor te dicere voluisse. Quis vero Carolo pejor tyrannus, quis pœna dignior, qui per tria regna plus decies centena hominum

hominum millia partim Lanienâ illa Hibernica, partim bello iniquissimo occidit. Negas quod superiore argumento dictum est, regem non debere populo resistere: negas populum quicquam posse in Regem, quia populus *inferior* est, Rex *superior*. At memineris Regem naturâ superiorem non esse, sed consensu tantum & suffragiis populi ad eam esse dignitatem evectum, publicæ salutis causâ; quo ab officio si planè desciverit, superior esse desinit; quia cur esset superior causa nulla amplius est. Cùm munus Regium perperam administraverat, ob quod munus duntaxat, cùm unus è multis primò fuerit, factus omnium supremus est. Ad id quod dixerat Miltonus, non quod Deus jussit tyrannum interimi, ideo bonum erat, sed quod bonum erat, idcirco Deus jussit, tu respondes, *Cujus contrarium verum est.* Nam quicquid Deus jubet, bonum est, & ideo bonum, quod Deus jubet. Doctum verò neminem hoc latet, bonum in positivum & morale divisum esse. Positivum est, quod antè indifferens, bonum tunc incipit esse, cum à Deo jubetur. Morale verò bonum, æternum & immutabile manet, sive Deus jussit, sive non jussit; bonum hujusmodi est tyrannum perimi: ad quod facinus præclarum ducem illum Jehu, tum fortè nihil tale cogitantem, præ cæteris incitavit. Quod autem ais, *bonitatem à divina voluntate pendere*, erras, ut cætera; bonitas enim non minus de essentia Dei est, quam ipsa Dei voluntas. Verùm de his nimis multa cùm stolido & idiota. Percurrimus in hoc capite quicquid argumenti vim ullam in se habere videatur, ut bonis viris & intelligentibus quam maximè satisfiat: cæteris ejus ineptiis & nugamentis qui movetur, eum neque moramur, neque retinemus quo minus in castra adversarii nostri tam dilerti atque erudit transire possit; his etiam floribus, sapientiae & judicii ejus causâ, coronatus, quos Hortorum Solenium custos iste fiscalneus suorum fautorum capiti nec tendos largiter paravit. Olfaciant modo prius quam suave olent. *Nil tam horrendum excogitari possit quin laudabile fiet.* *Populi conventus, comitia, plebiscitus pariter à Deo.* Non dicimus quin tyrannus impedit debet. Tu ad Antipodas alegandus, Londini Constantinopolim. Coronam ad se jure pertinentem poposcivisse. Passa marem, miramur hyænam. Quos tamen rectius sentiisse judicas, cum multis aliis.

## C A P. V.

**O** Missis quæ initio hujus capititis trita jam & toties refutata stupidissimè regeris, venio nunc ad id, in quo levitatis arguis qui dixerit, jus successionis naturâ nullum esse, eo quod *lex Dei primogeniture legem tulit*; cùm divina autem lege consentire legem naturæ dictum est. Tuum verò erat, non nescivisse quantum inter se differant successio in regnum, & successio in patrimonium: principio enim regnorum, regnandi successio non filio sed dignissimo cuique semper delata est; mox regum usurpatio, non populi consensus filios regum dignioribus prætulit. Hoc etiam turpe & servile est, libera hominum capita inter possessiones numerare, qui profectò dum liberi sunt hæreditate nemini obvenire possunt. Túque jus hæreditarium, quicquid garris, ex lege Dei nunquam ostenderis. Nam quod soli testatur Deus Davidi ejusque posteris dedisse se, id universis accommodari regnis aut regibus nullo jure potest. *Jus, inquis, successionis pacem & concordiam inter homines nutrit;* est maxime naturale, ne continua litibus mundus flagraret. Historias ergo omnium gentium percurre; invenies in Monarchiâ discordias tetrores, bella sæviora, idque saepius accidisse, quam in Rebusp. Haud raro ipsi regum filii de summa rerum inter se bello acerrimo, mutuâque cæde contendunt. Unde apud Turcas ubi jus successionis absolutissimum est, nihil ad pacem publicam magis conducere putatur, quam filio natu maximo regnum ineunte, cæteros fratres interfici. Nonnunquam de successionis jure manifestò non constat, hinc etiam bella sævissima & maximè diurna, quarum sub Regno calamitatum nostra imprimis Anglia testis esse potest. Ita neque Monarchia per se neque Respub. concordiae parens est; sed moderatus ubique civium animus & ambitione vacuus. Sed summa authoritas *uni contigit ordinis servandi gratiâ.* At si tyranno, pessimus ille ordo qui omnem ordinem, jura omnia divina & humana pervertit. *Christus, inquis, suos deputatos & vicegerentes in terris Reges posuit.* Fatemur, si bonos, Tyranni autem quo possunt modo

modo Christi vicem gerere? Interea non nos *contumacia*, quod ais, sed tu impietatis tuae Christum vindicem expecta; qui regnum Christi in terris violentum & tyrannicum blasphemus audes existimare: Vicarius enim, non Christi, qui ejus exemplum non imitatur, sed diaboli est. Quod regem deinde confers cum patrefamilias, satis clarè ostensem est à Miltono, jus patris diversissimum esse, & longè antiquius. Cùm autem non solum Reges mali, sed mala omnia *in scelerum pænam*, vel ad probandam patientiam nostram à Deo data sint; eaque omnia justis remediis ab hominibus summa cùm prudentiæ laude amoveri & possint & debeant, solos Reges vel pœnæ causâ, vel patientiæ ferre, & turpe & ridiculum & extremæ esset insanæ. Sed variis morbis laborantibus Rex manus imposuit & sanavit; Angelum aureum cuilibet ægroti dedit. Sive sanavit, sive excantavit nihil nunc refert; medendi enim dono nunc infideles, ut Vespasianus olim, sæpius hypocritæ prædicti fuere. Illum angelum aureum, quem singulis ægrotis dedit, non illum fuisse, qui Bethesdæ aquas commovit; nec sanandi vim ullam habuisse, sat scio; quo te aureo scilicet angelo sic opinor stupere, ut ante te Salmasius cœlum Caroli illud aureum & sericum obstuپuit, neque hoc cœlo quicquam altius cernere uterque videmini, aut de eo quicquam sublimius cogitare, quam aureum esse. Florentissima, inquis, Romanorum respubl. exactis regibus, nunquam subsistere potuit donec in Monarchiam redintegrata fuerit. Quod contra omnium Historiarum fidem planè est; quæ testantur omnes, Romanam Rempubl. sub Consulibus & Senatus authoritate ad illam magnitudinem crevisse: sub imperatorum vero luxuria, tyrannide, atque inertia statim consenuisse, Imperiumque simul & gloriam belli atque justitiæ in illa libera civitate olim partam sub imperatoribus citò amisisse. Sed quod Anglia, inquis, nimio luxus & libertate perdita fuit, non Caroli tyrannidi, sed vestra nequitie attribuendum est. Immo aulæ fœdissimæ regisque voluptarii atque ignavissimi exemplo rectè atti ibuimus, ad cujus vitæ rationem quamplurimi sese composueré. Jam regem defendis, qui Duxem Buckinghamiæ veneficii suspectum legibns eripuit; quasi inquis, hoc regibus criminis daretur, quod omnibus natura concedit, ut suos familiares amarent. Itane Carnifex? satisne regem excusari putas, quod familiarem illum & amissimum haberit, qui patris ejus veneno sublati à supremo Regni Concilio postulatus esset? At quid poteras in Regem atrocius dixisse? Sed credibile non fuit Duxem Buckinghamiæ Jacobo insidias struere velle, qui illum in tantam potestatem evenit. Quin immo satis notum est, mores Buckinghamii Jacobo tandem gravioriter displicuisse, unde is magnum malum sibi metuens, duas maximè res deinceps agere instituit, ut & patri necem strueret, & filio os subliniret, ejusque gratiam omni studio captaret; quod sane, objectis juveni mollissimo voluptatum omnium illecebris, statim perfecit. Reprehendis, quod Carolus Neroni collatus sit. Nam, inquis, Metropolim vestram non diripuit, scilicet quia non potuit; At qui nunc Scotis, nunc sicariis suis, morem sibi modò gererent, haud semel diripiendam obtulit. Restat ut rosarum hujus Solenium fasciculum in fine exhiberem; & possem quidem ubertim, sed cum viam jam toties digito monstraverim, ubi germinant, ubi crescunt, jucundius fortasse cuique erit proprio ungue decerpere.

## C A P. VI.

**R**egum & bonorum omnium hoste prostrato (*suis telis in faciem suam resilientibus*) recurrere coactus est ad elumbes aliquot argutias, & trita argumenta. Prostrato hoste, quis fodes est coactus, egregie solœcista? nomen enim licet attuleris nullum, cognomen certe hoc apud omnes in posterum reportabis. An' vero *suis telis in faciem resilientibus*? Si sua sponte, Dedalæa pro facto narras, aut Vulcania quædam nova automata? An vero, te retorquente, resilient tela illa? Tene ergo illum prostravis hostem, asine, cuius argumentum vel levissimum omni mole concurtere, aut movere loco non vales? Exultantem Asinum in Apologo herus verberibus male multavit, quid triumphante hoc Asino faciamus? præsertim qui neque purpuram indutus, neque pellem leoninam, sed propria palam scabritie notus, rictu isto Asinino, istoque miserrimo clangore, atque ridiculo triumphum canere audeat. Omnes, inquis, in suis regnis Monarchæ absolui-

*παρεστήσεις excent, quod & Galli de suo Rege multum glorianter. Ad scriptores Gallos si recurrisses, Girardum, Hottomannum, Sefellium, plurimōsq; alios, nunquam id affirmares. Galli liberos se, & verē Francos paſſim glorianter ab omni memoria penē ſe fuiffe, Regum ſalutis omnium cauſā, vel eligere vel abſicere. Hac ratione Pipino, necnon poſt eum aliis imperium Galliae delatum: quod vulgo notum eſt. Hac etiam ætate cum multæ civitates, tum etiam Burdegalentes idem ſentire ſeſe factis oſtenderunt, dum vi & armis vel ſui Regis vel ejus præſidum παρεστήσεις & tyrannidem ſtrenuè propulsant. Si cui Deus vult, inquis, populus Regnum tradit, jam dic aliquid de tribus capellis, unde tot quætiones & tites? Unde niſi à te, tuique ſimilibus, qui id perpetuo contenditis, ut Regnum iis tradatur, quibus populus non vult, ac proinde nec Deus. Deus enim, ſi cui Regnum veller, facile perſiceret, ut Regnum illi traderet populus. Jam tu dic aliquid de tribus capellis. Quantumvis, inquis, nummi nobis defint, numquam tamen deerunt parati ad tuendam veritatem. Nummi quidem vobis & merito defunt, & tamen longe major apud vos virtutis, honestatis, ſapientiae, pudoris penuria eſt, quam nummorum. Id quod mores vestri perditissimi exte-ris jam paſſim graves & odiosi teſtantur. Deesle autem non magis nummos quam ad cauſam veſtram tuendam paratos, argumento ipſe maximo eſt, qui homo indoctiſſimus cum ſis & inertiffiſmus, primus omnium & adhuc ferē ſolus, ad hoc te munus accinxeris. Dixerat Salmasius, quamvis id falſo, Regiminis Anglorum formam non popularem ſed militarem eſſe. Tu hoo Miltonum concedere coactum eſſe dicas: nec tamen ab Aristotele talem regiminis formam recenſtam nusquam meminiſti. Vel hinc conſtat te neque Miltonum attenteſe fatis, neque Aristotelem omnino forſan legiſſe. Apud Miltonum enim confeſſionem illam nusquam invenies. Apud Aristotelem ſequitur, id eſt ducis per-petui, qui in quibusdam civitatibus ſummae rerum præſiceretur, mentionem ſaepē factam eſſe meminiſſes. Jam de diabolo porcos tondente ſtolide nugariſ, ubi ingens clamor, ſed nulla lana; parciūs itaque diabolus porcos ſuos tondebat, quam Brammalus oves Hibernicas deglubere conſuevit; à quibus & lanam & pellem multo cum clamore populi detrahere solebat. Sciri, inquis, inaudito oſtracismo Montifrossanum interfecere. Inauditus ille quidem oſtracismus qui patibulo homines affigit. Nam vel ſciolos non fugit oſtracismum non mortis, ſed relegationis genus fuifile. Reges, inquis, ſub potestate populi collocatos pejori con-ditione nobis repreſentas, quam ex populo universo perditiffimos. At vel iſta conſitione noli metuere ne qui Reges in posterum eſſe velint; utcunque enim non deerunt Reges. Cætera hujus capitinis, qua ſeria, qua ludicra, intuſa adeo & infiſcata ſunt, ut quamvis nihil mini tribuam, quod non admodum exiguum ſit, poeni-teat tamen nonnunquam & penē ſuppudeat, cum adverſario tam nihili manu conſerviſſe. Poſtremò cauſa ſui Regis graves ſane & Tragicos ad Comœdi-am redigit. Jovem adulterum, Amphytrionem maritum, Mercurium & Sofiam ſervos, ſuper mundi Theatrum agit. Nil poſſum rectius facere quam ut iſtiusmodi plures præteream: nam in hominem tam ſtultum & nullius pretii quicquid au-feriō dixeris aut joco, & operam perdiſteris & ſalem. Præstat tamen hunc vel incallum defriſcare, quam reſpoſione licet indignum, noſtro tamen ſilentio tumentem & jactabundum dimittere.*

## C A P. VII.

**H**actenus opuſculi tui ſutiliſſimi diuidium percurrimus, & quamquam te plū ſatis indoctum, insipidum, ſolecum, arrogañtem, & languidum jam-dudum invenimus, tamen quo longius procedimus, eo inanior, eoque jejunior ſemper occurrit, & præter adagia quædam & diſticha vulgata, quæ memoriter, credo, elementarius puer didiceras, quæque ne negent forte Lectores vel temidoctulum te eſſe, per fas & nefas inſerere laboras, cæteram omneſ Argumen-torum, ſenſus, latinitatis perpuſillam annonam exhausiſſe videris. Nihil eit igitur in hoc capite quod agam, quam ut captiunculas qualdam tuas, & gry-phos diſſolvam, quibus dum adverſarium capere te existimas, teipſum capi oſte-dam. Dixerat Miltonus jure naturali Regem quemq; bonum Senatum vel Popu-lum habere ſibi ſemper & parem ſuperiorem. Ad haec tu, quis unquam, inquis, talia dixisti audivit? Si par eſt, non eſt ſuperior; ſi ſuperior, non par. Quis plumbeo potuit

potuit gladio quicquam acutius? At nescin' quid Lælius ille sapiens apud Ciceronem? Maximum est in amicitia superiorum parum esse inferiori. Quin hic quoque vociferare, quis unquam talia ~~etiam~~ audiret? Disputatum est a multis, sitne par Regi Populus vel Senatus. Infit Miltonus, utrumlibet Regi & parum esse & superiorum. Cur ista negas posse consistere? Certè si juxta regulam, omne majus in se continet minus, superior qui est, nihil obstiterit, quod minus idem par sit. Jam eccum tibi nodum hunc sine Oedipo solutum, Dave. Nunc ad secundam hominis tendiculam venio. Si Davidi privato non licuit Saulem tyrannum interficere, quomodo jam unicuique concedis, si viribus plus valet. Sumis quae nemo est largitus, tyrannum suisse Saulem. Non enim qui facta quædam tyrannica in unum atque alterum per iram aut libidinem perpetrat, is statim est tyrannus; ut nec injustus, qui injusta quædam. Sed qui consilio, instituto, viribus, dolis hoc solum studet atque molitur, ut potentiam legibus maiorem sibi arripiat, jus omne populi & libertatem subvertat, vindicare se conantibus vim atque bellum inferat, is verè atque propriè tyrannus est; quo in genere nullus unquam Carolo pejor fuit. Qui igitur Davidem privatas adversum se Regis injurias ulcisci noluisset dixit, potuit idem nihil sibi repugnans dicere, tyrannum interficere cuivis licere qui viribus plus valeat. Dixerat Miltonus ad servitutem natas istas nationes quæ tales dominum agnoscant, cui se sine astensi suo hæreditate obvenisse credant. Ergo, inquis, in ad servitutem natu<sup>r</sup> qui Carolum hæreditarium multos annos agnoscebas, aut cum multis aliis dissimulabas. Hanc tu sententiam detruncas, ejus loco subdititia ponis, *ne Regem hæreditarium agnoscent*. Parlamenta autem Angliae, præterito sæpè hæreditatis obtenu, Diadema, cui visum est, suis liberis suffragiis, imponere consueverunt; quod multis exemplis demonstrari potest. Non ergo Angli ad servitutem nati, quod tu nequieris probare niteris. Verna Canopi. Quartum hoc est, in quo adversarium cepisse te somnias. Ob eam causam affirmaverat ille, homines in unum primò convenisse, non ut unus omnes insultaret, sed ut quocunque alterum lädente, ne lex deasset neve judex inter homines, quo lœsus defendatur, aut vindicetur. Ad hæc tu. Nemo, inquis, à te plus petiūt quām tu per lucida intervalla tua sponte concedis. Lucidum certe intervallum vel ad punctum temporis contigisse unquam tibi vix reor, ita semper falleris. Quæ enim petis, non regibus solum sed Magistris omnibus concessimus; quorum nihil est quod in tyrannum convenire possit. Legem enim primo constituimus, deinde judicem ex lege rectum & incorruptum. Horum quocunque petis & impetraveris, tuam causam minimè juvabit.

## C A P. VIII.

**Q**uod superiùs prædixi fore, ut post tritas argutias quasdam potius quām argumenta & aulicorum velitationes toties profligatas, ad summam inopiam homuncio iste redigeretur, neque reliquum ei quicquam fore præter maledicta & rabiem, id hoc capite manifestiùs liquet. Et sanè ad priora illa quæ attulit, quamquam primò statim conspectu sentiūs & ingenii inanissima ubique apparuere vestigia, tamen quia quandam rationis & argumenti speciem præ se ferebant, utcunque paucis respondimus. In hoc autem capite cùm Miltonus antiquas Anglorum leges ac monumenta regiae causæ passim tam adverba diligenter protulisset; iste è contrà, cùm neque doctrinam, neque antiquitatem, neque acumen, neque autoritatem ullam, quā suam tueatur causam, afferre possit, hoc tantum habet quod respondeat, miserè balbutiens jura illa nostra notissima, vetustissima, & maximè rata, *absoluta jam & teneis compta esse*. Verum non tam dubito quin omnes docti & intelligentes viri huic satuanti non responderi oportere judicent, quām vereor ne reprehendant, si insanienti & rabioso operam dedero. Qui verò hujus mendaciis & maledicentiâ à veritate abduci se patiuntur, eos prosectò tam parvi pendimus, ut quamcunque ad partem accesserint, sūisque déque nobis sit; immò contra nos illo animo quām nobiscum stare malum.

## C A P. I X.

**H**Uic etiam Capiti prioris haud absimili responsum protrsus idem conveniet. Nam qui contra legem Dei & naturae dilucide explicatam, contra rationes evidentissimas, juraque gentium plurimarum, tum nostrarum etiam firmissima, contra testimonia denique optimorum virorum uberrima nihil praeter commenta tantum sua, atque deliria opponere, aut in medium proferre potest, ejus profecto ita disputantis rationem ullam quis habuerit, certe non doctus, non disertus, non diligens, non acutus, sed male feriatus duntaxat mei ito videatur. Quod autem nos impudentissime accusare non dubitat, quasi Papae authoritatem in Angliam reducere meditemur, a quo & dictis & factis abhorruisse semper nos tam palam omnibus existit, id sanè & ridendum maximè est, tum etiam ostendit quantâ cæteroqui cum malitia, quam nulla cum fide in accusandis nobis versetur, qui crimen omnium judicio a nobis alienissimum, cunctis absolventibus, imputare atque affigere non vereatur.

## Ad C A P P. X. XI.

**D**E duobus quæ sequuntur capitibus, idem quod de precedentibus duobus dicendum est. Tenuissimus modò & inanissimus qui fuit, nunc est planè nullus, aut siquid nibilo minus est: hujus igitur inanitati respondere si vellem, responderem certe nemini: quidni igitur conticescam?

## C A P. XII.

**J**AM ad metam enervis & languidus properans solœcista, tamen ut ultimo conatu erigere se paululum videatur, ad priorem verborum sine rebus prolixitatem & taedium reddit. Quare ne quis nos propter virium aut rationis defectum priora capita tantâ brevitate percurrisse existimet, aut per ignaviam quicquam remisisse, quæ alicujus modò momenti videantur, non sum arbitratus prætereunda esse, *Parlamentum*, inquis, *perpetuum est instar nullius Parlamenti; hoc enim est funditus Parlamentum tollere.* Ecquem tu jam nisi Carolum ipsum criminari? Qui ipse Parlamentum hoc perpetuum esse iuslit, & facto gloriatus, inter ea quæ vocare acta gratiæ solebat, saepissimè recensuit, non ut populum beneficio aliquo afficeret, sed arte quadam ty:annica dum perpetuum esse juberet, ut quod ex temetipso jam accipimus, funditus tolleret. Cum autem *catharticum remedium sit*, quemadmodum ais, tolli certe aut dissolvi non debet; donec morbi, quorum remedium est, tollantur, & libertati sua firmitas bonaque valetudo redeat. Siquid nos Carolum peccasse dicimus; tu verbis totidem, velut amœbæa canens lyturgica, paria commisissse Parlamentum accusas, deque Carolo nihil non verum esse concedis, dummodo idem de Parlamento occinere tibi liceat: verum hoc non est Carolum purgare, aut noxam eximere, quo minus meritas poenas dederit. Sed antequam Parlamentum hoc incœpit, ne verbum, inquis, vel minima scintilla de Caroli scilicet malefactis eluxit. At verò populi clamores, gemitus & suspiria, partim propter gravissimas tributorum exactiones, partim propter Episcoporum persecutions, tam acerbas, ut multi patriam deserere cogarentur. Regia item consilia, edicta, facta, ab ipsis Regni ejus initiis, & Parlamentorum omnium quæ convocavit intempestiva semper & infesta dissolutio rem longè aliter se habere declarant; adeo ut hac de causa populus, sive prudentia Regis, sive voluntati diffusus, unicam sibi in Parlamento spem, præsidium, refugium, salutem reliquam esse palam testaretur; unde Rex ira & livore prorsus tyramico exardecens, ut populi gemitus per vim etiam comprimeret, crudelissimo edicto sanxit, ne quis Parlamenti convocandi

vocandi mentionem faceret, donec tandem metu populi ob hac minime quiscentis Parliamentum invitissimus convocaret. Multa, inquis, à vobis regi, non credet ut crimen vestrum in Regem exonerare possitis, numquid tale appetit in ejus libro divinitus scripto? Malo te libri illius admiratorem esse, quam me; quid enim habet præter fucos & jactationes inanissimas? Dices & tu idem, si Epistolas ejus prælio Nasibensi captas, manu propria scriptas & obligatae, incorrupto & integro judicio perlegisteres, ubi se suâsque artes tyramnicæ non celat. *Independentes Jesuitis similes esse aïs, Qui Regem abrogârunt, statum Reipub. mutârunt, & tamen professi sunt nunquam sibi in animo fuisse hac facere.* Quid ad nos Jeïonæ? Quasi vero prudentia non esset, non Jesuitum, posteriora saepè Consilia prioribus anteferre, siquidem meliora esse postmodum diciceris. Primum nobis prodire tenus aliquid vitium est, immo magnum tam ad Ecclesiæ quam Reipub. restitutionem; cum à Deo ultra dati sentiremus, an ejus nos prætentiam, & providentiam ad facta tam egregia precepsim aspergimur, aut sequi nollemus, ne proges illus nostros felices & placide inopinatos, hostis & invidus levitatis & inconstantiae nomine perstringeret? Saepè arguis quod Parliamentum pro corpore solo sine capite sumamus. Verum si metaphoras amovere malles, rectius continuò saperes, sciresque Parliamentum ejusmodi corpus esse, cui caput adjungi non sit necesse; neque enim vel caput vel cauda, sed commune ac liberum gentis Concilium facit, ut Parliamentum sit atque dicatur. *Vi,* inquis, *hanc infamiam & calumniam apud exteris Nationes nobis exulantibus amoveam,* scilicet eorum ex numero non esse qui causam Regiam latinè sciret defendere, hinc abulis respondeo. Egregium sane responsorem! Tunc vero lucifuga verberabilissime præ cæteris electus, qui nos ex latebris aggredierere, & pri- tuis omnibus unus responderes? Doctum proculdubio græcum, præclara ingenia necesse est esse, quorum tu docttor es, tam grandis non Arcadicus aut Reatinus, sed solœcœus Asinus. Latinè tu ut responderes, cuius barbarismis & solœcismis omnes paginae, ut priorum capitum, sic hujus ultimi refertæ sunt? Tam cœfus ut exemplum præbuit. Tu hec refricas ut Regi convitare. A famulis rimari. Nisi fulcientur. Tanta caligine, ut justitiam cause metiuntur. Ne millesima pars petitionum ad eum deferrerentur. Toties purgatum ut nil prater nomen manere potest. Tanto acutum ut maxima pars mundi mirantur ac stupent. Tanto strepitu ut cetera Theatrica pro tempore silent. Non quin indies precamur. Nec mitius eorum Consilium interpretarer. Carolum Filium reum causatis. Digni profecto Regii tam stupido propagnatore, qui, cum causam nequissimam suscepseris tuendam & literas professus, tam illiteratus sis, ab ipsis clientibus tuis quos tui pudeat, ad illa gurgustia & tenebras, unde tam stolidè emeristi cum sibilo & flagis reducendus es; aut certè Carnifici potius in disciplinam crucis tradendus, ut cum nihil aliud percipere possis, elementa discas patibularia. *Quicquid,* inquis, *erravero in hac Apologia mea tenuitati imputandum est.* Ita prorsus existimo: at pessimè interim meo quidem judicio consuluit tibi tenuitas tua, quæ te impulit, ut cui par non eras, oneri succedere auderes, sub quo præsumidum & inflatum eo facilius combiniui te & frangi necesse erat. Ego certè tenuem te magis an crassum dixerim vixdum scio, ita omni planè dimensione & formâ rufis indigestaque moles, vacare mihi videris. Jam te aulici, qui Regis auro vescuntur, si prius neglexerint, quod miserè quereris, & fame perire finant, post causam eorum tam male & ridiculè abs te defensam multo justius oderint, atque contempserint; nisi fortè periscelide illa regia, quam tanti facis, fauces tuas de rege tam nequiter meritas elidendas potius quam offis aulicis, quas esuris, farciendas putant. Jam præsertim cum à regis laude ad regis gravem vituperationem transeas, & nobis ex adversario percommodus repente homo factus sis; testis enim ipse novus accedis, regem suo officio vel imparem fuisse, vel minimè intentum, quod *petitiones* nimirum subditorum raro legeret. *Quod nemo ausus esset de proditoribus queri, proditorum meta, quibus maximè auscultabat: quod Camerariis & famulis omnia crederet, otio ipse deditus.* Unde libert profecto exclamare cum illo sane in fabula.

*Ita me dii amabunt ut hunc ego ausculo lubens;*  
*Nimis lepide facit verba de regiis suis.*  
*Neque compellare volo illum, ne desinat*  
*Memorare mores regis & regiorum.*

Eorum enim plurimos qui quidem regis gratia maximè pollebant, eos satetur fuisse qui commodorum potissimum suorum & libidinum causa regem sequerentur, vel mente captum potius, quo vellent, ducerent. Sinam itaque & præteribo, ut & regis perjuria haud minori impietate atque inscitia excusantem, & statim tam acriter damnantem. Neque occurrit præterea quod refutatione illa indigeat. Ad ultimum enim, consumptis in nos maledicis, diris, execrationibus, charitatem nescio quam suam ostentare cupit. Verum nos cuius convictia & imprecations non veremur, etiam vota pro nobis & preces haud pluris æstimamus. Finiam itaque certamen hoc, haud libenter quidem à me cum isto nuggerulo susceptum ; solum hoc est in quo si non aliis, at mihi saltem aliqua ex parte placebo, eam mihi scribendi occasionem primam oblatam esse, ex qua & patria in se rectum atque pium, & amici gratum senserint.

---

## LITERÆ

# LITERÆ SENATUS ANGLICANI;

Nec non

## CROMWELLII, &c.

### Nomine ac jussu conscriptæ.

*Senatus Populusque Anglicanus Amplissimo Civitatis Hamburgensis  
Senatui, Salutem.*

**Q**UAM diu, quamque multis de causis instituta à majoribus nostris cum amplissimâ vestrâ civitate amicitia in hunc usque diem permanerit, & vobiscum una libenter agnoscimus, & sèpius etiam recolere non est molestum. De eo autem quod ex literis vestris 25 Junii datis intelligimus, homines quosdam nostros non eâ quâ soliti sunt fide ac probitate in suis apud vos negotiis versari, nos quidem ad certos ejusmodi rerum peritos statim retulimus, ut in lanarios, cæterosque panni opifices acriùs inquirerent; eamque porrò operam datus nos esse pollicemur, ut & æqui bonique studium apud nos, & nostra omnia erga vos officia constare sentiatis. Verum & quiddam est quod etiam à vobis vicissim non nos cunctat, sed ipsum jus & fas omne postulat; ut nostræ gentis mercatoribus, vestris hospitibus & sua privilegia conservare, & eorum vitam, atque fortunas, prout eâ civitate dignum est, vestris opibus defendere velitis. Quod, ut prioribus literis enixè petivimus, ita nunc etiam ut vehementius efflagitemus, faciunt quotidianæ mercatorum querelæ, quas ad nos deferunt; suam nimium salutem atque rem omnem rursus apud vos in dubio esse. Quamvis enim literarum nostrarum quas pridem ad vos dedimus fructum aliquem ad tempus perceperisse se fateantur, & ab injuriis nefariorum hominum aliquantum respirasse, nunc tamen post adventum *Cochrani* illius in urbem vestram ( de quo etiam prius questi sumus ) qui mandatam jam sibi à *Carolo* defuncti nuper Regis filio Legationem nescio quam prædicat, se omnibus contumeliis, minis, armis etiam Sicariorum petitos solitâ vestrâ defensione atque tutelâ caruisse. Adeò ut cum unus atque alter è mercatoribus cum ipso etiam Societatis Præfecto, in navem quandam prædatoriam per insidias abducti essent, cæterique vestram fidem implorarent, à vobis tamen nullum auxilium impetrare potuerint, donec ipsi suo Marte mercatores, non sine magno fuorum discrimine captos in eo flumine, cuius vestra urbs domina est, ex latronum manibus eripere cogerentur. Quos cum illi bonis auspiciis domum reduxissent, & ab indignâ servitute veluti manu asleruissent, captos etiam piratas ipsos in custodiā dededissent, *Cochranum* illum persugam & perduellem eò audaciæ processisse accipimus, ut & prædatores dimitti liberos, & mercatores tradi sibi vincetos postulet. Vos autem etiam atque etiam hor tamur & obtestamur, si pactiones, & foedera, & pervetustum utriusque gentis commercium, id quod petitis, inviolatè servari studetis. ut nostri certum aliquod atque firmum sibi præsidium in vestrâ fide, prudentiâ, autoritate collecare demum possint; Vos autem uti eos his de rebus benignè audiatis; tam de *Cochrano*, cæterisque scæleris, illius sociis, quam de iis qui nuper in Concionatorem, impunè adhuc, impetum fecerunt supplicium sumere velitis, aut è finibus exire jubeatis. Neque pulsos atque exules *Tarquinios* amicitiae atque opibus *Populi Anglicani* anteferendos existimetis. Si enim per vos non steterit quo minus Præpub nostræ hostes quidvis licere sibi contra nos in urbe vestrâ confidant,

qua. ii

quam non tuta aut honesta amplius nostrorum ibi commoratio sit, vos cum animis vestris cogitate. Hæc vestrae prudentiae & æquitati; Vos ipsos Divino Numini commendatos volumus. Valete.

*Westmonasterio. Dat. Aug. 10. 1649.*

*Senatui Hamburgensi.*

**P**Erspecta nobis æquanimitas vestra dubiis in rebus nostris, facit nunc ut sanguine prosperis, ac benè gestis, de vestrâ voluntate, & amico in nos animo nequaquam dubitemus. Nos quidem, consecuto jam pœnè bello, & profligatis ubique patriæ hostibus, nihil æquius, aut ad pacem, remque publicam stabilendam firmius esse duximus, quam ut illi qui vel libertatem, ductore semper Deo, per nos adepti sunt, vel vitam atque fortunas post belli civilis facinora, nostro dono atque gratiâ receperunt, nobis vicissim suis Magistratibus fidem & officium, solenni, si opus esset, more testarentur, atque præstarent. Præsertim cum tot homines inquieti & inimici, semel atque iterum in fidem accepti, nullum neque domini neque foris perfidiosè agendi, novasque turbas excitandi finem faciant. Itaque formulam quandam sponsonis prescribendam curavimus, quâ omnes qui aut munus aliquod in Repub. sustinerent, aut legum præsidio muniti incolumitate, otio, cæterisque vitæ commodis fruerentur, conceptis verbis se obstringerent. Hanc etiam per omnes Colonias & quacunque gentium nostri ciues negotiandi causâ agerunt, mittendam censuimus; ut eorum quibus præficiamur, fidem, prout decet atque necesse est, exploratam & cognitam habeamus. Quo magis mirari subit quod ex urbe vestrâ mercatores nostri scribunt, sibi mandata nostra per unum atque alterum vestri ordinis exequi non licere. Sanè quod potentissima Fœderatorum in Belgio Provinciae, suarum rerum & rationum consultissimæ, nihil ad se pertinere existimaverunt, si peregrini scilicet Angli debitam suis domi magistratibus in hæc vel illa verba fidem astringant, id quo pacto vestræ Civitati suspectum aut molestum esse possit, fatemur planè nos necire. Verum hoc à privato quorundam sive studio sive formidine profectum, quos errabundi quidem & pulsi patriâ Scoti, minis dicuntur impulisse, ut mercatores nostros à fide suâ nobis obligandâ deterrerent, Civitati non imputamus. Interea tamen summo vos opere hortamur atque etiam rogamus (non enim mercatura jam, sed Respub. ipsa agitur) ut ne quenquam apud vos patimini, cuius hoc nihil potest interesse, authoritati quam nos in nostros populares, non Exterorum arbitrio aut judicio, sed jure patrio obtinemus, suam quamcunque autoritate in interponere. Quis enim non ægrè ferat, si nos vestris hic Hamburgensis sua erga vos fide interdiceremus. Valete.

*Dat. Jan 4. 1649.*

*Serenissimo ac potentissimo Principi Philippo Quarto Hispaniarum Regi,  
Parlamentum Reipub. Anglie, salutem.*

**A**ntonium Ascammum Virum probum, eruditum, & luculentâ familiâ ortum, de rebus in commune, tam Hispanorum, quam Anglorum genti, ut spes est, valde utilibus, ad Majestatem Vestram legamus. Quamobrem ut ei honestum iter, atque tutum in Urbem Regiam, sicut moris est, necnon & redditum concedere, & præstare velis, parem referre gratiam parata, officiosè perimus. Si id minus placuerit, ut quæ vestra hac in parte sit voluntas, ei quam primum significetur, utque tutto quo volet abeundi potestas fiat.

*Dat. Feb. 4. 1649.*

Serenissimo ac potentissimo Principi Philippo Quarto Hispaniarum Regi,  
Parlamentum Reipub. Anglie, salutem.

**Q**uis rerum nostratum status sit, quamque atrocibus injuriis subacti, sump-  
tis tandem armis, capessendae libertatis consilium ceperimus, constituta  
quà nunc utimur Reipublicæ formâ, neque Majestatem Vestrâm potest la-  
tere, neque alium quemvis, qui evulgata super hac re scipta nostra aequo  
animo perlegerit. Nobis profecto fidem nostram, aequitatem, patientiam,  
testatam cunctis & probatam reddere, autoritatem etiam, honorem, & decus  
nostrum aduersus infames exulum & perfugarum linguas tueri, apud idoneos  
rerum aestimatorum difficile non debet esse. Nunc quod exterarum nationum  
magis interest, deletis, aut depresso Patriæ hostibus, Deo nempe mirificè ad-  
juti, ad pacem & amicitiam omni imperio potierem cum vicinis gentibus  
habendam, paratos nos esse palam atque ex animo prolixemur. Has ob causas  
spectatae solertiae & probitatis Virum Antonium Aschanum in Hispaniam ad Ma-  
jestatem Vestrâm misimus; qui de amicitia deque solito inter utramque gentem  
commercio cum Majestate Vestrâ agat; vel etiam ad novas pactiones, si ita vi-  
sum fuerit, de integro sancendas viam muniat. Huic igitur Vestrâ Majestatis  
adeundi copiam ut faciatis, ejusque incolumitati, necnon etiam honori, quo  
ad isto apud vos munere perfundurus est, velitis prospicere rogamus: ut & ea  
quæ à nobis mandata habet, utriusque genti, ut speramus, profutura, liberè ex-  
ponat; & mentis Vestrâ qui sensus his de rebus sit, nos quam primum certio-  
res faciat.

Westmonasterio dat. Feb. 4. 1649.

Serenissimo Principi Joanni Quarto Lusitania Regi,  
Parlamentum Reipub. Anglie, salutem.

**M**ulta nos & infidae pacis, & intestini belli mala ultima percessos, eò de-  
mùm loci redactos fuisse, ut si salvam Rempubl. vellemus, ejus admi-  
nistrandi ratio magna ex parte immutanda esset, ex iis quæ à nobis hac de re  
scripta publicè & declarata sunt, Majestati Vestrâ jam pridem notum esse arbit-  
ramur. Quibus, ut par est, si fides potius haberetur, quâm improbissimis  
perditorum hominum calumniis, sanè qui foris de rebus nostris pessimè jam  
sentiunt, iis fortasse multò aquicribus uteremur. Nam quod nos jure nostro,  
proque gentilitiâ Anglorum libertate, rectè & majorum more fortiter fecisse con-  
tendumus, de eo pravas & obstinatas nequissimorum hominum opiniones ex  
animis evellere, humanæ opis aut ingenii certè non est. Nunc autem quod  
nobis cum nationibus externis commune, & in rem utrinque magis existit, a-  
amicitiam & commercium quod nostris hominibus, cum vicinâ quacumque gen-  
te consuevit esse, non inimicatum, sed auctum atque ratum magnoperè cupi-  
mus. Cumque vestro in regno populares nostri permagna & per utriusque genti  
quaestuosa habeant negotia, iis ne impedimentum aliquod aut incommodum at-  
feratur, quantum in nobis est, curabimus. Id vero prædicimus frustrâ fore,  
dum piratis & defectoribus nostris perfugium sibi vestris in portibus reperire, &  
onerariis Anglorum navibus, vi captis atque direptis, bona civium nostrorum  
sub hasta vendere Ollisipone, ut nuntiatur, permisum est. Huic malo quo  
maturius occurrit, & de ea, quam petimus, amicitiâ clarius ut constet, No-  
biliissimum Virum Carolum Vane, Oratoris munere prædictum, cum mandatis  
atque diplomate, commissi sibi muneris teste, ad Majestatem Vestrâm legavimus.  
Eum itaque benignè audire, fidem ei adlibere, ejus denique incolumitati atque  
honori, per omnes regni vestri fines, ut velis consulere obtestamur. Hæc om-  
nia & nobis pergrata, & Majestati Vestrâ, si fortè usus venerit, nostra omnium  
officia mutua fore pollicemur.

Westmonasterio dat. Feb. 4. 1649.

Serenissimo Principi Joanni Quarto Lusitanæ Regi,  
Parlementum Reipub. Angliae, salutem.

**Q**uotidiani ferè, & perquam graves afferuntur ad nos nuntii, Classiatis quosdam nostros, & gubernatores, qui abductis per scelus atque proditionem, quibus præerant, navibus, superiore anno à nobis defecerant, eiapsos demum ex eo portu Hiberniæ, in quo æstate fermè totâ oblesssi, vix poenam suis flagitiis dignam effugerant, ad *Lusitanæ* nunc oram, Tagique fluminis ostium se receperis: Ibi captis atque direptis quæ ad mercaturam ultrò citróque commen-  
t, *Anglorum* navigiis, piraticam strenuè facere, & vicina quæque maria, fre-  
tunque omne Gaditanum latrocinis infestum atque infame reddidisse. Cui ma-  
lo nisi primo quoque tempore obviā eatur, actum esse de commercio, quod nostris hominibus cum *Lusitanis* per amplum & per utriusque genti quaestuosum  
est, quis non videt? Quamobrem à *Vestra Majestate* etiam atque etiam petimus, ut piratas nostros & delectores, *Portugallicæ* finibus exire jubeas; & si qui à *Caro-  
lo Stuarte* pseudolegati adsunt, eorum uti rationem ne habere digneris; nosque  
potius agnoscas, ad quos *Anglicarum* jam summa rerum, Deo planè aspirante,  
rediit; utque nostræ amicorum Classi, non minus vestris quam *Anglorum* com-  
modis inservienti, *Lusitanæ* portus, atque flumina præcludi ne finas.

Philippe Quarto Hispaniarum Regi.

**Q**UAM graviter quamque acerbè tulerit *Majestas Vestra* nefariam illam *Antonii Afchani* cratoris nostri cædem, & quid puniendis ejus intersectoribus ha-  
ctenus effectum sit cum ex literis vestris, tum ex *Domino Alfonso de Cardenas* lega-  
to vestro percepimus. V eruntamen facinoris illius atrocitatem quoties nobiscum  
reputatus quæ & ipsam vel habendi vel conservandi commercii rationem fun-  
ditus tollit, si Legatorum jus apud omnes nationes sanctissimum impunè tanto  
scelere violabitur, non possumus quin Majestatem vestram sumimâ instantiâ ite-  
rûm efflagitemus ut supplicium de illis parricidis primo quoque tempore debitum  
sumatur, utq; justitiam ullâ morâ aut obtentu religionis frustrari diutius ne  
sinat. Et quanquam potentissimi regis amicitiam plurimi certè facinus, tamen  
ut tam infandi parricidij authores dignas suo scelere peccas persolvant omnem  
dare operam debemus. Humanitatem quidem illam quam jussu vestro in *His-  
pania* portibus nostri homines persensere, præclararam etiam vestræ Majestatis  
in nos voluntatem quam nuper amplissimis verbis vestro nomine Legatus nobis  
exposuit grato animo agnoscimus, neque non voluptati nobis erit eadem par-  
ter officia, si quis usus venerit, *Vestra Majestati* & *Hispanorum* genti reddere. At  
nisi justitiae sine mora satisfiat quod jamdiu petimus, quo niti fundamento ami-  
cicia sincera ac diurna possit non videnuis, cuius tamen conservandæ a nobis  
quidem nulla honesta occasio facile omitteretur, cui etiam fini præsentiam Legati  
apud nos vestri conducere existimamus.

Legato Hispanico.

Excellentissime Domine,

**C**oncilium Status, quam primùm per gravissima Reipub. negotia licuit, in  
Parlementum attulit quatuor illa scripta quæ visum est *Excellentia Vestra* un-  
de vigesimo proximi Decembris cum Concilio communicare, Concilium à Parla-  
mento in Mandatis haber, quod ad primum scriptorum illorum caput, de nuperi sci-  
licet *Residentis* sui *Dom. Afchani* nefariis intersectoribus, Responsum hoc reddere:

Parlementum tamdiu, totiès, tamque merito, debitum eorum supplicium po-  
stulâste ut amplius dicere opus non sit in re tanta ubi ( ut *Excellentia Vestra* pul-  
chrè meminit ) *Regia Majestatis* ipsa agitur Authoritas: Et sine qua re omnis  
ratio Societatis humanæ & conservandæ inter gentes amicitiae tolli necesse erit.  
Neque sane ullo ab Religione petito arguento intelligere possumus, innocen-  
tium sanguinem scelestissimâ cæde effusum non esse vindicandum, Etiamnum  
itaque instat Parlementum & ab *Regia Majestate* expectat, ut, juxta priora sua po-  
stulata, satisfactio sibi re ipsâ atque effectu detur.

Sere-

Serenissimo Principi Leopoldo Austriæ Archiduci, Provinciarum in Belgio  
sub Philippo Rege Præsidi.

**U**T primum ad nos non sine gravissimâ querelâ perlatum est, *Janam Puccherinam* illustri & opulentâ Familiâ puellam hæredem, cum adhuc propter ætatem sub Tutoribus esset, haud procul eâ domo, in quâ tunc fortè *Grenovici* agebat, de manibus & complexu famularum raptam fuisse, & parato ad id navingio in *Flandriam* subito deportatam, *Walcius* cuiusdam insidiis, qui per fas & nefas omnia molitus est, ut pupillam locupletem, vel ostensio mortis metu, ad nubendum sibi adigeret, huic tâm atroci tamque inaudito sceleri primo quoque tempore occurrentum esse rati, dedimus quibusdam negotium, ut cum præfectis Neoporti & Ostendæ ( nam in ea fortè loca infelix illa dicebatur appulsa ) agerent de ingenuâ raptoris manibus eripiendâ. Qui utrique pro suâ singulari humanitate & honesti studio, captivæ, perque latrocinium domo abductæ opem libenter tulerunt ; illa verò ut prædatorum vim quoquo modo effugeret, in *Cœnobium* votarum virginum veluti sequestrò deposita est. Quam ut ille *Walcius* inde abducaret, actionem in foro ecclesiastico *Iprensis Episcopi* de contracto secum matrimonio instituit. Veruntamen, cum & raptor & rapta nostrates omnino sint, ipsum etiam facinus in nostra ditione perpetratum, quod juratis testibus abundè liquet, hæreditas denique tam lauta, quam illum impri- mis inhibâsse constat, in nostrâ potestate sit, hujus propterea causæ cognitionem totam, atque judicium ad nos duntaxat pertinere arbitramur. Veniat huc igitur qui se sponsum nominat, suam hic litem instruat, quamque jure suam contendit esse uxorem, tradi sibi postulet. Hoc interim à *Vestra Celsitudine* vehementer petimus, quod & per nostrum internuntium Bruxellis commorantem jam aliquoties petivimus, ut afflictam & indignis modis habitam puellam, honestis parentibus ortam, suâ ex Patriâ prædotorum in modum abductam, quoâd potes, liberam & incolumem redire domum finas. Hoc abs te non nos tantum, siquam *Vestræ Celsitudini* parem à nobis gratiam, parque beneficium reddi posse acciderit, sed ipsa etiam humanitas, ipse pudor qui ad tuendum sexus illus honorem & pudicitiam viris bonis atque fortibus inesse debet, junctis unâ precibus efflagitare videntur. Vale,

*Westmonasterio Martii 28. 1650.*

Serenissimo Principi Joanni Quarto Lusitanæ Regi.

**Q**UOD Oratorem nostrum & honorificè acceperit *Majestas Vestra*, & benignè statim audierit, nullam interponendam esse moram statuimus, quin alteris quam primùm literis nostris intelligeres, gratissimum id nobis accidisse ; nosque nihil sanctius decrevisse, quam pacem, amicitiam, commercium, quod nobis cum Nationibus plerisque exteris, & inter eas cum *Lusitanis* jam diu est, nullo nostro dicto aut facto, non prius lacefisti, violare ; nec alia mente aut consilio classem *Anglicanam Tagi* fluminis ad ostium misisse, quam hostes jam totiès fugatos perlequendi, resque nostras reperiendi, quas pér vim & proditionem suis dominis ablatas, colluvies ista perfugarum vestras in oras, ipsamque etiam *Olifiponem*, tanquam ad certissimas latrocinii sui nundinas, asportavit. Verum isti homines cujus audaciæ, furoris, & insaniae sint, ex ipsorum moribus flagitiosissimis omnes jam penè *Lusitanos* abundè perspexisse arbitramur. Quo facilius à *Majestate Vestra* impetraturos nos esse confidimus, primùm ut *Illusterrimo Viro Odoardo Poppamo*, quem huic novæ classi præfecimus, quibus potes rebus ad prædatores hosce debellandos adjumento esse velis, utque eos cum duce suo, non hospites, sed piratas, non mercatores, sed commercii pestes, jurisque gentium violatores, intra regni vestri portus, & munimenta diutius consistere ne finas ; sed quâ patent *Lusitanæ* fines, terrâ marique pelli jubeas : sin hoc minus, ut nobis saltem pace vestrâ liceat defectores nostros, & prædones propriis duntaxat viribus aggredi, &, si Deus dederit, in nostram potestatem redigere. Hoc ut prioribus literis vehementer petivimus, sic jam idem studio maximo atque opere ab *Majestate Vestra* contendimus. Hac sive æquitate, sive beneficio, non iustitiae solùm tuae famam per omnes gentes benè moratas adauxeris, sed & nos

imprimis, populumque *Anglicanum Lusitanis* jam anteà minime aduersum, Tibi tuoque populo majorem in modum devinxeris. Vale.

*Westmonasterio. Dat. 27. Aprilis. 1650.*

*Hamburgensibus.*

**D**E controversiis mercatorum, nonnullis etiam aliis de rebus quæ Reipubl. nostræ dignitatem aliquanto propius attingere videntur, scriptum inter nos haud semel, atque responsum est. Cum verò istiusmodi negotia solis literis confici vix posse intelligamus, esse autem à *Carolo Stuarto* immisso in urbem vestram seditiosos quosdam, nullâ re magis quam scelere atque audaciâ instructos, qui id agunt, ut nostrorum hominum, quorum præfertim fides in patriam perspectior sit, commercium tam vetustum in civitate vestra funditus tollant, idcirco virum nobilem & spectatissimum *Richardum Bradshaw* nostrum apud vos Internuntium esse jussimus: qui secundum ea quæ à nobis mandata habet, de rebus iis atque negotiis quæ cum utriusque Reipubl. utilitatibus conjuncta sunt, vobiscum uberiori communicare, & transfigere possit. Hunc igitur ut benevolè quam primùm audiatis rogamus; utque ei per omnia fides ea, isque honos habeatur, qui hujusmodi munus rectè obeuntibus ubique gentium haberi solet. Valete.

*Westmonasterio. Dat. 2. Aprilis. 1650.*

*Hamburgensibus.*

*Amplissimi, Magnifici, & spectabiles Viri, Amici charissimi;*

**S**TUDIA vestra quibus venientem ad vos Residentem nostrum accepistis, tam propensa, tamque egregia extitisse, & libenter intelligimus, & in eadem erga nos voluntate atque animo perseverare velitis magnoperè hortamur. Idque èo vehementius, quod perlatum ad nos est, exules illos nostros, de quibus jam sèpe scripsimus, efferre se solito insolentiùs in urbe vestra, nec contumelias solum, sed & minas quosdam atrocissimas in Oratorem nostrum palam projicere. Hujus itaque salutem atque etiam debitum honorem hisce rursus literis commendatissimum vobis esse volumus. In illos autem persugas & sicarios, tam veteres quam recentes, si maturius animadvertis, & nobis gratissimum, & authoritate vestra atque prudentiâ dignum feceritis. Valete.

*Westmonasterio. Dat. 31. Maii. 1650.*

*Philippo Quarto Hispaniarum Regi.*

**A**NTONIUM ASCAMUM à nobis ad Majestatem Vestram nuper missum Oratorem, eoque nomine à Præfectis vestris perhumaniter & publicè acceptum, post itineris pericula tam longinqui, primo statim adventu in urbem Regiam, omni præsidio nudatum, tam fædo parricidio confossum in diversorio quodam, & cum Joanne Baptista de Ripa ejus interprete macstatum esse, magno sanè cum dolore accepimus. De illis autem parricidis jam comprehensis, ut fertur, & in custodiā datis, qui non nos duntaxat per illius latera, sed vestram quoque fidem atque honorem consauciare ac pñè transfigere sunt ausi, deque eorum quibus cunque hortatoribus ac sociis ut supplicium tanto scelere dignum primo quoque tempore sumatur, opere quam maximo à Majestate Vestra petimus. Quanquam id nihilo minus factum iri, quod petimus, utpote à Rege sua sponte pio atque justo, etiamsi nemo peteret, non dubitamus. Quod reliquum est, ut corpus exanime amicis suis atque famulis in patriam deportandum tradatur, utque eorum saluti qui supersunt eā, quā par est, ratione consultum atque provisum tantisper sit rogamus, donec responso ad hasce literas, si fieri potest, secum ablato, vestræ pietatis atque justitiæ testes ad nos quam primùm redierint.

*Westmonasterio. Dat. 28. Junii. 1650.*

*Excellentissimo Domino Antonio Joanni Ludovico de la Cerdas, Medina Cel  
Duci, Andalitiae Praesidi;  
Consilium Status Parlamenti Angliae auctoritate constitutum, Salutem.*

**A**ccipimus ab Ornatisimis Viris quos nuper in *Portugalliam* ad persequendos proditores, resque nostras repetendas cum classe misimus, se ab *Amplitudine Vestra*, quoties contigit ut *Gallacia* oram legerent, quæ præfectura vestra est, & perhumaniter illis portubus exceptos fuisse, & iis rebus omnibus adjutos, quæ navigantibus usui solent esse. Ea vestra humanitas, cum pergrata nobis omni tempore fuisset, tum est nunc præcipue, cum aliorum iniquum in nos animum nullo merito nostro aliquibus in locis experimur. Petimus itaque abs te *Illustrissime Domine*, ut in eadem erga nos voluntate ac benevolentia permanere velis: utque nostris hominibus, quoties ad ea littora naves appulerint pro solita humanitate tua favere & adjumento esse pergas: tibique persuadeas nihil nos beneficij loco abs te petere quod non eodem studio vel Tibi vel tuis reddere, siquando similis occasio nobis dabitur, parati erimus.

*Westmonasterio. Dat. 7. Novemb. 1650.*

Signat. Consilii sigilli

*Jo. Bradshaw Præses.*

*Illustri & Magnifico Civitatis Gedanensis Senatui.*

*Magnifici atque Amplissimi Domini, Amici Charissimi.*

**F**requentes ad nos literæ mercatorum nostrorum, qui Borussiæ per oram ne-gotiantur, allatae sunt, quibus tributum grave quoddam & insolitum nuper in magno *Polonorum* Concilio imponi sibi queruntur; ut decimam scilicet facultatum suarum omnium partem sublevando *Scotorum* regi, nostro hosti, suppeditarent. Quod cum juri Gentium contrarium planè sit, tractari hunc in modum hospites & mercatores, iniquissimum etiam, ut cujus tyrannide sint domi, divinâ ope, liberati, iidem in aliena Republica stipendia persolvere cogerentur, non dubitamus quin pro illa libertate, quâ frui vos intelligimus, tam grave onus mercatoribus imperari in urbe vestra pati nolitis; in qua amicitiam & commercium, nec sine magno vestræ civitatis emolumento, per tot annos habuere. Si est igitur ut nostrorum hominum apud vos mercaturam facientium tutelam suscipere velitis, quod quidem cùm ab æquitate & prudentia vestra, tum etiam à dignitate splendidissimæ urbis haud dubitantे expectamus, eam operam dabimus, ut gratissimum id esse nobis omni tempore sentiatis; quoties in ditione nostra *Gedanenses* vel negotia habuerint, vel naves, quod sàpè fit, ad portus nostros appulerint.

*Westmonasterio. Dat. 6. Feb. 1650.*

*Internuntio Portugallico.*

*Illustris Domine,*

**L**iteras tuas hujus mensis quinto decimo *Hamptoni* ad nos datas accepimus. In quibus significas te à rege *Portugallie* ad *Parlementum Reipub. Angliae* missum esse: quo autem muneris titulo, sive Legati sive Agentis, sive Internuntii non dicis; id quod ex literis quas à rege habes commendatitias sive credentiales intelligere velimus; quarum exemplar ad nos poteris quam primum mittere; simul & illud scire, satisne plenâ potestate instructus venias ad eas injurias expiandas, damnaque ea resarcienda quæ à Rege vestro illata huic *Reipub.* sunt: dum hostem nostrum totâ æstate proximâ suis portubus tutatus *Classem Anglicanam* in rebelles & perfugas quos eò usque insecuta erat, impetum facere parantem cohibuit, hostem ab invadendis nostris non cohibuit. De his omnibus ut satisfacias, si ampla & libera mandata accepisse te scriperis, & illarum quas diximus

mus literatum exemplar unà miseris, deinceps curabimus, ut ad nos fide publicâ primo quoque tempore tutò compeare possis: ubi cum regis literæ perlectæ fuerint tibi, quæ mandata porrò attulisti, ea liberè exponendi facultas dabitur.

*Parlamentum Reipub. Angliae Serenissimo Principi D. Ferdinando Secundo,  
Magno Duci Etruriæ, &c. Salutem.*

**L**Iteras *Celsitudinis Vestra* 22 Aprilis 1651. *Florentia* datas, & à Residente Ve-  
stro Domino Almerico Salvetti nobis redditas accepimus, in quibus *Anglico*  
nomini quantoperè faveat *Celsitudo Vestra*, Gentemque eam quanti faciat facile  
perspicimus, id quod non solùm Mercatores nostri, qui in portibus vestris  
multos jam annos negotiantur, verùm etiam Adolescentes quique nostræ natio-  
nis nobilissimi, qui vestras per urbes aut iter feceré, aut excolendi ingenii causâ  
commorati sunt, testantur atque confirmant, quæ cum nobis pergrata sanè sint,  
& acceptissima, tum hoc etiam atque etiam petimus, ut quo animo, quoque  
studio in nostros mercatores, aliosque nostræ *Reipub.* Cives *Hetruscam* ditionem  
peragrandes, *Serenitas Vestra* consuevit esse, in eo velit perseverare: nosque vi-  
cissim pollicemur atque recipimus, quod ad *Parlamentum* attinet, nihil desuturum,  
quod & commercio & amicitiae mutuae, quæ inter utramque Gentem jam diu  
inveteravit, firmandæ ac stabiliendæ possit conducere; quam quidem omnibus  
utrinque humanitatis officiis, mutuaque observantiâ, in perpetuum conservari  
cupimus, atque optamus.

*Westmonasterio. 20 Januarii 1651.*

*Subscripti & Parlamenti sigillum apponi fecit*

Gulielmus Lenchall,  
Prolocutor Parlamenti Reipub. Angliae.

*Parlamentum Reipub. Angliae Illustri & magnifico Civitatis Hamburgensis  
Senatui, Salutem.*

*Amplissimi, magnifici & spectabiles viri, Amici charissimi;*

**P**arlamentum Reipub. Angliae, cum antiquam amicitiam, mutuumque commer-  
ciuum, quæ inter gentem *Anglicam* Vestramque civitatem est, continuatum  
magnoperè vellet & conservatum, haud ita pridem Richardum Bradshaw armige-  
rium Residentis Munere prædictum illuc misit, eique inter alia mandata eò spe-  
ctantia disertis verbis mandavit, ut contra quosdam vestræ ditionis justiciam  
effligaret, qui Societatis *Anglica* Concionatorem interficere sunt conati, qui-  
que Deputato Illius Societatis impias manus injecere, & mercatoribus quibus-  
dam ejus Societatis præcipuis impias manus injecere, eosque in navem præda-  
toriam abduxerant, & quamvis prædictus *Residenti* cum exciperetur primum &  
audiretur, accepta ab hac *Repubica* mandata illa sigillatim vobis nota fecerit, qui-  
bus justiciæ vestræ exemplum in maleficos illos edendum expectabatur, tamen  
cum expectationi nostræ responsum non esse intelligeremus, illud nobiscum co-  
gitantes quanto in periculo & nostri homines & illorum facultates versarentur,  
si de incolumitate illorum & tutela adversus hostium malitiam & iniquos oppug-  
natores non satis provisum esset, rursus prædicto *Residenti* in mandatis dedimus,  
ut nostrum ejus rei sensum representaret: Utque hujus *Reipub.* nomine Vos ut  
amicitiam & necessitudinem inter hanc *Rempub.* vestramque civitatem initam  
magnumque usum qui huic *Reipub.* cum vestra civitate intercedit conservare,  
adeoque mercatores nostros cum eorum privilegiis sine ulla violatione protegere  
velitis hortaretur; utque nominatim in quandam, cui nomen *Garmes* est, qui se  
in hanc *Rempub.* contumeliosè geffit, certosque ex societate mercatorum *Anglica*,  
*Vestra* in urbe commorantes, ad contumeliam hujus *Reipub.* magnamque nostrorum  
mercatorum molestiam, in *Spirensen* Cameram publicè citavit: quâre repa-  
rationem ejusmodi expectamus quæ aequitati & justiciæ consentanea est.

De hisce capitibus, & si quid amplius ad hujus *Reipub.* cum vestra civitate  
amicitiam pertinuerit, prædictum *Residentem* hujus *Reipub.* nomine ad vos jussi-  
mus

mus accedere : cui, ut fidem amplam in iis quæ hic spectantia proposuerit habeatis, rogamus.

*Westmonasterio. Dat. 12 Martii. 1651.*

Subscriptis & Parlamenti sigillum imprimendum curavit;  
Prolocutor, &c.

*Parliamentum Reipub. Anglie serenissime Christianæ, Suecorum, Gothorum  
Vandalorumque Regiae, &c. salutem.*

Serenissima Regina;

**M**ajestatis vestre Literas ad Parliamentum Reipub. Anglie 26 proximè elapsi Septembbris Stockholma datas per Petrum Spiering Silvercroon accepimus, & perlegimus: & veterem quidem amicitiam nec non commercium magnumque usum qui Anglis cum Suecorum gente antiquius intercedit permanere atque in illis augere vellementer atque ex animo cupimus: Neque dubitamus quin Leg. tu. à Majestate vestra ampliter instructus venerit ad ea maximè proponenda quæ in rem atque decus Genti utriusque futura imprimis suillent, quæque nos audire ex eo paratissimi fuissemus & quod utrinque potissimum salubre atque utile videtur, id primo quoque tempore effectum reddidisse. Verum summo rerum Moderatori Deo ita visum est, ut is antequam audiri se petiisset de iis quæ Parliamento exponenda ab Majestate vestra in mandatis habebat, evenit ut ex hac vita excederet (cujus quidem desiderium ita agrè atque acerbè tulimus, ut qui simus in divina voluntate acquiesceremus) unde & Majestatis vestrae quæ mens esset adiuc scire nequeamus, ejusque rei progressibus in præfens injecta mora sit: Quocircà optimum nobis visum est hisce literis quas, misso hac ipsa de re nuntio nostro, dedimus, significare vestrae Majestati quam gratae Literæ vestrae, quamque acceptus vester publicus Minister Parliamento Reipub. Anglia fuerit; simulque vestrae Majestatis amicitiam quantopere expectamus; quamque etiam, ut par est, tantæ principis amicitiam plurimi faciemus: deque illo quod inter hanc Rempub. & Majestatis vestrae Regnum est commercio exaugendo, ita existimabimus quemadmodum, de re maximi utrobique momenti existimare debeamus: quod & ea de causa Parliamento Reipub. Anglia acceptissimum erit. Ad eoque vestram Majestatem divinæ tutelæ recommendare volumus: Quorum nomine & autoritate,

*Datis Westmonasterio die Martis ann. Dom. 1651.*

Subscriptis & Parlamenti Sigillum imprimendum curavit  
Prolocutor Parlamenti Reipub. Anglia.

*Parliamentum Republicæ Anglie Serenissimo Principi Ferdinando Secundo  
Hetrurie Magno Duci, Salutem.*

**L**iteras Celsitudinis Vestrae 22 Aprilis 1651. Florentiâ datas, & a Residente Vistro Domino Almerico Salvetti nobis redditas accepimus; in quibus Anglico nomini quantopere faveat Celsitudo Vestra, gentemque eam quanti faciat, facile perspicimus: Id quod non solum Mercatores nostri qui in portibus vestris multos jam annos negotiantur, verum etiam Adolescentes quique nostræ nationis nobilissimi atque honestissimi qui vestras per urbes aut iter fecere aut excollendi ingenii causâ commorati sunt, testantur atque confirmant. Quæcum nobis pergrata sane sunt & acceptissima, tum hoc etiam atque etiam petimus, ut quo animo quoque studio in nostros mercatores, aliosque nostræ reipublicæ cives Hetruscum ditionem peragrantes Serenitas Vestra consuevit esse, in eo velit perleverare: nosque vicissimi pollicemur atque recipimus, quod ad Parliamentum attinet, nihil defuturum, quod & commercio & amicitiae mutuae, quæ inter utramque rempub. tam diu inveteravit, firmandæ ac stabiliende possit conducere:

Jucere : quam quidem omnibus utrinque humanitatis officiis mutuâque observantia in perpetuum conservari cupimus atque optamus.

*Westmonasterio May 22. 1651.*

*Parlementum Reipublice Anglie serenissimo ac potentissimo Principi Philippo Quarto Hispaniarum Regi, salutem.*

**P**ermagnas nobis querelas deferunt hujus Reipub. mercatores qui in ditionibus *vestra Majestatis* mercaturam faciunt, de vi multa atque injuriis sibi allatis, deque novis etiam tributis sibi impositis à præfectis aliisque officialibus vestrorum portuum & locorum ubi negotia habent, & nominatim in insulis *Canariis*, idque contra foederis articulos quos commercii causa utraque natio inter se sanxit. Quas eorum querelas veras esse jurejurando confirmavere. Nobisque demonstrant, nisi jus suum obtinere possint, suaque damna resarciantur, nisi denique contra vim istiusmodi atque injurias præsidium aliquod certum, atque tutelam & sibi & fortunis suis habituri sint, non possè se amplius iis in locis negotiari. Quibus eorum querelis graviter à nobis perpensis, cumque facta illorum ministrorum iniqua, aut non omnino aur secus quam res se habet ad notitiam *vestra Majestatis* pervenisse existimemus, visum est nobis ipsas eorum querelas cum hisce litteris ad *Majestatem vestram* unâ mittere; nec dubitamus quin *Majestas vestra* cum ipsius justitiae amore tum etiam commercii causâ quod vestris haud minus quam nostris hominibus fructuosum est, suis præcipere velit ut ab inquis illis nostrorum vexationibus abstineant, utque hujus Gentis mercatores expeditam justitiam obtinere queant, necnon debitam earum injuriarum reparationem, quæ à Domino *Petro de Carillo de Guzman*, atque aliis illatae sibi sunt, contra prædictos foederis articulos, utque perficere velit *Majestas vestra* ut prædicti Mercatores fructum illorum articulorum percipere queant, in eaque vestra tutela sint, ut tam ipsi quam fortunæ suæ ab omni injuria liberæ & incolumes esse possint. Hoc autem magna ex parte confecuturos se esse putant, si ademptam sibi illam de judice conservatore schedulam qui eos à novo quodam Consulatu in se quidem iniquiore defendat, *Majestas vestra* rursus concesseit; ne si nullum ab injuria refugium sibi detur, abrumpi illud commercium quod utriqüe genti commoda haud parva attulit, violatis hunc in modum foederis articulis, necesse sit.

*Westmonasterio. Augusti, 1651.*

*Serenissimo Principi Venetiarum Duci, Senatusque Celsissimo, Concilium Statutis Parlamenti Reipub. Anglie Authoritate constitutum, salutem.*

*Serenissime Princeps, celsissime Senatus, Amici charissimi;*

**M**ercatores quidam nostri, quorum alteri *Joannes Dickons*, alteri *Job Throckmorton* nomen est, simulque alii apud nos questi sunt, quod cum Novembris octavo & vigesimo 1651. ex jure & authoritate Curiæ nostræ Ammiralatus occupassent in navi *Hirundine* vulgo nuncupatâ, cui in Dunis consistenti *Isaacus Taylor* Magister erat, centum dolia Caveari vulgo dicti, quæ sua propria bona essent, inque sinu Moscovitico Archangeli dicto eandem in navem imposita; atque in eâ Curiâ, prout lege agitur, decretum obtinuerint quo dicta Caveari dolia sibi traderentur, fide suâ priùs interpositâ, se in illius Curiæ sententiâ quieturos; quodque eadem Curiâ, quo lis illa ad exitum perducetur, cum pro more scripsisset ad Magistratus Judicesque Veneros, literas, quibus petebant uti *Joannem Platum* (Venerâ sub ditione degentem, qui Cavearium illum sibi vendicat) citarent quo re per procuratorem in Ammiralatus curia Anglicâ se fisteret, ubi lis ista penderet, jusque suum probaret, tamen idem *iactus*, & quidam *David Ratts Hollandus*, dum causa hæc in nostro hic foro penderet, multum supradicto *Joanni Dickon*, aliisque illis mercatoribus de Cavearo isthoc negotium facessit; eorumque bona & facultates nexus occupandas Veneris curat: quæ omnia singulatim, & quid hactenus in prædictâ nostrâ curiâ sit actum in literis illis requiri-

requisitoris fusiū exponitur ; quas postquam à nobis inspectae essent, ad serenissimam Venetiarum Rempub. ut Mercatoribus in hac causā adjumento esse possint, transmittendas censuimus ; atque ab eā vehementer petimus ut non solum illae literae vim suam atque pondus illic habere queant, sed etiam ut bona illa & facultates Mercatorum, quas prædictus *Piattus & David Rauts* nexus illigandas curarunt, liberentur ; dictique rei ad nostram hic curiam remittantur, quid sui sit juris in hoc Cavearo sibi vendicando lege experturi. Qua in re Celsitudo vestra & serenissima Respub. fecerit & quod aequissimum in se est, & quod illibatā utriusque Reipub. amicitia est dignum, quod denique, oblata quavis occasione, pari hujus Reipub. benevolentia atque officiis compensabitur.

*Datis ab Alba Aula die Feb. 1652.*

Subscriptis & Concilii Sigillum imprimendum curavit,  
*Concilii Preses.*

*Ad Legatum Hispanicum.*

*Excellentissime Domine,*

**C**oncilio Status cum ex mandato Parlamenti secundo die mensis *Martii* accepto de charta Excellentiae vestrae 17 Feb. Commissariis hujus Concilii exhibita deliberationem seriam habuerit, in qua Excellentiae vestrae visum est proponere uti duobus capitibus illic nominatis quali præviis responderetur, responsum hoc Excellentiae vestrae reddendum censer.

Parlamentum, ubi ad ea respondit quæ ab Excellentia vestra cum primum audiatur proposita sunt tum etiam in iis literis quas ad Serenissimum Hispianiarum Regem scripsit, quæm sibi grata quamque accepta illa fuerit amicitia, ususque mutuus qui & ab illius Regia Majestate & à vobis ejus nomine oblatus est, quam denique deliberatum sibi fuerit parem amicitiam quod ad se attinet, pariaque officia reddere uberioris declaravit.

Exinde visum vestrae Excellentiae cum primum audita in Concilio est Decembris 19 styli veteris, huic Concilio proponere, veluti rationem quandam auspiciandæ arctioris hujus Amicitiae, cuius facta tum a vobis mentio erat, ut certi ex suo corpore nominarentur qui ea quæ attulisset Excellentia vestra audirent, iis perpensis de eorum utilitate ad Concilium referre quam primum possint, cui vestro postulato ut satisficeret certos ex suo numero Concilium nominavit, qui Excellentiam vestram convenienter quod & proinde factum est eorumque loco quæ proponenda expectabantur, Chartam illam supradictam congressio ea promulgit, ad quam responsum hoc Concilii est.

Cum Parlamentum ea declaraverit, vestraque Excellentia progressum eum fecerit qui supradictus est, paratos nos esse, cum Excellentia vestra in colloquium venire iis de rebus quas Domini regis vestri nomine proposueritis, tam de amicitia jam pridem inita, quam de arctiore ineunda, aut si quid à nobis hujus Reipub. nomine in medium proferetur ; cumque ad singula ventum erit, ita respondemus, ut par est, naturaque rei postulabit.

*Alba Aula. Martii 21. 1652.*

*Parlamentum Reipub. Angliae, serenissimo Principi Frederico Tertio Dacie Regi, &c. salutem.*

*Serenissime & potentissime Rex;*

**L**Iteras vestrae Majestatis undevigesimo proximi Decembris ad Parlamentum Reipub. Angliae ab arce regia Haphniædatas per virum nobilem *Henricum Willumsen Rosenving de Lysacker* accepimus, eoque animi affectu quem res illic propositæ merentur libentissimè perlegimus, Vestraque Majestati persuasum hoc esse cupimus, eundem animum, eadem veteris amicitiae commercii, ac necessitudinis quæ Angliae cum Dania per tot annos intercessit continuandæ & conservandæ studia quæ in Majestate Vestra sunt in nobis quoque esse ; haud nescientes;

entes, quamvis divinæ Providentiae visum sit gentem hanc tam benignè & placide respicienti receptam apud nos prioris regiminis formam iam melius mutare, easdem tamen utrinque rationes, eadem in commune commoda, eundem mutuò usum atque liberum commercium, quæ pactiones priores & foedera inter utramque nationem pepererunt, etiamnum durare vimque priorem obtinere, utrasque etiam obligare ut communem dent operam Foedera illa quam utilissima sibi mutuo reddendo ut amicitiam quoque propriorem ac stabiliorem indies reddant: Cumque Vestrae Majestati placuerit ea persequi consilia quæ in litteris vestris regiis scripta sunt, Parliamentum eadem amplecti et in alacritate omnì ac fide paratum erit, eaque omnia pro virili sua parte conferre quæ illum ad finem conducere arbitrabuntur; sibique persuadent, Majestatem Vestram hac de causa, ea itidem consilia capturum esse adhanc rempub. spectantia ( cui etiam provisum pactis prioribus est) quæ ad hasce res facere possint ab Majestate Vestra nobis tam cupientibus propositas. Parliamentum interea Majestati Vestra ac populo felicitatem prosperaque omnia precatur.

*Datis Westmonasterio die  
April. An. Dom. 1652.*

Sub Sigillo Parlamenti subscriptis ejus nomine atque  
authoritate Prolocutor Parlamenti Reipub. Angliae.

*Parliamentum Reipub. Angliae illustribus & magnificis Hanseaticarum  
Civitatum Proconsulibus ac Senatoribus, Salutem.*

*Amplissimi, magnifici & spectabiles Viri, amici charissimi;*

**P**arlamentum Feipubl. Anglie literas vestras sexto decimo Januarii proximè elapsi datas, perque vestrum publicum Minist. um Leonem ab Aisema allatas acceptit atque perlegit, eumque ex earum authoritate audivit, qui & vestrum Civitatum erga hanc Rempub. propensum & amicum animum exposuit, & antiqua illa inter easdem amicitia ut pono maneat petivit. Parliamentum itaque pro festestatur atque confirmat pergratum sibi esse, pristinam illam amicitiam ac necessitudinem quæ huic Genti cum illis Civitatibus intercessit & renovari ratamque permanere, teque fore paratum quavis occasione commocum oblatâ quod verbis in se recipit id iepsâ solidè prætarat, eademque fide & integritate antiqui illi amici & foederati sui ut secum agant expectat: quæ autem præterea Residentis vester Speciatim in mandatis habuit, cum ea ad Concilium Status integrâ à nobis remissi fuerint, quæque proposuisset ibidem consultata, responsum illic atque transactum cum eo ita fuit, prout quidque maximè cum æqualitate & ratione concretire visum est, quod & Residentis Vestre renunciare ad vos poterit: cajus prudentia & spectata probitas collata in eum à vobis publici muneri notâ dignum prædicat.

*Datis Westmonast. die  
April. An. Dom. 1652.*

Sub Sigillo Parlamenti subscriptis, ejusque nomine &  
authoritate, Prolocutor Parlamenti Reipub. Angliae.

*Parliamentum Reipub. Angliae illustri & magnifico Civitatis  
Hamburgensis Senatui, Salutem.*

*Amplissimi, magnifici & spectabiles Viri, amici charissimi;*

**P**arlamentum Reipubl. Anglie literas vestras quinto decimo Januarii proxime elapsi Hamburgo datas, perque nobilem Virum Dominum Leonem ab Aisensi veltrum & ceterarum Civitatum Hanseaticarum Residentem allatas acceptit atque perlegit, eumque ex earum authoritate audivit, & quæ amplius ab vestra Civitate mandata speciatim habuit, de iis ad Concilium Status remisit, quibus ut exciperent quæ ab eo proponerentur, deque iis quæ justa & æqua videbatur, cum eo cum primum transigerent, authores fuimus; quod etiam exercitae factum eit. Utque Parliamentum earum rerum quæ à vobis afferentur debitam rationem semper se esse habiturum ostendit, suumq; erga vestra civitatem singulare studium, mislo illuc Residente suo, ibique manere jussò, testatum redditio; ita vicissim expectat & merito quidem postulat à vobis aqua reddi iis in

in rebus quæ hujus reipub. ex usu, ab suo dicto Residente suoque nomine vestræ civitati, antiquitù amicæ nobis & foederatæ, vel jam exposita vel in posterum exponenda erunt.

*Westmonasterio dat. die  
April. An. Dom. 1652.*

Sub sigillo Parlamenti subscrispsit ejus nomine atque  
authoritate Prolocutor Parlamenti Reipub. Angliæ.

*Concilium Status Reipublicæ Angliæ Serenissimo Principi D. Ferdinando  
Secundo Magno Duci Hetrurie, salutem.*

**C**oncilium Status cum à Carolo Longlando qui in Portu Celsitudinis Vestræ Liburnensi, mercatorum Anglicorum negotia procurat, certius per literas fieret quatuordecim Naves præsidiarias Foederatorum Belgarum in eum Portum nuper venisse, qui naves Anglorum in ipso Portu vestro aut incensuros se esse aut depresso minati palam sunt, Vestramque Serenitatem cuius fidem atque opem Anglicæ Mercatores ibi commorantes imploraverant, Liburnensis Praefidii præfecto mandasse, ut illis Anglorum navibus auxilio esset sui muneric atque officii judicavit esse, uti Celsitudinem Vestram certiorem ficeret, quam huic Reipublicæ gratissima sit benevolentia illa atque tutela quam mercatoribus Anglis tam benignè præbuitis, Vestramque Celsitudini promittit atque in se recipit mansuram apud se in omne tempus hujus benè meriti gratiam, paratumque se omni occasione fore parem amicitiam pariaque officia vestro Populo reipsa præstare, omniaque facere quæ conservandæ inter hanc Gentem atque Vestram solitæ benevolentiae, atque commercio possint conducere. Cumque naves Foederatarum Belgii Provinciarum inter ipsa de Foedere Colloquia à semetipsis obllata in Classem nostram summa cum perfidia non solum in ipsis Stationibus hostilia inceptaverint (quo in facinore DEUS, tanquam arbiter justissimus, adversum se illis atque infensum ostendit) verum etiam in exterorum portibus naves mercatorum nostrorum capere aut demergere conatae sint, necessarium etiam censuimus Scriptum hoc Parlamenti Reipublicæ Angliæ ad Celsitudinem Vestram unâ mittere; cuius emittendi occasionem dedere Controversiæ inter hanc Rempub. & Belgii Provincias in præsentia coortæ. Ex quo Celsitudo Vesta facile perspiciat, quam iniqua, quam contra fas omne atque jus Gentium facta illius Populi in hanc Rempub. extiterint, & quam ex animo Parlamentum studebit publicæ Pacis causâ amicitiam eorum & societatem pristinam retinuisse.

*Datis ab Alba Aula  
Julii. 29. 1652.*

Subscrispsit Concilii Nomine atque  
Authoritate Concilii Præses.

*Ad Legatum Hispanicum.*

*Excellentissime Domine,*

**C**oncilium Status, deliberatione habitâ de illa chartula quam <sup>27 M<sup>ay</sup>, 1652.</sup> <sub>6 Junij,</sub> ab Excellentia Vesta accepit, tum etiam de illa quam in Concilio Status cum audiretur <sup>1<sup>er</sup></sup> hujus mensis Vesta exhibuit Excellentia, ad binas illas chartulas Responsum hoc reddit: Parlamentum Reipubl. Anglicæ firmam amicitiam bonaque pacem, quæ huic Reipub. est cum Hispaniarum Regia Majestate conservandi percupidum, ex quo idem primùm Regis prædicti animum eodem inclinare Excellentia Vesta significavit, paratum semper suisle eam utriusque gentis bono quam maximè firmare ac stabilire. Idque Concilium Status Parlamenti nomine atque mandato suis chartulis aliquoties Excellentiae Vestrae demonstravit; & speciatim, prout Excellentia Vesta petiverat, Commissarios delegit, quæ & Excellentiam Vestram convenienter, ab eaque acciperent, quæ ad prædictum finem conducentia proponerentur; quo in conventu eorum loco proponendorum visum est vobis generatim quædam, quasi futuro prævia colloquio, exhibere, de quibus Concilio videbatur, Parlamentum qui suis esset sensus chartis prioribus planum fecisse: tamen quo, cumulatius satisficeret, utque

Excellentiae Vestrae nequa dubitatio restaret iis de rebus quae tum proposuerat, Concilium in ea chartula quae <sup>31 Junii</sup> <sub>10 Aprilis</sub> data est paratum se esse ostendit cum Excellentia Vestra in Colloquium venire iis de rebus quae à parte Regiae Majestatis prædictæ in mandatis haberet tam de pristina amicitia quam ex actione futura, de iis etiam quae à nobis hujus Reipub. nomine exhiberentur; cumque ad singula veniretur ea, quae par esset, resque postularet, responsa dare: ad quæ visum est Excellentiae Vestrae nihilum respondere neque per duos pene menses in ea re ulterius progreedi. Vestramque chartulam <sup>27 Maii</sup> <sub>6 Junii</sub> 1652. datam Concilium ex eo tempore primam ab Excellentia Vestra acccepit, in eaque hoc solum proponitis, uti pacis atque foederis articuli inter Carolum Regem nuperum vestrumque Dominum <sup>17 Novembris</sup> 1630. pacti denuò percurrentur, utque ejus capita quæque vel amplificentur vel immutentur pro temporum & rerum alio nunc Statu, necnon regendæ Reipublicæ formâ immutata, quod cum nihil amplius esset, quam quod & nos in prædicta nostrâ chartula <sup>21 Maii</sup> <sub>10 Aprilis</sub> summatim atque dilucidè significaveramus, expectabat Concilium quosdam speciatim articulos ex eo foedare ab Excellentia Vestra propositum iri cum ea amplificatione, iisque mutationibus quarum facitis mentionem, cum alioqui nobis impossibile sit ullum aliud resonatum hac de re dare quam quod jam dedimus. Verum cum Excellentia Vestra ex charta sua novissima dilationem in nos conferre videatur, Concilium idcirco chartulam Vestram prædictam <sup>27 Maii</sup> <sub>6 Junii</sub> datam quodque in ea propositum erat denuò inspexit, seque de eo quod illic est propositum, priore illâ chartulâ Excellentiae Vestrae plenè satisfacte arbitratur, cui & hoc solum potest adjicere, se, cum Excellentiae Vestrae videbitur, vel ex foederibus jam factis vel alio quovis modo ejusmodi ferre conditiones quæ ad præsentem rerum ac temporum statum erunt accommodata, quibus à parte Vestra fundari amicitiam vultis, ea vobis responsa exinde redditurum quæ ab se ad ea redi æquum erit, quæque Parlamentum in eodem perseverare studio testentur, illibatam atque firmam cum rege vestro Domino amicitiam conservandis. Eaque ut augescat eriam, Parlamentum omnem honestam seque dignam operam pro se quidem dabit.

Concilium præterea sui officii ducit esse, Excellentiam Vestram illius nostrâ chartulæ Januarii 30. 1651. ad vos datæ admoneri, cui cum Excellentia Vestra resonum nondum dederit, instamus proinde atque expectamus ut Parlamento, de qua illic re facta mentio est, satisfactio detur.

---

*Responsum Concilii Status ad Replicationem Dominorum Legatorum Extraordinariorum serenissimi Regis Danie & Norvegiae, Commissariis Concilii traditam, ad Responsum illud quod reddidit Concilium ad quatuordecim eorum postulationes.*

Prædictis Dominis Legatis ut satisfiat de responso Concilii ad quintum, sextum, septimum, octavum, & nonum articulum, assentitur Concilium huius sequenti clausulæ suo resonorum fine adjiciendæ. Videlicet, Præter illas colonias, insulas, portus & loca in partis alterutrius ditione, ad quæ loca ne quis negotiandi aut commercii habendi causâ accedat, lege cautum est, nisi impletatâ prius ejus partis Licentia speciali ad quam illa colonia, insula, portus, aut loca pertinuerint.

Receptio cujusquam in navem quæ in flumina, portus, aut sinus alterutrius partis compulsa erit navem illam ulli exhibendæ molestiæ aut perscrutationi ex responso Concilii ad articulum undecimum obnoxiam non faciet, quemadmodum prædicti Domini Legati in replicatione sua videntur intellecti, præterquam ubi illa receptio contra Leges, Statuta, aut morem illius loci est, in quo illa navis portum caperferit, qua in re videtur Concilio nihil statui quod durius sit, sed quod utriusque Reipub. Saluti sit æquè conducibile.

Quod ad probandum cujusnam propriæ naves & bona illa erunt quæ in naufragio ejici acciderint, Concilium existimat necesse esse jurandum dari in illis curiis quæ ad hujusmodi causas aut jam sunt constitutæ aut erunt constituendæ, ubi qua illa sibi vendicant audiri singuli possint & cujusque jus cognosci ac dijudicari,

dijudicari, quod scriptis testimoniis, quæ vulgo *Certificata* nuncupantur, tam clarè atque distinctè fieri non potest, unde multi scrupuli ac dubitationes existere poterunt, multæ etiam fraudes ac doli in illud genus probationis irrepere, quod ne eveniat utriusque partis interest providere. Concilium etiam æquum esse arbitratur, definiri certum tempus ante quod tempus qui iustum earum rerum dominum se esse non probaverit, excludetur ad evitandas sine fine lites. Quod autem ad modum venundandi ea bona quæ ejecta in naufragio facile corrumpuntur, visum est Concilio eum modum proponere qui ad lucernam dicitur, ut qui sit modus maximè probabilis verum bonorum pretium eliciendi ad dominorum emolumentum; tamen si prædicti Domini Legati inventam aliam rationem attulerint que huic fini magis conducere videbitur, per Concilium non stabit quo minus id fiat quod æquum erit: neque intelligitur ob hanc rem huic Tractationi moram afferendi occasio ullæ præbeatur.

Quod autem ad eorum supplicium qui propositum foedus ruperint, Concilium id adjectit, cujus in responso suo ad articulum quartum decimum fit mentio ad majorem ejus articuli efficaciam, ipsumque foedus eo firmius atque diuturnius reddendum.

Ad clausulam Articuli quarti decimi extremam quod attinet respondere, non expedire censimus illis foederibus ac Societatibus, quarum in prædictis responsis facta est mentio, quæque generatim duntaxat proponuntur assensum nostrum exhibere antequam quales ille sint, exploratus nobis fuerit, de quibus cum Excellentissimis Vestris visum erit Concilium certius facere, responsum expressius ad id reddere poterimus.

*Replicatio Concilii Status ad responsum prædictorum Dominorum Legatorum quod ad senos articulos à prædicto Concilio nomine Reipub. Angliae exhibitos est redditum.*

**C**oncilium, inspectis prædictorum dominorum Legatorum diplomatis quibus collata in eos potestas est transfigendi cum Parlamento aut ejus Commissariis de iis omnibus quæ transfigi expediverit, foederaque vetusta renovandi novaque jungendi, existimabat quidem prædictos dominos Legatos ea autoritate esse præditos ut & responsa dare possent, & omnia transfigere tam quæ à parte hujus Reipub. quam quæ à parte Regis Dania & Norvegia ferrentur, adeoque responsa quæ prædictis Dominis Legatis ad primam, secundam, tertiam & quintam Concilii postulationem dare libuit haud expectabat, quo factum erit ut huic præsenti tractationi necessario more afferatur cum & in se aquissimum sit & in Concilio deliberatum foedus integrum tractando simul complecti tam de iis quæ ad hanc Rempub. quam quæ ad Regna Dania & Norvegia spectant. Quapropter Concilium enixè flagitat ut Excellentissimæ Vestrae respondere ad prædictum nostrum primum, secundum, tertium, & quintum postulatum velint.

Ad quartum articulum de portoriis *Gluckstadtii* cum ea jam antiquata sint, quemadmodum Excellentissimæ Vestrae in responso meminerunt, instat Concilium uti eorum illa antiquatio etiam per hoc foedus rata habeatur, ne forte in posterum revocentur.

Quod ad sextum articulum, qui de pyratica est, eum quidem inseruit Concilium ut qui ad utriusque commoda æquè pertineret, & ad commercium in commune stabilendum quod à pyratis atque prædonibus perquam turbatur atque interrupitur; cumque responsum Dominorum Legatorum de hoc articulo ad hostes tantum referatur, mentionem Piratarum nullam faciat, Concilium idcirco expressius responsum ad id petit.

Cumque prædicti Domini Legati in sua replicatione ad responsum Concilii & decimum suum articulum, & ad eum Concilii responsum piætermiserint, Concilio necessarium visum est prioribus suis postulatis sequentem hunc articulum adjungere.

Populum & incolas Reipub. Angliae qui negotia aut commercium per ullæ regna, regiones, aut ditionem Regis Dania & Norvegia habuerint portorii, tributi, census, vectigalis aut stipendii cuiusvis plus in posterum non solvere aut alio quovis modo atque populus foederatarum Belgii Provinciarum, aliave quævis natio externa minimum illic solvens mercaturamque faciens, si solvit aut solutura

solutura est, parique frui & æquè amplâ libertate privilegiis & immunitatibus, cum in adventu, tum in reditu & quamdiu illic commorabuntur, in piscatu etiam, mercatura, atque alio quoconque modo, quo ullius exteræ gentis populus in prædictis regnis totaque ditione diæti Regis Daniae & Norwegie fruitur aut frui queat ; quibus itidem privilegiis populares Regis Daniae & Norwegie per omnes Provincias ac ditionem Reipublicæ Angliae pariter fruentur.

---

*Concilium Status Reipub. Angliae serenissimo Principi Domino Ferdinando Secundo, Magno Duci Hetrurie, Salutem.*

*Serenissime Princeps, Amice Charissime,*

**C**oncilium Status, cognito tam per Oratorem Celsitudinis Vestrae hic com-morantem, quam per Carolum Longlandum Mercatorum Anglicorum negotia Liburni procurantem, quanta cum benevolentia ac fide Celsitudo Vestra navium Anglicarum in Liburniem portum se recipientium tutelam suscepit, contra Belgiorum naves prædatorias exitium illis atque direptionem minitantes, literis undetrigesimo Julii datis (quas ad Celsitudinem Vestram, jamdudum pervenisse sperat) significavit quam id sibi gratum acceptumque accidisset, eodemque tempore scriptum Parlamenti Reipublicæ Angliae de controversiis inter hanc Rempub. & Federatas Belgii Provincias in præsentia exortis ad Serenitatem vestram unam misit. Cumque rursus per eundem Carolum Longlandum Concilium intellecterit, que ulterius mandata dederit Celsitudo Vestra de incolumitate atque tutela navibus Angliae præstanta, etiam Belgis, ne id fieret, importunè contra nitentibus, ne hanc quidem occasionem prætereundam esse censuit, significandi rursus Celsitudini Vestrae se vestram justitiam & singularem in tutandis navibus suis constantiam cum plurimi facere tum sibi etiam gratissimam habere. Quod cum solidæ amicitiae studiisque vestri in hanc tempub. haud leve indicium sit, persuadere sibi poterit Celsitudo Vestra paria officia atque studia in nobis erga Vestram Celsitudinem nunquam se esse desideraturam. Quæque declarare possint quam nobis deliberatum sit eam amicitiam quæ huic Reipub. cum Vestra Serenitate est, quam constantissimè atque diutissimè pro virili nostrâ parte conservare. Nos interim navibus nostris omnibus, quæ vestros portus intraverint disertis verbis mandavimus, ut salutationes explosione tormentorum consuetas, omnemque honorem debitum vestrae Celsitudini exhibere meminerint.

*Dat. Alba Aula Septemb. 1652.*

*Et Concilii Sigillo deinde consignandis subscriptis*

*Concilii Praeses.*

---

*Ad Legatum Hispanicum Alphonsum de Cardenas.*

*Excellentissime Domine,*

**L**itteræ Excellentiae Vestre <sup>Novemb.</sup> 1652. datae, & à Secretario vestro Novemb. 8. redditæ, una cum duobus libellis supplicibus simul involutis, in Concilio recitatæ sunt de navibus nimis Samfone & San Salvadore vulgo nominatis; ad quas Concilium responsum hoc reddit: Navem Anglicam præsidariam, cum in prædictas naves non in Dunis, ut scribit Excellentia Vestra, sed in alto incidisset, tanquam hostium navem prædæ habitam in portum adduxisse ; curiamque Ammiralatus ad quam propriè de causis hujusmodi attinet cognoscere illius causæ cognitionem pro jure sibi sumptuisse ; ubi singuli partis utriusque quorum id interest ampliter & libertè audientur jusque suum quisque obtinebit : vestrae porrò Excellentiae rogatum ad illius Curiæ judices misinus quo certius intelligamus quo usque iis de navibus in judicio processerint. Quod simul ac nobis compertum erit ea dari mandata hâc de re curabimus quæ & æquum erit, & eâ dignum amicitiâ quæ huic Reipublicæ cum Rege vestro intercedit, nec minus confidimus

mus Regiam ejus Majestatem minimè passum est'e hujus Reipublicæ hostium bona sub nomine ejus subjectorum elabi aut delitescere.

Subscriptis & Conciliis Sigillum apponendum curavit  
Guilielmus Masham, Conciliis Praes.

Datis ab Albâ Aulâ 11. Novemb.

An. Dom. 1652.

*Legato Hispaniensi.*

*Excellentissime Domine,*

**A**llatum nuper ad Concilium est ab Navarcho nostro Bodileo navium hujus Reipub. ad Gaditanum mare Praefecto, se cum tribus aliis navibus præsidariis postquam undecim Belgicarum impetum continuato bidui certamine sustinuissest, ad portum Longonem vulgo dictum ad sarcenda quædam in eo prælio accepta incommoda, easque res comparandas quæ sibi ad pugnam opus essent, in portum Longonem vulgo dictum se recepisse, ubi ejus loci Praefectus in eum cæteraque sub ejus ductu naves omnia & justissimi & humanissimi simul Viri officia implevit; cumque is locus in ditione Serenissimi Regis Hispaniarum sit, Concilium certè singularem præsidii illius humanitatem reipsa cognitam arctioris amicitiae mutuae tam auspicato cæptæ fructum uberem esse existimat; siue adeò officii dicit esse, ob acceptum tam opportunò beneficium ejus Majestati gratias agere, vestramque rogat Excellentiam ut hoc Regi suo serenissimo velit primo quoque tempore significare, eique persuasum reddere Parlamentum Reipub. Angliae paratum semper fore paria amicitiae atque humanitatis officia oblatâ quâvis occasione referre.

Dat. Westmonasterio 11. Novemb. An. Dom. 1652.

Subscriptis & Conciliis Sigillum apponendum curavit  
Guilielmus Masham Conciliis Praes.

*Parlamentum Reipub. Angliae, Serenissimo Principi D. Ferdinando Secundo, Magno Duci Hetrurie, Salutem.*

*Serenissime Princeps, Amice Charissime,*

**P**arlamentum Reipub. Angliae literas vestræ Celsitudinis Angusti septimo decimo, Florentia datas, accepit: in quibus de restitutione navis cuiusdam agitur oryzâ onustæ, quæ navis à capitaneo Cardio Liburniensi vendicatur. Et quamvis in nostra Ammiralatus curia contra prædictum Cardium in ea causa sententia Judicum lata jam sit, & apud Delegatos provocatio tum penderet, tamen cum hoc Celsitudo vestra petat, Parlamentum, quo tam amici Principis benevolentiam ac necessitudinem quanti faciat testificari possit, mandavit quibus curæ ea res est, ut navis illa cum oryzâ, vel saltem ejus justum pretium prædicto Capitaneo Cardio reddatur; cuius mandati fructum procurator ejus apud nos re ipsâ jam percepit. Et quemadmodum Celsitudo vestra suum navibus Anglorum in portu Liburniensi patrocinium atque tutelam benignè præbendo Parlamentum sibi magnoperè devinxit (cujus rei gestæ narratio tam ab Oratore hic vestro, quam à Carolo Longland mercatorum nostrorum illic procuratore delata nuper ad nos est) ita Parlamentum summo vicissim studio dabit operam, quotiescumque occasio dabitur, ut sua omnia sinceræ amicitiae atque benevolentiae officia in Celsitudinem vestram solidè constare possint; quam adeò cœvinæ benignitati atque tutelæ commendatissimam vult esse.

Datis Westmonasterio die Novemb. 1652.

Subscriptis & Sigillum Reipub: apponendum curavit  
Prolocutor Parlamenti Reipub. Angliae:

*Parlamentum Reipub. Angliae Serenissimo & Potentissimo Principi  
Daniae Regi, &c.*

*Serenissime & Potentissime Rex,*

*P*arlamentum Reipub. Angliae postquam accepit ab illius Classis Praefecto quæ nuper ad Hafniam Majestatis Vestrae portum misla est, ut navibus Mercatorum nostrorum inde redeuntibus domum praesidio esset; praedictis navibus permisum non esse secum discedere; verum illic Majestatis Vestrae jussu retineri; productis etiam ab eo literis Regiis vestram ea in re sententiam declarantibus, negat explicatas in iis literis rationes cur naves illæ retineantur ulla in parte sibi satisfacere: ut igitur in re tanti planè momenti quæque ad prosperum utriusque Gentis statum tantoperè conductit sequuturo fortasse majori cuiquam in commendo maturius occurrit, misit Parlamentum Virum illustrissimum & spectatæ fidei Richardum Bradshaw Armigerum, Hamburgi Oratorem, qui itidem ad Majestatem Vestram Oratoris munus impleat, cum iis disertè mandatis, ut de praedicto negotio agat: Vestramque adeò rogamus Majestatem eidem velit Viro & aurem benignam & fidem amplam perhibere, quicquid super hoc negotio Vestrae Majestati nostro nomine proposuerit: quam Nos divinæ Tutelæ & Providentiae commendatam volumus.

*Datis Westmonasterio 6 die Novemb. An. Dom. 1652.*

Sub Sigillo Parlamenti ejusque Nomine atque Authoritate subscripsit  
*Prolocutor Parlamenti Reipublicæ Angliae.*

*Parlamentum Reipub. Angliae Serenissimo Principi Venetiarum Duci,  
Salutem.*

*P*arlamentum Reipub. Angliae literas Celsitudinis vestrae primo Junii 1652. datas per Laurentium Palutum accepit, ex quibus cum. & vestrum, & Senatus propensum in hanc Rempubicam animum prospiciat, occasionem hanc suum vicissim erga Serenissimam Rempub. Venetiam singulare studium ac benevolentiam declarandi, libenter arripuit, quam & re ipsa idque ex animo, demonstrare quoties usus venit, haudquaquam gravabitur, cui & omnes vel conservandæ vel etiam augendæ amicitiae ususque mutui rationes in medium allatae erunt itidem acceptissimæ, vestraque adeò Celsitudini & Reipublicæ Serenissimæ fausta omnia ac prospera exoptat atque precatur.

*Datis Westmonasterio die Decemb. An. Dom. 1652.*

Subscripsit & Parlamenti Sigillum imponendum curavit  
*Prolocutor Parlamenti Reipub. Angliae.*

*Parlamentum Reipub. Angliae Serenissimo Principi Ferdinando Secundo  
Hetruriæ Magno Duci, Salutem.*

*C*um Parlamentum Reipub. Angliae antehac suis Navarchiis atque Praefectis narium ad loca sub vestrae Celsitudinis ditione appellantibus, etiam atque etiam mandaverit, ut se pacatè atque modestè gererent, eaque quâ decet observantia erga Principem Serenissimum cuius hæc Respub. & conservare amicitiam tantoperè studeat, & tantis beneficiis affecta sit, prorsus inopinatum sibi quidem accedit, quod à Navarcho Appletono in Liburnensi portu insolentius factum esse accepit, eum nimis ab eo vigili dum in molestationem ageret, vim attulisse, idque tum contra fidem atque obsequium huic Reipublicæ ab eo debitum, tum contra observantiam atque honorem qui vestrae Celsitudini suâ in ditione jure optimo debetur: quam rem totam sicuti gesta est, ex literis vestris 7. & 9. Decembri Florentiæ datis Parlamentum intellexit, uberiori etiam per spectatissimum virum Almericum Salvetum, vestrum hic Residentem; atque vestrae Celsitudinis honorem qui hæc in re agi videtur, usque adeò sibi commendatum habet,

bet, ut Concilio Status id negotii dederit, ut literas Navarcho *Appletono* quam primum scribendas curaret, quibus is terrestri iure confestim huc advolare juberetur, insoliti hujus facti & extraordinarii rationem redditurus (quarum exemplum literarum his incusum enā mittitur) qui ubi advenerit & factū postulabitur, de eo id statutam iri pollicemur, quod testificari possit se vestri juris violationem haud minū moleste terre, quam si ipsum jus suum violaretur. Quineriam de nave dictā *Phaice Liburni* recuperatā consultatione habitā, quae res à Celsitudine veitrā nec non ab Oratore suo narratur atque urgetur, contra datam à Navarcho *Appletono* fidem fuisse, qua obstrictus erat ne *Hollandos* intra conspectum prorsus aut laternæ adoriretur, vestramque Celsitudinem eā fiduciā nixam, *Hollandi* fide data de incolumente promisisse, debere proinde eorum satisfactioni prospicere, quibus vestra sub fide damnū datum est, Parlamentum ab Excellentia vestra petit, ut hoc sibi persuasum habeat, hanc rem, quemadmodum sine suo consilio aut mandato est gesta, ita hoc etiam ab sua voluntate ac mente longissimè abesse ut Celsitudo vestra ullo incommodo aut honoris imminutione ex illo facto afficiatur: quin imò se operam daturum, ut vobis satisfaciendi aliqua ratio ineat, prout sibi questione habitā de re totā constiterit: quam ut pleniū intelligere possit, ipsum Navarchum *Appletonum* ab se audiri necessarium esse judicat; qui & eadem fide obstrictus erat, & ab Excellentia vestra creditur, ejusdem violationi soltem assensile; præsertim cum istam brevi sit ad nos reversus, atque illum postquam Parlamentum audiverit, & cum dicto Oratore vēstro rationes amplius contulerit, hac de re haud exiguī sane momenti eam sententiam feret, quæ & aqua erit, summæque benevolentiae qua Celsitudinem vestram prosequitur contentanea, collatis denique à vobis in se beneficiis haud indigna. De qua ne interim dubitaret Celsitudo vestra literis per eundem hunc tabellarium statim missis certiorē factam primo quoque tempore volebat; seque nullam occasionem esse prætermissum, qua possit re ipsa testari, vestram amicitiam quanti faciat.

*Datis Westmonasterio 14 die Decembri An. Dom. 1652.*

Subscriptis & Parlamenti Sigillum imprimendum curavit  
Prolocutor Parlamenti Reipub. Anglie.

*Concilium Status Reip. Anglicane Serenissimo Principi Frederico Heredi  
Norwegiæ, Duci Slesvici, Holstiae, Starmatiæ, Ditmarsie, Comiti in  
Oldenburgh & Delmenhorst, Salutem.*

**Q**uanquam sapientissimo Deo visum est rerum omnium Moderatori clementissimo, præter illud onus quod nobis cum majoribus nostris commune imposuit, ut pro libertate nostrâ contra tyrannos honestissima bella gereremus, iis nos etiam auspiciis eaque divinâ ope præ illis insigniter adjuvare, ut non solum civile bellum restringuere, sed & causas ejus in futurum præcidere, nec non & hostium externorum inopinatos impetus propulsare valuerimus, eundem tamen supremi numinis in nos favorem ac benignitatem gratissimis quantum possumus animis agnoscentes, non ita rerum nostrarum successibus efferrimur ut non singularē potiū Dei justitiam ac providentiam edocti, atque nosmet largiter experti, & bellum omne quantum licet aversemur, & pacem cum omnibus cupidissimè amplectamur. Quemadmodum igitur quæ amicitia, quæque foederalum jura nobis cum populis quibuscumque ac Principibus antiqua intercessere, ea hactenū cuiquam nec violavimus priores, nec violata voluimus, ita & Celsitudo vestra pro vetustâ suâ cum *Anglis* & à majoribus acceptâ amicitia poterit certissimâ animi persuasione de nobis aqua omnia atque amica, & sibi & suis polliceri. Denique ut delata à Celsitudine vestrâ nobis tua studia atque officia plurimi ut par est facimus, ita operam dabimus ut neque nostra uilo tempore vel sibi vel suis deeslē tentiat: Vestramque adeò Celsitudinem Omnipotenter numinique Dei Omnipotentis quam maximè commendatam cupimus.

*Datis in Alba Aula die Julii An. 1653.*

Subscriptis & Concilii Sigillum imprimendum curavit  
Conciliij Preses.  
Comiti

## Comiti Oldenburgico.

*Illustrissime Domine ;*

**P**arlamentum Reipub. Angliae plurimam salutem ab Amplitudine vestra officiosissime atque humanissime sibi dictam, per Hermannum Asylum, Iurisconsultum Deputatum & Consiliarium vestrum accepit : qui & faustus omnia Parlamento reique Angliae vestro nomine precatus est, & hujus Reipub. amicitiam ut vobis sarta testa permaneret simul expetivit : literas etiam liberi commeatus, quibus vestrae ditionis populus eò tutius negotiaretur, navigaret, & commercia exerceret, nec non & nostra ad publicos foris ministros mandata uti Amplitudini vestrae rebusque vestris, suis officiis atque consiliis opicularentur, idem à nobis petivit. Nos & petitis hisce libenter annuimus. & cùm amicitiam, tūm etiam literas illas expetas, illaque ad ministros publicos mandata sub Parlamenti sigillo concessimus. Et quanquam aliquot jam menses abierunt, ex quo Vester Publicus Minister ad nos primum accessit, ea tamen dilatio neque ex eo orta est, quo nos petitioni, Amplitudinis Vestrae nomine factae, assentiri gravaremur neque quo Vester Deputatus nos assidue sollicitare ullo tempore destiterit ( qui certe omni cum diligentia, nec non officiosa simul instantia, ut contexto negotio, compos voti dimitteretur, quotidie nos efflagitavit ) verum ex eo solum accidit, quod maxima quidem & gravissima Reipub. negotia, quæque ad eam vehementer pertinere, aut agitarentur per hoc totum fere tempus, aut transigerentur. Qua de re dignitatem vestram Illustriss. certiorem faciendam esse censuimus, ut ne quis dilationem hanc secus interpretando, gravatim aut æquè imperatum hoc esse existimet, quod à Parlamento Reipub. Angliae libentissime concessum est. Cujus nomine consignare hæc jussus est

Henricus Scobell, Clericus Parlami.

---

Parlamentum Reipub. Angliae Illustribus & Amplissimis Consulibus, Sculptoris, Landam. & Senatoribus Cantorum Helvetiae Evangelicorum, Tigurini, Bernensis, Glaronensis, Basiliensis, Schaffensi, Abbatiscellani, nec non ejusdem Religionis Confœderatorum in Rhætia, Genevæ, Sanctogalli, Multusii & Bienna, Amicis nostris charissimis, Salutem.

**L**Iteras vestras, Illustris Domini atque Amici Charissimi, Decembri 24. 1652. ad Nos datas accepimus, omni humanitate, benevolentia, studioque erga nos nostramque Rempub. egregio referatas ; quodque nobis semper majus & antiquius debet esse, charitatem fraternalm & verè christianam spirantes. Deoque imprimis Optimo Maximo gratias agimus, qui vos totque vestras Civitates nobilissimas, non tam illis montium claustris quam insitâ vestrâ fortitudine, pietate, & prudentissimâ æquissimâ reum civilium administratione, mutuâ denique foederum fide circumvallatas atque munitas, firmissimum universis orthodoxis præsidium illis in locis excitavit atque constituit : vos deinde, qui per omnem Europam primi fere mortalium post invectas ab Aquilone Barbarorum Regum tyrannidos, Deo vestram virtutem prosperante, libertatem vobis perseveratis, partam haud minore prudentiâ ac moderatione, tot per annos, illibatam conservatis ; de nobis nostrâque libertate nuper vindicatâ tam præclarè sentire, tamque sinceros Evangelii cultores de nostro in orthodoxam fidem amore ac studio, tam constantè persuaderi, id quidem longè nobis gratissimum est. Quod autem ad pacem nos piè sanè & affectu, ut nobis est persuassimum, verè christiano adhortamini, permagnum certè pondus apud nos ea adhortatio habere debet ; cum propter ipsam rem, quam suadetis, maximè expetendam, tūm propter summam etiam autoritatem, quæ Vobis præ ceteris hac in parte merito tribuenda est, qui inter maximos circumquaque bellorum tumultus, & ipsi summam pacem boni forisque tamdiu colitis, & aliis omnibus pacis colegendæ simul hortatores & exemplum optimum extitistis ; cùm id denique suadeatis, quod nos deditâ operâ, idque haud semel, non tam nostris rationibus, quam universæ rei Evangelicæ prospicientes, per Legatos aliosque publicos Ministros

nistros petivimus, amicitiam nimirum & arctissimum foedus cum foederatis Belgarum Provinciis ferendum. Verum illi ( sive illa perpetuo nobis infesta, regii addicta partibus, tyrannidis & ipsa apud suos affectatae comperta Aransiana factio potius dicenda est ) quo pacto Legatos nostros, non de pace, sed de fraternâ amicitia ac foedere arctissimo venientes acceperint, quas postea belli causas præbuerint, ut nos, inter ipsa Legatorum suorum de foedere colloquia, instructâ classe nihil tale cogitantes, in ipsis navium stationibus nostris, ultrò laceferint, ex illo à nobis eā de re publicè scripto, & nunc unā cum hisce literis ad vos missō, abundē intelligetis. Nos autem in id sedulò incumbimus, Deo benē juvante, quamvis re hactenū tam prospere gestâ, ut neque nostris quicquam viribus aut copiis tribuamus, sed Uni Omnia Deo, neque successibus insolenter efferamur: Eudemque animum retinemus conficiendæ justæ atque honestæ pacis omnes occasiones amplecti paratissimuni. Vos interim, *Illustres ac præstantissimi Domini*, quibus pium atque præclarum hoc studium est, solo Evangelico amore impulsis, fratres inter se certantes componere atque conciliare, & omni apud homines laude digni, coelestis illius pacificorum præmii apud Deum haud dubiè compotes futuri, cujus summae benignitati atque gratiæ vos vestroque omnes ex animo commendatos volumus, si quā in re vobis usui esse possumus, ad omnia cum amicorum tūm fratum officia promptissimi.

*Datis Westmonasterio die Octobris An. Dom. 1653.*

*Subscriptis & Parlamenti Sigillum imprimendum curavit  
Prolocutor Parlamenti Reipub. Anglie.*

### Legato Hispanico.

*Illusterrime Domine;*

Cum graves ad nos allatae essent querelæ *Philippi Noelli*, *Joannis Godalli*, & societatis mercatorum in Anglia *Fuensiam*, Navem quandam suam *Annam Foyensem* dictum, navem *Anglicam* à se secessum, suis mercibus onusta, cum domum suam ad portum *Foyensem*, cursum teneret circa Festum *Michaelis Archangeli*, à nave quadam præsidaria *Ostendensi*, cui præfuit *Erasmus Fruerus*, oppressam injustè & sine causa captam fuisse, inque ea nautas indignè & barbarè tractatos, Consilium Status ea de re ad *Marchionem Leda* scripsit. ( quarum literarum exemplar Amplitudini vestræ unā cum his mittimus ) expectabatque ab eo sine mora mandatum iri ut ex jure & æquo ista in re quam primum ageretur. Verum cum denuò prædictus *Noellus* unā cum illa societate graviter queratur, quamvis literæ nostræ *Marchioni* redditæ fuerint, & mercatores illi ab eo tempore se *Brugas* ad maritimorum caularum curiam contulerint, ibique jus suum suæque causæ veritatem probaverint, justitiam tamen sibi denegari, tamque iniquè secum agi ut quamvis per tres amplius menses cognitioni matura res fuerit, tamen ab illa curia se impetrare non posse ut sententiam tandem ferat; quin navis eorum & bona nihilo minus retineantur, seque per hanc moram in persequendo jure suo magnos sumptus fecisse. Non ignorat *Amplitudo V'estra* & juri Gentium & commercii & amicitiae, quæ inter Anglos & Flandros est, contrarium esse, ut navis aliqua *Ostendensis* navem aliquam *Anglicam* caperet, si quidem mercibus *Anglicis* onusta *Angliam* petat; quæque ab illo Præfecto in nautas *Anglicos* inhumaniter ac barbarè commissa sunt poenam gravem mereri. Concilium itaque hanc rem Amplitudini vestræ commendat, petitque ut de ea in *Flandriam* scribere velitis, eamque operam primo quoque tempore dare ut ne hoc negotium diutius extrahatur, sed ut ea justitia fiat, ut prædicta navis & bona, unā cum damnis, sumptibus & scœnore quæ *Angli* isti propter illam injustam interceptionem sustinuerunt, Authoritate Curiæ maritimæ *Brugensis*, aut alio modo bono iis reddantur, utque curetur nequa ejusmodi interceptio deinceps fiat, quin amicitia quæ nostris hominibus cum *Flandris* intercedit sine ulla violatione conservetur.

*Ob signatum nomine & iussu Concilii Status Parlamenti authoritate constituti.*

## Marchioni Lede.

*Illustrissime Domine;*

**G**raues ad nos allatae sunt querelæ, à *Philippo Noëllo*, & *Joanni Godallo*, & *Societate mercatorum Foyensium*, de nave quadam sua, cui nomen *Anna Foyensis*, quæ cum esset Navis Anglicæ, ab illis instructa, & i*n* *solium* modo mercibus onusta, circiter festum *Michaelis Archangeli* ad portum suum renavigans, à nave præsidaria quæ ad *Ostendam* pertinebat, cuius erat *Praefectus Erasmus Bruerus*, de improviso capta fuit. Nuntiatum porrò est, *Ostendenses*, cum in sua potestate navis esset, nautas omnes nimis inhumaniter tractasse, accenso fune digitis admoto, & navis magistrum undis immeruisse, atque poene suffocasse, ut minimè veram ab ipso confessionem extorquerent, de navi atque mercionis illis, qualibet Gallorum essent. Quod tametii Magister ille cæterique socii navis firmiter pernagabant, *Ostendenses* tamen, & navim & mercedes in portum suum abduxerunt. Hæc in *Curia Naval Angliae*, inquisitione factâ, testibusque adhibitis, vera esse apparuere, ut ex autographis testimoniorum quæ cum his literis simul misimus manifesto liquebit. Cum itaque illa Navis, *Anna Foyensis* dicta, atque mercionia omnia peculiariter verè ac propriè ad *Anglos* pertineant, adeo ut nulla causa appareat cur *Ostendenses* vel illam vel ea vi caperent, multò minus auferrent navis Magistrum, aut societatem tam dure tractarent; cumque secundum leges Nationum atque amicitiam inter *Anglos Flandrosque*, navim illam atque mercionia reddi oporteat, magnaopere petimus ab *Excellentia vestra*, ut jus suum *Anglicani* mature obtineant, atque illis satisfiat qui damnum acceperunt, utque commercium, & Amicitia quæ inter *Anglos Flandrosque* est, diù atque firmiter conservetur.

## Legato Hispanico.

**P**arlamentum Reipub. *Angliae* cum intelligat, plurimos ex populo in hâc urbe tam *Excellentiae* vestræ, quam aliorum Legatorum & ministrorum ab exteris regionibus publicorum hic versantium domos *Missa audiendæ causâ* frequentare, Concilio *Status mandavit*, uti *Excellentiae* vestræ significaret, cum hoc gentis hujus legibus damnatum, ac in hâc r. oltrâ Republica mali admodum exempli sit, offenditque plenum, censere se, sui planè officii esse, ne quid tale dehinc fiat providere; coetusque ejusmodi in futurum prorsus interdicere. Quâ de re *Excellentiam* vestram admonitam nunc esse cupimus, ut ne quem ex populo hujus Reipublicæ *Missa audiendæ causâ* tuam in domum posthac velit admittere. Et quenadmodum *Parlamentum* diligenter cuiabit ut Legati jus & privilegia quæque vestræ *Excellentiae* inviolata serventur, ita hoc sibi persuasissimum habet, *Excellentiam* vestram, quamdia hic commoratur, leges hujus Reipub. per se suosve nolle ullo modo violatas.

*Summarium dimitorum singulorum & haud fictorum quibus Societas Anglica multis Orientalis Indiæ Locis à Belgica Societate affecta est.*

1. <i>D</i> amna illa sedecim Articulis comprehensa & pridem exhibita, quorum summa est 298555 Regiorum quæ est monetæ nostræ	l. s. d.
	74638 15 00
2. De <i>Pularonis</i> Insulæ fructibus satisfactionem dari postulamus ab anno 1622, ad hoc usque tempus, ducenties millenum Regiorum præter dispendium futurum donec jus ditionis in illam Insulam nobis restituatur eo rerum statu in quo fuit cum erepta nobis est, prout foedere sanctum erat: quod est monetæ nostræ	50000 00 00
3. Satisfactionem postulamus de omnibus illis mercionis cibariis & apparatibus, qui ab Agentibus Societatis <i>Belgia</i> apud <i>Indos</i> ablati sunt, aut iis traditi, aut ulli ex eorum navibus eo cursum tenentibus aut inde redeuntibus, quorum summa est 30635. Regiorum: nostræ monetæ	20158 00 00
	4. Satis-

4. Satisfactionem postulamus ob portoria <i>Mercium Belgicarum</i> quæ in <i>Perseide</i> aut navibus impositæ sunt, aut in terram expositæ ab anno 1624: prout nobis à Rege <i>Perseorum</i> concessum erat, quæ minoris æstimate non possumus quam Octogies milenii Regiis	20000 00 00
5. Satisfactionem postulamus ob quatuor ædes malitiosissimè & iniquissimè <i>Foccatæ</i> incensas, unà cum mercium Apothecis répositoriis & apparatibus, cui rei Prætor illic <i>Belgicus</i> occasionem dedit, de quibus omnibus ex eo ipso loco certiores postea facti sumus quam priores querelas exhibueramus, cuius damni summa est ducenties millennium <i>Regiorum</i>	50000 00 00
6. Satisfactionem postulamus ob 32899 Libras piperis ex nave <i>Endimione</i> vi ablatis anno 1649. cujus damni summa est	6000 00 00
	220796 15 00

*Summarium Damnorum aliquot particularium quibus etiam à Belgica Orientalis Indiæ Societate affecti sumus.*

1. Propter damna quæ per eos fecimus qui <i>Bantamum</i> obserderunt, unde factum est ut per sex annos continuos eo commercio exclusi sumus, & consequenter occasione sexcenties mille Regios in coëmendo pipere locandi pro rata nostra portione, quo multas naves nostras in redditu onerare potuissimus, quo onere cum carerent passim per <i>Indiæ</i> littora cariem traxere: interea sors nostra apud <i>Indos</i> quæ vel pecunia vel bonorum erat stipendio nautico commeatu alioque apparatu imminuta & exhausta est, adeo ut prædictæ Jacturæ haud minoris æstimari queant vices centies & quater millenis Regiis, id est nostræ monetæ	l. s. d. 600000 00 00
2. Plura etiam propter damna ex amissa parte nostra debita fructuum in <i>Insulis Moluccis</i> , <i>Banda</i> & <i>Amboyna</i> , ex quo tempore per cædem nostrorum ibi factam pulsi inde sumus ad usque illud tempus quo de jactura hac atque dispendio nobis satisfiat, quod spatiū temporis ab anno 1622. ad hunc annum præsentem. 1650. pro redditu annuo 25000. <i>Librarum</i> , annis 28. Summam conficit	700000 00 00
3. Reparationem insuper postulamus centies & bis milenum nongentorum quinquaginta novem <i>Regiorum</i> <i>Surattæ</i> à Populo <i>Mogulli</i> nobis ablatorum, quos <i>Belgæ</i> eum in modum tutati sunt, ut neque ex pecunia neque ex bonis ejus populi quæ in iplorum <i>Juncis</i> seu Navibus erant damna nostra resarcire possemus, quod quidem perficere & conati sumus & in manu nostra situm erat, nisi eos <i>Belgæ</i> iniquissimè defendissent, quæ pecunia amissa ad impensas faciendas jaundudum in Europa triplum peperisset: quod nos æstimamus	77020 00 00
4. Ob Portoria <i>Perfidis</i> quorum dimidia pars ab Rege <i>Perseorum Anglii</i> concessa est anno 1624. quæ usque ad annum 1629. supputata æstimatur octies millenis Regiis, quemadmodum prius exponitur qua ratione subducta quatuor mille <i>Librarum</i> in annos singulos præbere tenentur ab anno 1629. à quo unus & viginti anni sunt, atque inde summa conficietur	84000 00 00

*Ab altero summario 220796 15 00*

*Summa totalis 1681816 15 00*

Locus Figuræ  
Regii



*Debitum ab eo tempore fœnus sortem ipsam longè superabit.*

L.I.

# LITERÆ Oliverii Protectoris Nomine scriptæ.

Comiti Oldenburgico.

*Illustrissime Domine;*

**P**ER literas vestras Januarii die vigesimo 1654. datas certior sum factus, nobilem virum Fridericum Matthi. in Wolisegum Secretarium vestrum, & Christophorum Griphiandrum cum certis mandatis ab illustrissimâ dignitate vestra in Angliam missos fuisse. Qui cum ad nos accessissent, & suscepitam Anglicanæ Reipublicæ administrationem nobis vestro nomine gratulati sunt; & uti vos vestrâque ditio in hanc pacem, quam cum Fæderatis Belgii Ordinibus proxime fecimus, aslumeremini: ut denique Salvam-Guardiam illam quam vulgo vocant, à Parlamento nuper vobis concessam, nostrâ nunc autoritate confirmaremus, petiverunt: ob istam itaque gratulationem tam amicam maximas, ut æquum est, gratias agimus: & illa duo postulata libenter concessimus; nulli etiam occasione in posterum defuturi, quæ studium in vos nostrum poterit ullo tempore declarare. Idque ex supradictis Oratoribus vestris pleniùs vos arbitror intellecturos; quorum fides, ac diligentia in hoc vestro apud nos negotio præclarè constitit. Quod reliquum est, vobis, rebusque vestris felicitatem, atque ex voto pacem omnem exopto.

Westmonasterio. 27. Jun. 1654.

Illustrissimæ Dignitatis vestre studiosissimus

Oliverius, Angliae, Scotie, Hiberniae, &c. Protector.

Comiti Oldenburgico.

*Illustrissime Domine;*

**I**teras vestras Maii secundo die Oldenburgo datas accepi haud uno non ine gratiissimas; cùm quòd essent ipsæ singulari erga me humanitatæ ac benevolentia referentes; tum quod illustrissimi Domini Comitis Antonii per dilecti Filii vestri manu redditæ. Id quod eò magis honorificum mihi ducō, ex quo illius virtutes tantâ stirpe dignas, moresque eximios, studium denique in me egregium, non tam acceperum ab aliis quâm re ipsâ cognitum atque perspectum jam habeo. Neque dubium esse potest, quin eandem quoque suis domi spem faciat, fore se Patris optimi præstantissimique simillimum; cuius præclara virtus atque prudentia perfecit, ut tota illa ditio Oldenburgica permultis ab annis, & summâ pace frui, & pacis commoda percipere inter sœvissimos undique circumstrepentium bellorum tumultus potuerit. Talem itaque amicitiam quidni ego quamplurimi facere, quæ potest inimicitias omnium tam sapienter ac providè cavere. Pro munere denique illo magnifico est, Illustrissime Domine, quòd gratias habeo; pro juie est ac merito tuo, quòd ex animo sum

Illustrissimæ dignitatis vestre studiosissimus

Oliverius, Angliae, Scotie, Hiberniae, &c. Protector.

Westmonasterio.

29 Jun. 1654. Illustrissimo Domino Antonio Gunthero, Comiti in Oldenburgh, & Delmenhorst, Domino in Jevvern, & Kniphauen.

Oli-

Oliverius Protector Reipub. Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, &c. Serenissimo Principi Carolo Gustavo Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Principi Finlandiæ, Duci Esthoniæ, Careliæ, Brema, Verda, Stetini, Pomeraniæ, Caffubia & Vandalia, Principi Rugiæ, Domino Ingræ, Wissmaria, necnon Comiti Palatino Rheni, Bavaria, Jul. Cliviæ & Montium Ducis, &c. Salutem.

Serenissime Rex;

**C**UM Suecorum Regnum per hosce dies summis populi studiis, omniumque ordinum suffragiis liberrimis translatum ad vos esse, toto orbe terrarum percrebuerit, id maluisse Majestatem vestram suis literis amicissimis, quām vulgarā famā nos intelligere, & summæ benevolentia erga nos vestræ, & honoris inter primos attributi argumentum haud leve esse ducimus. Illam itaque vestris meritis egregiis accessionem dignitatis, præmiumque virtute tantâ dignissimum, & sponte, & jure vobis gratulamur: idque ut *Majestati vestræ, Suecorumque Genti*, reique toti *Christiana bonum atque laustum sit*, quod & vobis maximè in votis est, junc̄tis precibus Deum oramus. Quòd autem foederis inter hanc Rempublicam, *Sueciæque Regnum* recens iicti conservationem Majestas vestra, quod ad se attinet integerimam, usque eò curæ sibi fore confirmat, ut quæ nunc intercedit amicitia, non permanere solum, sed, si id fieri potest, augescere etiam indies possit, id vel in dubium vocare nefas esset, tua tanti Principis fide interposita, cuius eximia virtus non solùm in peregrina terra Regnum tibi hæreditarium peperit, sed tantum etiam potuit, ut augustissima Regina, *Gustavi filia*, cui parem omni laude Heroinam multa retro sacula non tulere, possessione imperii justissima inopinanti tibi ac nolenti ultrò cederet. Vestrum denique tam singulare erga nos studiū, tamque præclaram animi significacionem nobis esse gratissimam omni ratione persuasum esse vobis cupimus; nullumque nobis pulchrius certamen fore, quām ut vestram humanitatem nostris officiis nullo tempore defuturis, si id potest fieri, vincamus.

*Westmonasterio, die  
4 Iulii, 1654.*

*Majestatis vestræ Studioſſimus*

Oliverius, Reipub. Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, &c. Protector.

*Illustriſſimo Domino Ludovico Mendezio de Haro.*

**Q**UOD accepi ex literis tuis, *Illustriſſime Domine*, constitutum ac nominatum jam esse ab Serenissimo *Hispaniarum* Rege Legatum, qui de suscepta à me *Anglicana Republica* gratulatum huc primo quoque tempore veniret; cùm est meritò per se gratum, tūm tu id, qui ex te imprimis hoc me cognoscere voluisti, ut esset mihi aliquanto gratius atque jucundius, singulari tuo studio atque officiū celeritate effecisti. Sic enim diligi atque probari me abs te, qui virtute tua atque prudentia tantam apud Regem tuum autoritatem tibi conciliasti, ut vel maximis illius Regni negotiis par animo præfis, haud minori profecto mihi voluptati debet esse, quām judicium præstantissimi viri ornamento mihi intelligo fore. De meo autem in Serenissimum *Hispaniarum* Regem propenso animo, & ad amicitiam cum isto regno conservandam, atque etiam indies exaugendam promptissimo, & huic qui nunc adest Legato satisfecisse me spero, & alteri, cùm advenerit, cumulatè satisfacturum. De cætero, *Illustriſſime Domine*, qua nunc flores apud regem tuum dignitate ac gratia, eam tibi perpetuam exopto; qualsque res geris bono publico & administras, volo tibi prosperè feliciterque evenire.

*Alba Aulà, Septembriſ  
die, 1654.*

*Amplitudinis tuae Illustriſſime Studioſſimus,*

Oliverius, Protector Reipub. Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, &c.

Serenissimo Principi Carolo Gustavo Adolpho, Suecorum,  
Gothorum, Vandalarumque Regi, &c.

**C**UM de voluntate vestræ Majestatis in me singulari ex vestris sim nuper literis persuasus, quibus & ipse pari studio rescripterim, videor mihi ex ratione prorsus amicitia nostræ deinceps facturus, si quemadmodum quæ grata accide: int ad lætitiam mutuam communicem, ita quæ contraria, de iis vobis tanquam amicissimis, animi mei sensum doloremque aperiam. De me equidem sic existimo, eo me in loco Reipub. jam esse constitutum, ut communis Protestantium, paci imprimis & quantum in me est consulere debeam. Quo gravius necesse est seram quæ de *Bremenium* & *Suecorum* præliis mutuisque cladibus ad nos perferuntur. Illud primum doleo, amicos utrosque nostros tam atrociter tamque Protestantium rationibus periculosè inter se decertare; pacem deinde illam Monasteriensem quæ Reformatis omnibus summo præsidio credebatur fore, ejusmodi peperisse infelix bellum: ut nunc arma *Suecorum* in eos converfa sint quos inter cæteros paulo ante religionis caufa acerrimè defendenter: idque potissimum hoc tempore fieri, cum Pontifici per totam iere Germaniam Reformatos ubique rursus opprimere, & ad intermissas paulisper injurias vimque pristinam redire palam dicantur. Cum itaque intelligerem dierum aliquot inducias ad *Bremum* urbem: jam esse factas, non potui sane quin Majestati vestræ, occasione hac data, significarem quām cupiam ex animo quamque enixè Deum pacis orem, ut illæ induciæ utriusque parti feliciter cedat; utque in pacem firmissimam ex compositione utrinque commoda possint definire: quam ad rem si meam operam conferre quicquam aut usui fore Majestas vestra judicaverit, eam vobis libentissimè ut in re Divino Numini procul dubio acceptissimâ polliceor atque deferro. Interea Majestatis vestræ consilia omnia ut ad communem Christianæ rei salutem dirigat Deus atque gubernet, quod idem non dubito, quin & vos maximè velitis, animitùs exopto.

Majestatis vestræ studiosissimus  
Oliverius, Prot. Reip. Angliae, &c.

*Magnificis Amplissimisque Consulibus ac Senatoribus Civitatis Bremensis.*

**E**X literis vestris per Oratorem vestrum *Henricum Oldenburghum* ad nos datis, coortum civitati vestræ cum vicino potentissimo dissidium, quasque exinde ad angustias redacti sis, eò majore cum molestia ac dolore intelligo, quo magis *Bremenium* Civitatem præter cæteras Orthodoxâ religione præstantem diligo atq; amplector; neque in votis quicquam habeo antiquius, quam ut universum Protestantium nomen fraterno consensu atque concordia in unum tandem coalescat. Lætari interim communem Reformatorum hostem hisce nostris contentionibus & ferocius passim instare certissimum est. Ipsa autem controversia, cum decisio: non sit quæ vos jam nunc exercet, Deum itaque oro ut quæ coepitæ sunt induciæ possint felicem exitum sortiri. Evidem quod petitis ad *Suecorum* Regem ea de re scripti suasor pacis atque concordiae, Deo nimur imprimis gratae, meamque operam ut in re tam pia libens detuli, vos ut æquum animum, neque ab ullis pacis conditionibus, honestis quidem illis, abhorrentem suadeo geratis; vestramque civitatem divinæ tutelæ ac providentia commendabo.

*Albâ Aula Octob. 26. 1654.* *Amplitudinis Vestra Studiofissimus  
Oliverius Protector Reipub. Angliae, &c.*

*Oliverius Protector Reip. Angliae Illustrissimo Principi  
Tarentino S. P. D.*

**P**Erspectus ex literis tuis ad me datis Religionis amor tuus, & in Ecclesiæ Reformatas pietas eximia, studiumque singulare, in istâ præsertim generis nobilitate ac splendore, eoque sub Regno in quo deficientibus ab Orthodoxa fide tot

tot sunt nobilissimis quibusque spes uberes proposita, tot firmioribus incommoda subeunda, permagno me planè gaudio ac voluptate effecit. Nec minus gratum erat placuisse me tibi eo ipso Religionis nomine, quo tu mihi dilectus atque charus in primis esse debes. Deum autem obtestor ut quam de me spem Ecclesiarum & expectationem esse ostendis, possim ei aliquando vel satisfacere, si opus erit, vel demonstare omnibus, quam cupiam non deesse. Nullum equidem fructum laborum meorum, nullum hujus quam obtineo in Repub. meâ sive dignitatis sive munieris, nec ampliorem existimarem, nec jucundiores, quam ut idoneus sim, qui Ecclesiæ Reformatae vel amplificationi vel in columitati, vel, quod maximum est, paci inserviam. Te vero hortor magnopere ut religionem Orthodoxam qua pietate ac studio à majoribus acceptam prosriteris, eadem animi firmitate atque constantia ad extremum usque retineas. Nec sanè quicquam erit te tuisque Parentibus religiosissimis dignius, nec quod pro tuis in me meritis, quanquam tuâ causâ cupio omnia, optare tibi nolius, aut præclarius queam, quam si sic te pares atque instituas, ut Ecclesiæ, præsertim patriæ, quarum in disciplina tam felici indole tamque illustri loco natus es, quanto cæteris præludes, tanto firmius in te præsidium tuis rebus constitutum esse sentiant. Vale.

*Alba Aulâ die Aprilis 1655.*

*Oliverius Protector Reip. Angliæ Serenissimo Principi Immanueli  
Sabauidæ Duci, Pedemontii Principi, Salutem.*

*Serenissime Princeps,*

**R**editæ sunt nobis Genevâ, nec non ex Delphinatu aliiisque multis ex locis ditione vestræ finitimi literæ, quibus certiores facti sumus, Regalis vestræ Celsitudinis subditis *Reformatam Religionem* profitentibus, vestro Edicto atque authoritate imperatum nuper esse, uti triduo quam hoc edictum promulgatum erit suis sedibus atque agris excedant poenâ capitîs, & fortunarum omnium amissione proposita, nisi fidem fecerint se derelictâ religione suâ, intra dies viginti *Catholicam Religionem* amplexuros: Cumque se supplices ad Celsitudinem vestram Regalem contulissent, petentes uti edictum illud revocetur, utque ipsi pristinam in gratiam recepti, concessæ à Serenissimis Majoribus vestris libertati restituantur, partem tamen exercitus vestri in eos impetum fecisse multos crudelissime trucidasse, alios vinculis mandasse, reliquos in deferta loca montesque nivibus coopertos expulisse, ubi familiarum aliquot centuriæ, eo loci rediguntur: ut sit metuendum ne frigore & tame, brevi sint miserè omnes perituræ. Hac cum ad nos perlata escent, haud sane potuimus quin, hujus afflictorum populi tanta calamitate auditâ, summo dolore ac miseratione commoveremur. Cum autem non humanitatis modo sed ejusdem religionis communione, adeoque fraternali penitus necessitudine cum iis conjunctos nos esse fateamur, satisfieri à nobis neque nostro erga Deum officio, neque fraternali charitati, neque religionis ejusdem professioni posse existimavimus, si in hac fratrum nostrorum calamitate ac miseria solo sensu doloris afficeremur, nisi etiam ad sublevanda eorum tot mala inopinata, quantum in nobis est sicut, omnem operam nostram conferamus. Itaque à vestra imprimis Celsitudine Regali maiorem in modum enixè petimus & obtestamur, ut ad instituta Serenissimorum Majorum suorum, concessamque ab iis omni tempore & confirmatam subditis suis *Vallenibus* libertatem velit animum referre. In quâ concedendâ atque confirmandâ, quemadmodum id præstiterunt, quod Deo per se gratissimum proculdubio est, qui conscientiæ jus inviolabile ac potestatem penes se unum esse voluit, ita dubium non est quin Subditorum etiam suorum meritam rationem habuerint, quos & in bello strenuos ac fidelissimos & in pace dicto semper audientes experti fuissent. Utque Serenitas Vestra Regalis in cæteris omnibus & benignè & gloriòsè factis Avorum suorum vestigiis optimè insistit, ita in hoc nolit ab iisdem discedere etiam atque etiam obsecramus; sed & hoc edictum, & si quod aliud inquietandis *Reformatæ Religionis* causâ subditis suis rogatum sit, uti abroget; ipsos patriis sedibus atq; bonis restituat; concessa jura ac libertatem

pristinam ratam iis faciat ; accepta damna sarciri, & eorum vexationibus finem imponi jubeat. Quod si fecerit Regalis Celsitudo vestra, & rem Deo acceptissimam fecerit, miseros illos & calamitosos erexerit & recrearit, & à suis omnibus vicinis, quotquot *Reformatam Religionem* colunt, maximam gratiam inierit ; nobisque potissimum, qui vestram in illos benignitatem atque clementiam obtestationis nostræ fructum arbitrabimur. Quod & ad omnes officiorum redendas vices nos obligaverit ; nec stabiliendæ solum verum etiam augenda inter hanc Remp. vestramque ditionem necessitudinis & amicitiae fundamenta firmissima jecerit. Neque verò hoc minus ab justitia vestra & moderatione animi nobis pollicemur : quam in partem Deum Opt. Max. oramus uti mentem vestram & cogitationes flectat : vobisque adeo vestroque populo pacem ac veritatem & successus rerum omnium felices ex animo precamur.

*Alba Aulâ. May 1655.*

Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo Principi  
Transylvaniae, Salutem.

*Serenissime Princeps,*

**E**X literis vestris *sesto decimo Novembris 1654.* ad nos datis, singularem erga nos benevolentiam vestram atque studium perspeximus ; & Internuntius vester qui illas nobis literas dedit de contrahenda nobiscum societate & amicitia voluntatem vestram amplius coram exposuit. Nos certè occasionem hanc esse datam, unde nostrum quoque erga vos animum, & quanti Celsitudinem vestram merito faciamus declarare atque ostendere possimus, haud mediocriter sanè gaudemus. Cum autem Vestra in Rempublicam Christianam præclara merita laboreisque suscepisti ad nos usque famâ pervenerint & haec omnia certius, & quæ amplius rei *Christianæ* vel defendendæ vel promovendæ causa in animo habeatis Celsitudo vestra suis literis communicata nobis amicissimè voluerit, ea uberiorē insuper letandi materiam nobis attulere : Deum nempe iis in regionibus excitasse sibi tam potentem atque egregium suæ gloriæ ac providentiae ministrum ; qui, cum virtute atque armis tantum possit, de religione communi *Protestantium* tuenda, cui nunc undiq; malè & dictum & factum est, nobiscum unâ sociare consilia cupiat. Deus autem qui utrisque nobis tametsi locorum intervallo tam longè disjunctis, eundem Religionis Orthodoxæ defendendæ studium atque animum injectit, dubium non est quin earum præcipue rationum author nobis futurus sit, unde & nobis & inter nos & Reformatorum reliquis principibus ac civitatibus hac in re maximo esse adjumento atque usui possimus, occasionibus certè omnibus intenti, si quas Deus obtulerit, iis quod ad nos attinet, eodem Deo benè juvante, non deerimus. Interea Celsitudini Vestræ sine summo dolore commemorare non possumus quanta inclemensia Dux Allobrogum subditos suos Alpinarum quarundam Valliam incolas Orthodoxam Religionem retinentes persecutus fit. Quos non solum severissimo Edicto quotquot Romanam Religionem suscipere recusarunt sedes avitas, bonaque omnia relinquere coegerit, verum etiam suo exercitu adortus est, qui multos crudelissime concidit, alios barbarè per exquisitos cruciatus necavit, partem verò maximam in montes expulit fame & frigore absundam, exustis domibus, & siqua eorum bona ab illis carnificibus non sint direpta. Hæc ut ad vos jamdudum nuntiata sunt & Celsitudini Vestræ tantam crudelitatem graviter displicuisse, & vestram ope atque auxilium, quantum in vobis est, illis miserrimis, siqui tot cæribus atque miseriis adhuc supersunt, non defuturum, nobis facile persuadetur. Nos literas Duci *Sabaudie* ad deprecandum ejus infensum in suos animum jam scripsimus ; sicut & Gallorum Regi, idem ut is etiam velit facere ; vicinis denique *Reformatæ Religionis* Principibus uti de illa saevitia tam immanni quid nos sentiamus intelligere possint : quæ quanquam in illos inopes primum cœpta est, idem tamen omnibus eandem religionem profitentibus minatur : eoque majorem illis prospiciendi sibi in commune suisque omnibus consulendi necessitatem imponit : quam & nos eandem rationem, prout Deus nobis in animum induxit, semper sequemur. Id quod Celsitudo vestra persuadere sibi poterit quemadmodum & de singulari nostro erga se studio atque affectu, quô prosperos rerum omnium successus

successus vobis animitus exoptamus; & vestra incopta omnia atque conatus, quibus Evangelii cultorumque ejus libertati studetis fœlicem exitum sortiri voluimus.

*Alba Aula. May 1655.*

Oliverius Protect. Serenissimo Principi Carolo Gustavo Adolpho,  
Suecorum Regi, Salutem.

**P**Ervenisse nuper in regna vestra illius Edicti acerbissimi famam quo dux *Sabaudie* subjectos sibi Alpinos incolas, *Reformatam Religionem* profitentes, funditus afflixit, & nisi religione *Romanâ* suam mutare fidem à Majoribus acceptam intra dies viginti velint, patriis sedibus exterminari jussit, unde multis interfectis, cæteri spoliati, & ad interitum certissimum expoliti, per incultissimos montes, hyememque perpetuam fame & frigore confecti cum conjugibus ac parvulis iam nunc aberrant, & hæc graviter tulisse Majestatem vestram nobis persuasiuum est. Nam Protestantium nomen atque caulam, tametsi inter se de rebus non maximis dissentient, communem tamen & penè unam esse, advertiorum par in omnes *Protestantes* odium facile demonstrat. Et *Suecorum Reges*, suam cum *Reformatis* conjunxisse semper causam illatis etiam in Germaniam attulit ad *Protestantium religionem* sine discriminé tuendam, nemo est qui ignoret: petimus imprimis igitur, idque majorem in modum, à Majestate vestra (nisi id jam fecerit, quod & *Reformatorum* aliae *Respublicæ* & nos fecimus) ut cum *Sabaudie* Duce per literas velit agere; suaq; autoritate interpositâ, & hanc tantam edicti atrocitatē ab hominibus cum innocuis tum religiosis deprecando, si fieri potest, avertere conetur: etenim hæc initia tam sæva quo spectent, quid nobis omnibus minentur, admonere vestram Majestatem supervacuum esse arbitramur. Quod si is iræ suæ, quam nostris omnium precibus auscultare maluerit: Nobis profecto, siquod est vinculum, siqua religionis charitas aut communio credenda atque colenda est, communicato prius vestra cum Majestate, ceterisque Reformatorum primoribus consilio, alia quamprimum ineunda ratio erit, qua provideri mature poshit, ne tanta innocentissimorum fratrum nostrorum multitudo omni ope destituta miserimè pereat. Quod idem quin Majestati vestræ visum jam sit atque decretum cum nullo modo dubitemus, nihil consultius, ut nostra quidem fert sententia, esse poterit quam ut gratiam, autoritatem, consilia, opes, & siquid aliud necesse est, in hanc rem primo quoque tempore conferamus. Interea Majestatem vestram Deo Opt. Max. commendatam ex animo volumus.

Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Excelsis & Præpotentibus  
Dominis Fæderati Belgii Ordinibus.

**E**DiQum *Ducis Sabaudie* nuperium in subjectos sibi *Alpinos* incolas, Orthodoxam Religionem antiquitus profitentes, quo illi edicto, ni intra dies viginti fidem *Romanam* amplectantur, exuti fortunis omnibus, patriæ quoque sedes relinquere jubentur, & quantâ crudelitate in homines innoxios atque inopes nostrisque, quod maximè refert, in *Christo* fratres illius edicti auctoritas grassata sit, occulis permultis ab exercitus parte contra eos missa, direptis reliquis atque domo expulsis, unde illi cum conjugibus ac liberis fame & frigore conflictari inter asperrimos montes nivesque perpetuas jamdiu coacti sunt, rumore & vicinis undique ex locis creberrimis literis ac nuntiis cognovisse vos jamdudum existimamus. Qua autem animi commotione, quo sensu fraternalë calamitatis hæc vos affecerint, facile ex dolore nostro qui certe est gravissimus intelligere videmur. Qui enim eodem religionis vinculo conjuncti sumus, quidni iisdem plane affectibus in tam gravi atque indigna fratrum nostrarum commoveremur. Ecce vestra quidem in Orthodoxos ubicunq; locorum disjectos atq; opprestos spectata pietas atque in multis Ecclesiârum difficultatibus & adversis rebus jam sœpe cognita est. Ego certe, niti me fallit animus, quavis in te potius, quam studio & charitate erga fratres religionis causâ violatos atque afflictos vinci sustineam:

\* Cc 2 quando-

quandoquidem Ecclesiarum salutem atque pacem incolumenti etiam propriæ libens prætulerim. Quod igitur hactenus potuimus, ad *Sabaudia Ducem* scriptimus; suppliciter penè rogantes ut in hos homines innocentissimos & subditos & supplices suos placatiorem animum ac voluntatem tuicipiat, suas tudes atque fortunas miseris reddat, pristinam etiam in religione libertatem concedat. Scriptimus præterea ad summos *Protestantium* Principes & Magistratus, ad quos hac maximè pertinere judicavimus, ut in *Sabadio Duce* exorando suam conferre operam nobiscum unâ velint. Hæc eadem, & plura forsitan vos quoque fecistis. Nam exemplum hoc tam periculosum, & instaurata nuper in Reformatos tanta crudelitas si auctoribus bene cedat, quantum in discrimen adducta religio sit vestram commonefacere prudentiam nihil attinet. Et is quidem si flecti nostris omnium precibus & exorari se passus erit præclarum nos atque uberem suscepiti hujus laboris fructum ac præmium reportabimus. Sin ea in sententia perfliterit, ut apud quos nostra Religio vel ab ipsis Evangelii primis Doctoribus tradita per manus & incorruptè servata, vel multo antè quam apud cæteras Gentes sinceritati pristinæ restituta est, eos ad summam desperationem redactos, deletos funditus ac perditos velit, paratos nos esse commune aliquod vobiscum cæterisque *Reformati* fratribus ac sociis consilium capere, quo & saluti pereuntium justorum consulere commodissimè queamus, & is demum sentiat Orthodoxorum injurias atque miseras tam graves non posse nos negligere. *Valete.*

### *Civitatibus Helvetiorum Evangelicis.*

**N**O N cubitamus quin ad aures vestras aliquanto citius quam ad nostra illa nuper calamitas pervenerit *Alpinorum* hominum religionem nostram proficentium, qui *Sabaudia Ducis* in fide ac ditione cum sint, sui Principis edicto patriis sedibus emigrare jussi ni intra triuum satisdissent se *Romanam* Religionem suscepturos, mox armis periti & ab exercitu *Ducis* sui occisis, etiam permultis in exilium ejecti, nunc sine lare, sine tecto, nudi, spoliati, afflicti, fame & frigore moribundi, per montes desertos atque nives cum conjugibus ac liberis miserrimè vagantur. Multo est nimis cur dubitemus quin haec, ut primum vobis nuntiata sunt pari atque nos tantarum miteriarum sensu eoque fortasse graviore quo illorum finibus propiores estis, dolore affecerint. Vestrum enim in primis Orthodoxæ fidei studium egregium summamque in eâ cum retinendâ constantiam tum defendendâ fortitudinem abundè novimus. Cum itaque religionis arctissimâ communione Fratres, vel potius unum corpus, cum his miseris vos pariter nobiscum sitis, cuius membrum nullum affligi sine sensu, sine dolore, sine detimento atque periculo reliquorum potest, scribendum ad vos hac de re & significandum censuimus quanti nostrum omnium interesse arbitremur, ut Fratres nostros ejectos atque inopes communī ope atque auxilio, quoad fieri potest, juvemus & consolemur; nec eorum tantummodo malis & miseriis removendis, verum etiam nequid serpat latius, nequid periculi exemplo atque evenitu vel nobis omnibus creari possit, mature prospiciamus. Literas nos quidem ad *Sabaudia Ducem* scriptimus, quibus uti cum Subditis suis fidelissimis pro clementiâ suâ lenius agat, eosque jam prope perditos suis sedibus ac bonis restituant, vehementer petivimus. Et his quidem nostris, vel nostrum potius omnium conjunctis precibus, exoratum iri Principem Serenissimum quodque ab eo tanto opere petivimus, facile concessurum speramus. Sin illi in mentem secùs venerit, communicare vobiscum consilia parati sumus, qua potissimum ratione oppressos toti injuriis atque vexatos innocentissimos homines, nobisque charissimos in Christo fratres, sublevare atque erigere, & ab interitu certissimo atque indignissimo conservare possimus. Quorum salutem atque incolumentem pro vestra pierate vobis quam maxime cordi esse confido: Ego eam certe vel gravissimis meis rationibus, immò incolumenti propriâ potiore habendam esse existimem. *Valete.*

*Westmonasterio. May 19. 1655.*

O. P.

### *Superscript.*

*Illustribus atque amplissimis Dominis, Helvetiorum Pagorum Protestantium & Confœderatarum Civitatum Consulibus ac Senatoribus, Salutem.*

*Sere-*

Serenissimo potentissimoque Principi Ludovico Galli Regi.

Serenissime Potentissimeque Rex,

**E**X Literis Majestatis Vestrae, quibus illa ad meas *quinto & vigesimo Maii* proximi datas rescribit, facile intelligo nequaquam se felliſſe me eam opinionem, quā milii quidem persuasum erat, cædes illas immanissimas, barbaramque eorum hominum stragem, qui Religionem Reformatam in *Sabaudia* profitentur, à cohortibus quibusdam vestris factam, neque iusſu vestro neque mandato accidisse. Quæ quantum Majestati vestrae displicerit, id vos vestris militum Tribunis, qui hæc tam inhumana suo solo impetu injussi perpetraverant, ita maturè significasse, deque tanta crudelitate *Ducem ipsum Sabaudie* monuſſe, pro reducendis denique istis miseris exilibus unde pulsí sunt, vestram omnem gratiam, necessitudinem, authoritatem tanta cum fide atque humanitate interposuisse, majorem equidem in modum sum lætatus. Ea nempe spes erat, illum Principem voluntati ac p̄icibus Majestatis vestrae aliquid saltem hac in re fuisse concessurum. Verū cum neque vestro, neque aliorum Principum rogatu atque instantiā in Miserorum cauſa quicquam esse impetratum perspiciam, haud alienum ab officio meo duxi, ut hunc nobilem virum extraordinarii nostri Commiffarii munere instructum ad *Allobrogum Ducem* mitterem; qui tantæ crudelitatis in ejusdem nobiscum Religionis cultores, idque ipsius Religionis odio adhibita, quo sensu afficiar, uberiū eidem exponat. Atque hujus quidem Legationis eo feliciorem exitum speravero, si adhibere denuò & adhuc majore cum instantiā suam authoritatem atque operam Majestati Vestrae placuerit; & quemadmodum fideles fore illos inopes dictoque audientes Principi suo ipſa in ſe recepit, ita velit corundem incolumitati atque ſaluti cavere, ne quid iis hujusmodi injuriæ & calamitatis atrocissimæ innocentibus & pacatis deinceps inferatur. Hoc cum in ſe justum ac verè regium fit, nec non benignitati vestrae atque clementiæ, quæ tot ſubditos vestros eandem illam Religionem ſequentes ubique salvos & incolumes præstat, ſummè consentaneum, à Majestate Vestra, ut par est, non poſſimus quin expectemus. Quæ hac ſimul opera, cum universos per ſua Regna Protſtares, quorum ſtudium erga vos ſummaque fides maximis in rebus per ſpecta jam ſaþe & cognita eſt, arctius ſibi devinxerit, tum exteris etiam omniibus persuasum reddiderit, nihil ad hoc facinus contuliffe Regis conſilium, quicquid Miniftri Regii atque Praefecti contulerunt. Praefertim ſi Majestas Vestra poenias ab iis Ducibus ac Miniftriſ debitas repetiverit, qui authoritate propria, ſuaque pro libidine tam immania patrare ſcelera ſunt ausi. Interea cum Majestas Vestra factum hoc inhumanissimum, quo dignum eſt odio, averſari ſe refetur, non dubito quin miseris illis atque ærumnotis ad vos confugientibus, tutissimum in Regno ſuo receptum atque perſugium fit præbitura; nec Subditorum ſuorum cuiquam, ut contra eos *Duci Allobrogum* auxilio adſit, permifſura. Extremum illud eſt, ut Majestatem Vestram, quanti apud me ſua amicitia fit, certiorem faciam: Cujus rei neque fructum ullo tempore defuturum conſirmo.

Albâ Aulâ. Julii 29. 1655.

Majestatis Vestrae Studioſiſſimus  
Oliverius Prot. Reip. Angliæ, &c.

Eminentissimo Domino Cardinali Mazzarino.

Eminentissime Domine Cardinalis,

**C**U M nobilem hunc virum cum literis, quarum exemplar hic inclusum eſt, ad Regem mittere neceſſarium ſtatuifſem, tum ei, ut Eminentiam vestram meo nomine ſalutaret, ſimul in mandatis dedi, certasque res vobifcum communicandas ejus fidei commiſſi: Quibus in rebus Eminentiam rogo vestram, uti ſumimam ei fidem habere velit, utpote in quo Ego ſummam fiduciam reposuerim.

Albâ Aulâ. Julii 29. 1655.

Eminentiae vestrae Studioſiſſimus  
Oliverius Protector Reipublicæ Angliæ.

Olive-

Oliverius Protector Reip. Angliae Serenissimo Principi Frederico III.  
Danie, Norwegiae, &c. Regi, Salutem.

**Q**UAM severo nuper, & inclemenci editio *Allobrogum Dux Immanuel* suos ipse Subditos *Alpinarum Vallium* incolas, innoxios homines & religionis cultu purioris jam multis ab saeculis notos ac celebres, religionis causâ finibus patriis exegerit, &, occisis permultis, reliquos per illa desertissima loca malis omnibus & miseriis inopes ac nudos exposuerit, & audisse jamdudum arbitramur Majestatem Vestram, & gravissimum ex ea re, prout tantum *Reformatæ Fidei Defensor* rem ac Principem decuit, dolorem percepisse. Siquidem pro institutis *Christianæ Religionis* quæ mala atque miserias pars aliqua nostrorum patitur, earum sensu penitus eodem tangi omnes debemus ; & sanè omnibus nobis & universo *Protestantium* nomini hujus facti eventus atque exemplum, quid periculi ostendat, nemo Vestra Majestate, si nos ejus pietatem atque prudentiam rectè novimus, melius videt. Scripsimus itaque libenter, ut quem dolorem ob hanc Fratrum innocentissimorum calamitatem, quam sententiam, quod judicium de re tota vestrum esse speramus, idem planè & nostrum esse significemus. Itaque ad *Dacem Sabaudie* literas deditis, in quibus uti miseris atque supplicibus parcat, illudque atrox edictum porrò esse ratum ne sinat, magnopere ab eo petivimus. Quod si Majestas Vestra, cæterique *Reformatorum* principes fecerint, ut jam fecisse credimus, spes est leniri posse Serenissimi Ducis animum, & hanc iram suam tot saltē vicinorum Principum intercessioni atque instantiæ condonaturum ; sin perseverare in instituto suo maluerit, paratos nos esse testamur cum Majestate Vestra, cæterisque Religionis *Reformatæ* sociis eam inire rationem quā tot miserorum hominum subvenire quamprimum inopiae, providere saluti ac libertati pro virili parte nostra possimus. Vestra interea Majestati bona omnia atque fausta à Deo Opt. Max. precamur.

Westmonasterio. Maii 1655.

---

Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Amplissimis Consulibus & Senatoribus Civitatis Genevensis, Salutem.

**S**UMMUM dolorem nostrum quem ex maximis & inauditis *Protestantium* calamitatibus *Valles* quasdam *Pedemontanas* incolentium percepimus, quos *Allobrogum Dux* tanta crudelitate persequutus est, jampridem vobis exposuissemus, nisi id magis operam dedissemus ut eodem tempore intelligeretis tantis eorum miseriis non affici nos solum, verum etiam de sublevandis iis atque solandis, quantum in nobis est prospicere. Quapropter *Eleemosynas* per hanc totam *Republicam* colligendas curavimus : quas ejusmodi fore haud immerito expectamus, quæ nationis hujus affectum erga fratres suos tam immania perpeccios demonstrare possint, & quemadmodum religionis eadem utrinque communio est, ita sensum quoque eundem calamitatum esse ; interea dum pecuniæ collectio maturatur, quod sine spatio temporis fieri nequit, & miserorum istorum egestas atque inopia pati moram non potest, necessarium duximus duo millia librarum Anglicarum quanta fieri potuit celeritate præmittere inter eos distribuenda qui præsentissimâ ope atque solatio indigere maximè videbuntur. Cum autem nescii non simus innocentissimorum hominum miseriae atque injuriae quantopere vos affecerint, nec vobis quicquam labori aut molestiæ fore quod illis adjumento atque auxilio esse possit, prædictam pecuniæ summam illis calamitosis curandam ac numerandam ad vos transferre non dubitavimus ; idque vobis negotii dare, ut pro vestra pietate ac prudentiâ providere velitis qua ratione æquissimâ quam primum illa pecunia egentissimis quibusque distribui queat, ut quamvis summa sane exigua sit, aliquid tamen sit saltē quo illi inopes recreari ac refici in præfens aliquantum possint, donec uberiorem iis copiam suppeditare poterimus : vos hanc vobis datam molestiam aqui bonique consulturos esse cum non dubitemus, tum etiam Deum Opt. Max. oramus uti populo suo Religionem orthodoxam profitenti det animum sui in commune defendendi, sibique mutuò opem ferendi

ferendi contra hostes suos immanissimos ; qua in re nostram quoque operam Ecclesiæ utcunque usui fore lætaremur. *Valete.*

Mille quingentæ Libræ de prædictis bis millibus à *Gerardo Henſh Parisiis*, quingentæ reliquæ per literas à *Domino Stoupio* curabuntur.  
7unii 8. 1655.

*Oliverius Protector Reip. Angliæ Serenissimo Principi Venetiarum Duci.*

*Serenissime Princeps ;*

**C**Um rebus vestris omnibus contra hostem præsertim Christiani nominis prospere gestis lætari semper consuevimus, tum & illo navalis prælii novissimo successu nequaquam sancè dolemus, quamvis id aliquo nostrorum cum detrimento accidisse intelligamus. Ostenderunt enim nobis per libellum suppliæ Negotiatores quidam nostri *Gulielmus & Daniel Gulielmi* nec non *Edoardus Beatus* navem suam, cui nomen *Princeps magnus, Constantinopolis* ab se commercii causâ missam nuper fuisse ; eam navem ab aulæ *Turcicæ* ministris ad commeatum & milites in Cretam insulam deportandos retentam, dum in illa classe *Turcarum* coacta eo navigaret quæ à classe *Venetorum* oppugnata in itinere & superata est, captam & *Venetias* abductam, ab maritimarum causarum judicibus adjudicatam publico fuisse. Cum itaque inscientibus dominis & nullo modo probantibus navis illa *Turcis* operam dare invitissima coacta sit, seque ex ea pugna explicare militibus referta non potuerit, Serenitatem Vestram magnopere rogamus, ut sententiam illam maritimæ curiæ velit nostræ amicitiæ condonare, navemque illam suis dominis, de *Vestra Republica* nullo suo facto malè meritis, restituendam curare. Qua in re impetranda nobis præsertim petentibus, cum mercatores ipsos de vestra clementia benè sperare videamus nos utique de ea dubitare non debemus : qui & præclara vestra consilia remque *Venetam terrâ marique maxima* uti perget fortunare Deus omnipotens ex animo optamus.

*Serenitatis vestra Venetæque Reip. studiosissimus,*  
*Oliverius Protector Reipub. Angliæ, &c.*

*Westmonasterio. Decemb. 1655.*

*Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c. Serenissimo Principi Ludovico Galliarum Regi.*

*Serenissime Rex ;*

**M**ercatores aliquot nostrates, quorum nomina sunt *Samuel Mico, Gulielmus Cocainus, Georgius Poynerus*, aliisque complures per libellum supplicem nobis ostenderunt se anno 1650. in navem quandam, cui insigne *Unicornus* erat, per signas rationes suas contulisse : eam navem bombyce, oleo aliisque mercibus onustam, quæ, plus minus, triginta quatuor millibus librarum nostrarum ab iisdem aestimata sunt, ab nave præatoria, & prætoria *Majestatis Vestre* in *Mediterraneo Mari Orientali* oppressam atque captam fuisse : nostros autem illa in navi, propterea quod nobis eo tempore cum *Gallis* illibata pax erat, cum contra naves regias vi se defendere noluissent, promissis *Pauli & Terrerii Navarchorum* inductos, qui velle se nostros dimittere aiebant, prolatis onerum libellis, maritimis legibus paruisse : Mercatores proinde suprà dictos procuratorem suum, qui navem illam ac bona restituenda sibi peteret, in *Galliam* misisse : ibi post triennium eoque amplius consumptum, cum ad sententiam de restitutione serendum perventum jam esset, *Cardinalis Mazarini* Eminentiam eorum procuratori *Hugoni Morello* factam mercatoribus istis injuriam agnoscisse ; datumque iri satisfactionem, ut primùm confirmata pax inter utramque gentem, foedusque, quod tum agitabatur, consecutum atque ratum esset, in se repecisse : immò recentius Majestatis Vestre apud nos Legatum Excellentissimum Dominum *de Bordeaux* ex mandato vestro vestrique Concilii, disertis verbis confirmasse, hujus navis atque bonorum peculiari exceptione habitum iri rationem, etiam seorsim ab iis

controversiis, de quibus in commune decidendis ex foedere provisum est : hujus promissi Legatum ipsum, qui nunc percommode negotiorum quorundam suorum causâ ad vos transmeavit, testem esse posse locupletem. Quæ cum ita sunt, jusque horum mercatorum in repetendis rebus suis tam præclarè constet, à Majestate Vestra majorem in modum petimus, ut in eo obtinendo nulla iis mora diutius afferatur, velitque nostro rogatu has nobis redintegratae amicitiae & instaurati recens foederis esse primitias. Quod & fore confidimus, vobisque lauta omnia vestroque regno à Deo Opt. Max. precamur.

*Majestatis vestra studioſiſſimus*  
*Westmonasterio. Decemb. 1655.*      Oliverius Protector Reipub. Angliæ, &c.

*Civitatibus Helvetiorum Evangelicis.*

**E**X vestris ad nos tam actis publicis per Commissarios nostros *Genevâ transmissis*, quam literis 27 Decembris *Tygori* datis, quo in loco res vestræ sint, cum non sint optimo, satis superque intelligimus : In quo etsi pacem vestram, tamque diuturnum Sociale foedus ruptum dolemus, tamen cum id vestrâ culpâ nequaquam accidisse appareat, novam hinc vobis ex Adversariorum iniuite & pertinacia illustrandæ fortitudinis, constantiaeque vestræ in *Evangelica* fide jam olim cognitæ parari rursus materiem confidimus. Nam *Suitenses*, qui Religionem nostram si quis amplectatur, Capitale censem, quid moliantur, quibus hor-tatoribus tam hostiles Spiritus in *Orthodoxam Religionem* suscepereint, latere neminem potest, cui modò indignissima illa fratum nostrorum in *Pedemontio* facta strages animo nondum excidit. Quapropter, Dilectissimi Amici, quod soletis esse, aspirante Deo fortes estote ; jura vestra atque foedera, immo conscientiæ libertatem, Religionemque ipsam idolorum cultoribus obculcandam concedere nolite ; vosque ita parate ut non proprie duntaxat libertatis atque salutis pro-pugnatores esse videamini, sed ut fratribus quoque vicinis, *Pedemontanis* præ fertum illis aerumnosissimis, quibus protestis rebus, opitulari atque adesse positis : hoc certò persuasi per illorum corpora ac neces ad vestra latera illum nuper aditum fuisse patefactum. De me scitote, incolumitatem vestram resque prosperas non minus mihi curæ ac solicitudini esse quam si in hac nostra Rep. coortum hoc incendium, quam si in nostras cervices expeditæ *Suitensem* secures illæ (sicuti reverâ sunt in omnes Reformatos) strictique enses essent. Ut primum itaque à vobis de statu rerum vestrarum, & obstinato hostium animo certiores facti sumus, exhibitis in Consilium viris quibusdam honestissimis & Ecclesiæ aliquot Ministris pietate spectatissimis, de subsidio vobis mittendo, quantum quidem rationes nostræ in præsentia ferre possunt, ea decrevimus, quæ Commissarius noster *Pellus* vobiscum communicabit. De cætero vestra omnia consilia causamque imprimis hanc vestram justissimam sive pace sive bello tuerandam, Deo Opt. Max. fautori commendare non desinimus.

*Vestrarum Amplitudinum ac Dignitatum studioſiſſimus*  
*Westmonasterio. Jan. 1655.*      Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c.

Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c. Serenissimo Principi Carolo Gustavo, Dei Gratia Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi, Magno Principi Finlandie, &c.

Serenissime Rex ;

**C**Um amicorum inter se mutua omnia, tam adversa quam prospéra, atque communia debere esse nemo non intelligat, quod jucundissimam amicitiae partem Majestas Vestra, gaudium nempe suum impertitum nobis per suas literas voluerit, non potest in quidem nobis non esse longè gratissimum: quandoquidem & hoc singularis indicium humanitatis, veréque Regia est, ut nec vivere, ita ne gaudere quidem sibi soli velle nisi amicos quoque & foederatos eadem, quæ se, lætitiam affectos esse sentiat. Itaque Regi tam præstanti & natum esse Filium

Filiū Principem, quem Paternæ virtutis atque gloriæ speremus hæredem, meritò gaudemus, & idem quod Regi olim fortissimo, *Philippo Macedoni* sive felicitatis sive decoris domi simul & foris contigissè gratulamur: Cui eodem tempore & natus *Alexander* filius, & *Illyricorum* gens potentissima subacta memoratur. Nam & *Polonicæ Regnum* vestris armis ab imperio *Papano* quasi cornu quoddam avulsum & cum *Duce Brandenburgico* pax piorum votis omnium exoptata, frenentibus licet adversariis, facta, quin ad Ecclesiæ pacem atque fructum permagnum sit momentum habitura non dubitamus. Det modò finem Deus tam præclaris initis dignum; det modò filium, virtute, pietate, rebusque gestis patri similem: id quod & auguramur sancte & à Deo Opt. Max. tam vestris rebus jam antè propitio, ex animo precamur.

*Majestatis Vestrae Studioſissimus*

*Westmonasterio. Feb. 1655.*

Oliverius Prot. Reip. Angliæ, &c.

### Daniæ Regi.

*Serenissime ac Potentissime Princeps;*

Quelli sunt per libellum supplicem suo aliorumque mercatorum *Londinenſum* nomine nobis exhibitum *Joannes Fremannus* & *Philippus Travesius* hujus Reip. cives, se circiter mensē Octobris 1653. cum in navem quandam *Sunderburgensem*, cui nomen *Saluatori*, *Nicolao Wenisbinks* magistro, merces varias, pannum laneum, aliquam vestem textilem ac mercimonia plus tribus millibus librarum aestimata imposuissent, magistro mandatis, ut per *Fretum Balticum* recto curru *Dantiscum* navigaret utque ad *Elsenoram* vectigal solveret, eique etiam pecuniam ad eam rem curasse: supradictum tamen magistrum perfidiosè, & contrà quām ipsi à mercatoribus mandatum erat, prætervectum *Elsenoram* nullo portorio soluto *Balticum* pernavigasse. Navisque per hanc causam cum toto onere non sine magno mercatorum damno publicata atque retenta est. Quorum in gratiam jampridem ad Legatum Majestatis vestrae *Londini* tunc temporis commorantem scripsimus; qui, ut ipsi aiunt, pollicitus est, ut primum ad Majestatem vestram rediisset, daturum operam, ut ratio mercatorum haberetur. Verum cum is postea aliis in regionibus Majestatis Vestrae negotia obiret, & ante discessum ejus & postea frustra se eum adiisse ostendunt: unde procuratorem suum mittere coacti sunt, qui jus suum *Hafnia* persequeretur, navemque illam ac bona liberari, si bīque reddi flagitaret: verum exinde nullum se fructum percepisse, nisi ut ad dampnū vetera novas impensas, & susceptrum frustra laborem adjungerent: cum nīcō damnata, & retenta hactenus sint bona, tametsi ex lege *Daniæ*, quemadmodum ipsi in libello suo demonstrant, magister quidem navis ob suum delictum est ipse puniendus, navisque, non bona, proscriptio sunt obnoxia: eoque gravius accidisse sibi hoc malum existimant, quod, sicuti nobis perlatum est, vectigal illud quod *Elsenora* solvere debuisset est admodum exiguum. Quapropter, cum mercatores nostri nullam proscriptio causam præbuuisse videantur, confessuique ipse magister paulo ante obitum sit, suo solum delicto illatum hoc mercatoribus detrimentum esse, cumque Pater defuncti jam magistri ipse per libellum supplicem Majestati Vestra exhibitum, sicuti nos accepimus, culpam omnem in filium suum contulerit, mercatores absolverit, haud sane potuimus quin navis illius bonorumque retentionem iniquissimam esse arbitraremur; adeoque confidimus, simulatque Majestas Vestra hac de re certior facta erit, sive ut non modo has ministrorum suorum injurias improbet, verum etiam ipsos rationem reddere, bonaque illa suis Dominis eorumve procuratoribus quamprimum restituīt damnaque inde data sarciri jubeat. Quod & nos à Majestate vestra majorem in modum perimus, utpote rem usque adeo æquam & rationi consentaneam, ut æquiorem petere aut expectare in causa tam justa nostrorum civium non posse videamur, haud minus æqua vestris subditis, quoties data occasio erit, reddituri.

Serenissimo Principi Joanni Quarto Lusitaniae, &c. Regi.

*Serenissime Rex;*

Quam pacem & amicitiam cum *Anglicanâ Republicâ* Majestas Vestra, Legatione amplissimâ ac splendidissimâ jampridem ad nos misit, experivit, eam à Parlamento, quæ tum potestas rebus præfuit, inchoatam, & a nobis summo semper studio exoptatam, Deo imprimis favente, proqæ ea quam acceptimus Reipublicæ administratione, feliciter tandem consecimus, & in perpetuum, uti spes est, sanximus. Itaque Legatum vestrum extraordinarium Dominum Joannem Rodericum de Saa Meneses, Comitem Pennignianum, virum cum Majestatis vestræ judicio comprobatum, tum humanitate, ingenio, prudentiâ, fide præstantissimum à nobis repertum, cum expleti muneri egregiâ laude, & reportatâ secum pace, vobis reddimus. Quod autem per literas secundo die Aprilis Olyssipone datas, Majestas vestra quanti nos faciat quamque impensè dignitati nostræ faveat, nosque Rempublicam suscepisse gubernandam quanto per lætata sit, haud obscuris indiciis singularis benevolentiae testatur, id vero mihi gratissimum esse, ex meis in Majeitatē vestram paratissimis omni tempore officiis, dabo operam ut facile posthac omnes intelligent. Neque segnius interea pro incolumentate vestrâ, vestriisque regni felici statu, rerumque prospero successu conceptis ad Deum precibus contendeo.

*Majestatis Vestra Studiofissimus*

Oliverius Reipub. Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, &c. Protector.

Oliverius Protector Reipub. Angliæ, &c. Excelſis & Præpotentibus Fœderati Belgii Ordinibus S. D.

*Excelſi & Præpotentes Domini, amici charifſimi;*

O Stendunt nobis mercatores quidam, cives nostri Thomas Bruffelus, Richardus Bearus, aliique socii navem quandam suam Edmundi & Joannis nomine insignitam dum ab ora Brasiliæ Olyssiponem contenderet ab navi quadam prædatoria Flissingensi cui nomen Rubro Leoni, Magister Lambertus Bartelsonus, oppugnatam se dedidisse; verum ea lege & pacto (id quod ipsum Lamberti chirographum obſignatum testabitur) ut navis, & quæcunque in illa fuissent Anglorum bona, Flissingæ restituerentur: eò cum appulsum est, navem quidem & nauticorum peculia redditæ, mercatorum Anglorum bona adempta eorumque auctionem statim esse factam: se mercatores nempe quibus hoc damni datum est, cum in foro Flissingensi suas res repeterent, iniurissima sententia lata, litem cum grandibus impenis post quinquennium perdidisse, ab iis nimirum judicibus abjudicatam, quorum nonnulli cum in illa navi prædatoria suas rationes collatas habuissent; & judices & adversarii & rei simul erant: nihil jam sibi superesse spei nisi in vestra æquitate & incorrupta fide, ad quam nunc demum consugiunt: eam sibi fore propensiorem existimarant, si nostra commendatio accessisset. Et hominibus condonandum hoc sane est, si in hac tanta fortunarum suarum dimicazione omnia timentibus, quid ab summa auctoritate atque potentia vestra sibi metuendum, quam quid apud integrros præsertim judices de sua causa sit bene sperandum saepius in mentem veniat: nos quin religione, iustitiâ, integritate vestrâ vorius quam rogatu nostro adducti, quod æquum, quod justum, quod vobis denique dignum est judicaturi sitis, non dubitamus. Deus vos vestramque Rempub. ad gloriam suam, suæque Ecclesiæ præsidium conservet.

Westmonasterio. April. 1. 1656.

Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c.

Oliverius

Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c. Serenissimo Principi Carolo Gustavo Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi, Magno Principi Finlandie, Duci Esthonie, Careliae, Bremæ, Verdae, Stetini, Pomeraniae, Cassubia & Vandalie, Principi Rugie, Domino Ingrie, Wissmarie, necnon Comiti Palatino Rheni, Bavariae, Jul. Clivie & Montium Ducie, &c.

Serenissime Princeps;

**P**erfunctus Legatione suâ apud nos Petrus Julius Coetus, atque ita perfunctus usq[ue] debitâ laude non inornatus à nobis dimittendus sit, ad Majestatem vestram revertitur. Fuit enim cùm vestro præcipue nomine, quod jure apud nos plurimi esse debet, nobis gratissimus, tum suo etiam merito, tuo nempe munere diligentissimè obito, haud parum acceptus. Quam igitur commendationem vestram de eo accepimus, eam (si quid ad eam accedere testimonio ullo potest) & ab ipso impletam, & à vobis meritissimè datam, libentes utique testamur: quemadmodum & is poterit nostrum erga Majestatem vestram singulare studium & observantiam, eâdem fide atque integritate ad vos referre, verissimeque exponere. Extremum illud est ut Majestati vestræ felicitatem omnem victoriarumque cursum contra omnes Hostes Ecclesiæ perpetuum, à Deo Opt. Maximeque optemus.

Westmonasterio. April 17. 1656.

Majestatis vestræ Studioſissimus,  
Oliverius, Protector Reip. Angliæ, &c.

Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi Ludovico Gallie Regi, S. D.

Serenissime Princeps;

Dierunt ad nos per libellum supplicem, Joannes Dethic urbis Londini in hunc annum præfectus, & Gulielmus Wakefield Mercator, conquesti, se anno 1649. Calendas circiter Octob. navem quandam cui nomen Jonæ Londinensi, Jeni quoque cognomento Lighthaghe Magistro, suis mercibus, quæ Ostendam mittere: generali: eam navem à prædone quodam Barkingensi, cui nomen White (Regis Caroli defuncti nomine piraticam faciebat) in ipso Thamesis ostio oppretum, atque inde Dunkirkam, quæ eo tempore in ditione Gallorum erat, fusile abductam; cum autem edicto Majestatis vestræ ann. 1647. & ann. rursus 1649. aliquot etiam consilii Regii decretis, in gratiam Parlamenti Anglicani, cautum esse intelligerent, ne naves ullæ aut merces, illius belli tempore, quoquo obtemperans ereptæ, in Majestatis vestræ portus quouscunque asportarentur, vniuerselle, misisse se statim Dunkirkam procuratorem suum Hugonem Moredam negotiatorem, qui à Domino Lestrado illius oppidi per id tempus præfecto, reddi sibi suam navem cum mercibus postularet, cum eas præsertim magnâ ex parte adhuc integras, neque dum permutatas aut divenditas, in ipso oppido deprehendisset: respondit Præfectus, se Regis Gallæ dono, ob navaram Reipub. operam, præfecturam eam accepisse; curaturum proinde, ut ea sibi pretium operæ sit. Hoc responso frustratus, post magnum cum temporis tum pecuniae dispendium, procurator domum revertitur. Petitors, quæ restat sibi spes, eam in vestra iusta clementia atque justitia repositam esse vident; ad quam per nostras literas faciliorē tibi aditum fore crediderunt: ea ne desit hominibus contra jus omne, & reperita vestra interdicta spoliatis, rogamus. Quod tamen si impetrabimus, quandoquidem hoc sanè æquissimum videtur, ab insitâ æquitate vestrâ, potius quam rogatu nostro, impetratum id esse statuemus.

Westmonasterio. Maii, 1656.

Majestatis vestræ Studioſissimus,

Oliverius, Protector Reip. Angliæ, &c.

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Excelsis & Præpotentibus Domini Foederati Belgii Ordinibus S. D.*

*Excelsi & præpotentes Domini, amici charissimi ;*

**D**emonstrarunt nobis per libellum supplicem *Joannes Brunus, Nicolaus Gulielmus*, aliique *Londinenses*, se, cum in navem, cui *Bona Esperanza Londinensis* nomen inditum erat, in *Orientalem Indianam* navigaturam, sortem quicunque suam contulisset, procuratori suo negotium dedisse *Februario* mense 1644. ut bis mille quadringentas libras *Belgicas* ad illius navis periculum praestandum *Amsterdami* curaret: ea navis cum in itinere ad oram ipsam *Indiae* ab *Hollandica* quadam, quæ ex navibus *Orientalis* illius societatis erat, capta esset; qui præstanto periculo se obligaverant pactam pecuniam numerare recusasse; & sextum jam annum posse nostros, qui summa cum assiduitate maximisque impensis jus suum persecuti sunt, dilationibus variis eludere. Quod cum petitoribus grave admodum atque iniquum videatur, & nonnulli ex iis qui se obligarunt vel jam diem obierint vel solvendo non sint, nequid forte ad priora damna summi discriminis accedat, magnopere à vobis petimus, ut per tot annos in foro justitiae ac propriè naufragis istis vestram æquitatem portum esse atque perfugium velitis; utque de causa sua, quam illi iustissimam esse confident, primo quoque tempore judicium fiat. Vobis interiu omnia ad Dei gloriam Ecclesiæque præfidium faulè atque feliciter evenire volumus.

*Excelsarum & præpotentium Dominationum vestrarum Studioſissimus,  
Westmonasterio.  
Maii, 1655.*

*Oliverius Protector Reipub. Angliae, &c.*

*Oliverius Protector Reipub. Angliae, &c. Excelsis & præpotentibus Domini Foederati Belgii Ordinibus S. D.*

*Excelsi & præpotentes Domini, amici charissimi ;*

**C**onqueruntur apud nos graviter iidem, de quibus antea circa idus Septemb. superioris anni literas ad vos dedimus, *Thomas & Gulielmus Lower* defuncti *Nicholai Lower* hæredes legitimi, se adversariorum suorum sive gratiâ sive opibus oppressos, quamvis causa sua imprimis optima, &c, cum id satis non esset, literis etiam nostris ter deinceps commendati fuislent, impetrare hactenus nullo modo posse ut relictam testamento hæreditatem adire sibi liceat: Ab *Hollandie* foro ubi primùm actio instituta erat vestram ad Curiam rejecti, inde in *Zelandiam* transmissi (quæ tria in loca tortidem nostras literas attulerunt) ab *Zelandia* nunc rursus ad vestrum summum judicium haud inviti remittuntur: ubi enim potestas summa est, ibi æquitatem quoque summam esse sperant: si ea spes fallat, elusi atque irriti, post hanc tantam juris obtinendi causâ concursationem suam, quem demum consistendi locum habituri sint, nesciunt: nam de literis nostris, si his iam quartis nos viderint nihil proficere, non est ut in posterum quicquam sibi polliceantur. Nobis certè gratissimum erit, si post tot rejections, facto fine mora judicio, hæredes plurimum quidem in æquitate atque justitiâ vestrâ, aliquid etiam in authoritate apud vos nostrâ præsidii sibi fuisse intellexerint. Quorum de altero non dubitamus, alterum vel amicitiae nostræ daturos vos esse confidimus.

*Excelsarum & præpotentium Dominationum vestrarum Studioſissimus,  
Westmonasterio. Maii, 1656.*

*Oliverius Protect. Reipub. Angliae, &c.*

Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo Principi  
Joanni Lusitaniæ Regi.

Serenissime Rex,

**C**U M mercatoribus quibusdam *Anglis* à nonnullis mercatoribus *Lusitanis* ex societate *Brasiliensi* vecturæ commorationisque nomine Ann. 1649. & 1650. grandis pecunia debeatur, quæ pecunia à supradicta societate iustu Majestatis Vestrae retinetur, expectabant quidem dicti mercatores uti ea pecunia ex conditionibus proximi foederis jampridem sibi numerata esset. Verum ne amputetur sibi spes omnis ac ratio recuperandi sua debita verentur, ex quo intelligunt statuisse Majestatem Vestram ut quam pecuniariam *Brasiliensis* societas ipsis debuisset, in ærarium vestrum inferretur, utque portorii dimidia pars solvendis iis debitibus impenderetur; atque hoc pacto mercatores legitimum duntaxat lucrum, sive fœnus pecuniae suæ accepturi essent; ipsâ sorte interim funditus intereunte. Quod nos nobiscum reputantes quam durum sit, eorumque justissimis precibus vici, has nostras ad Majestatem vestram literas ipsis concessimus: hoc potissimum à vobis postulantes uti præstandum curetis, ut supradicta societas *Brasiliensis* hujus *Reipub.* Mercatoribus quamprimum satisfaciat tam de summa pecuniae cuique eorum debitâ, quam de fœnore quinquennali: cum hoc & per se iustum sit, & foederi nuper vobiscum initio consentaneum: quod & nos eorum nomine à Majestate Vestra peramicè petimus.

*Majestatis Vestra Studioſissimus*

Oliverius Prot. Reip. Angliae, &c.

Ex Palatio nostro Westmonasterio, die Julii. 1656.

Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo Principi Carolo  
Gustavo Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi, &c.

Serenissime Rex,

**C**U M amicitiam Majestatis Vestrae tanti Principis, rebusque gestis tam clari merito plurimi faciamus, tum is cuius operæ foedus inter nos arctissimum fancitum est, Illustrissimus Dominus Christiernus Bondus Legatus Vester Extraordina ius necesse est gratus nobis & commendabilis hoc nomine imprimis fuerit. Hunc itaque hac Legatione laudatissimè perfunctum non sine summa cæterarum etiam virtutum egregiarum laude ad vos dimittendum censuimus: ut qui antea in pretio apud vos atque honore fuit, nunc ubiores assiduitatis atque prudentiæ suæ fuctus ex hac nostra commendatione percepisse se sentiat. Quæ reliqua transfigenda sunt, de iis Legationem brevi mittendam ad Majestatem Vestram decrevimus: quam interim Deus in colum defensandæ Ecclesiæ suæ Reique *Suecia* columen conservet.

*Majestatis Vestra Studioſissimus*

Oliverius Protector Reipub. Angliae, &c.

Ex Palatio nostro Westmonasterii, 7ulii An. Dom. 1656.

Oliverius Prot. Reip. Angliae, &c. Serenissimo Principi Ludovico  
Galliae Regi S. D.

Serenissime Rex, Amice ac Fœderate charissime,

**D**Etulerunt ad nos per libellum supplicem Mercatores quidam *Londinenses* Richardus Baker ejusque socii, navem quandam Anglicanam ab se conductam, cui nomen vernaculum *The Endeavour* Magister *Wilhelmus Joppus*, trecentis atque tredecim vini optimi culeis ex *Tenariffa Insula Londinum* advehendis onustam, dum inter *Palmarum* & supradictam *Insulam* cursum teneret, à quatuor navibus

navibus *Gallicis*, in speciem quidem onerariis, sed prædatorium in medium armatis, quibus *Egidius de la Rocke Navarchus* erat, primo ac vigesimo Novembris die An. Dom. 1655. occupatam fuisse, atque in *Orientalem Indianam*, quo is iter sibi esse prædicabat. cum omni onere ac plerisque nautarum aductam; r. liquis quatuordecim ad *Guineam Nigritarum* in littus quoddam expositis. Quod eo consilio *Egidius* fecisse se dictitabat, ne quis eorum ex terra tam longinqua & in humana forte elapsus testimonio laderet. Fatebatur enim, se neque mandatis instructum, ut *Anglorum* naves caperet, neque alias quas poterat antea cepisse, ut propterea quod inter *Gallos nostramque Remp.* per eos ipsos dies convenisse pacem non ignorabat: sed cum in *Tortugallia* constitutum sibi esset commeatus accipere, & ab adversis ventis rejectus attingere ea loca non potuisset, coactum se, ad supplendum quæ opus sibi essent, iis uti quæ in ista nave reperisset: credere te proinde, illarum navium dominos de damno satisfacturos. Damnum autem constat supra sedecim mille libras *Anglicas*, id quod ex juratis testibus facile apparebit, Mercatoribus nostris datum. Verum si tam levibus de causis temerare acta principum religiosissima & quasi ludibrio habere negotiatoribus quibusvis ob sua commoda licuerit, concidet protectio omnis posthac foederum sanctitas, omnis Principum fides atque authoritas obsolebet, proque nihil habebitur. Quapropter non rogamus tantum, sed Majestatis Vestrae quam maximè interesse arbitramur, ut qui Regis sui foedus, jusque jurandum tangentissimum primi omnium tam facile violare sunt ausi, quamprimum dent pœnas tanta perfidia atque audacia debitas; utque illarum interea navium Domini de damno, etiam ipso suorum præ judicio, mercatoribus nostris summam per injuriam illato, satisfaciant. Deus Majestatem Vestram diutissime conservet, Remque *Gallicam* contra communem utriusque nostrum hostem tueatur atque sustineat.

*Majestatis Vestre Studiofissimus  
Oliverius Protector Reipub.*

Ex Palatio nostro Westmonasterii, die Augosti An. Dom. 1656.

*Oliverius Protector Reip. Anglie Eminentissimo Domino  
Cardinali Mazzarino.*

*Eminentissime Domine,*

**C**UM dandæ mihi literæ ad Regem essent, eandem quoque ad Eminentissimam vestram scribendi occasionem arbitrabar mihi oblatam: cuius enim unius viri prudentia singularis *Gallorum* res maximas, summaque Regni negotia pari fide, consilio, ac vigilantiâ moderatur, eum celari qua de re scriberem non convenire existimabam. Foedus enim à vobis, quod dubitare nefas esset, sanctissime percussum, eodem penè die spretum ac violatum à *Gallo* quodam *Egidio* quatuor navium præfecto ejusque sociis nequaquam inscientibus querimur: quemadmodum & ex literis nostris ad Regem datis, & ex ipsis mercatorum nostrorum postulatis facile poterit cognoscere Eminentia vestra; quam præter ceteros non fugit, quanti non magistratum duntaxat, verum etiam ipsius Regiae Majestatis intersit violatores foederum primos eos severius puniri. Verum illi fortasse, quo tendebant, in *Orientalem Indianam* jam nunc appulsi, nostrorum bona contra jus omne atque fidem in recentissimo foedere erepta, veluti prædam ab hostibus captam sibi habent. Illud est interea quod Eminentiam Vestram rogamus, ut quæ ab navium præfecto, tanquam itineri suo necessaria, nostis ablata sunt, ea ab illarum navium Dominis, id quod ipsis prædatores æquaum esse censebant restituantur: qua in re Vestram Eminentiam, qua valet auctoritate, plurimum posse intelligimus.

Ex Palatio nostro Westmonasterii.  
die Augsti An. 1656.

*Eminentia Vestre Studiofissimus  
Oliverius Prot. Reip. Anglia &c.*

Oliverius

*Oliverius Protector Rcp. Anglie, &c. Excelsis & præpotentibus Dominis  
Fæderati Belgii Ordinibus, S. D.*

*Excelsi & Præpotentes Domini, Amici ac Fæderati charissimi;*

**N**O N dubitamus nos quidem quin omnes testimonium hoc nobis perhibiti-  
turi sint, nullas in contrahendis externis amicitiis rationes p̄fendere. Re-  
ligionis veritate potiores unquam nobis suisse, nec conjugendis eorum animis,  
qui Protestantum vel amici ac deserentes, vel sūlē non hostes essent, an iquius  
nos quicquam habuistis. Quo graviore animi dolore commovemur, quodies an-  
nuntiatum est, Protestantum Principes ac Civitates quæ sibi mutuo amicissimæ  
summèque concordes esse dabant, suipetos inter se esse & non optime ani-  
matos; vos præsertim Regemque Suecæ, quibus fortiores Orthodoxa fides de-  
fensores non habet, neque socios nostra Rspub. sibi coniunctiores, videri non  
aqua ac consuevistis vobis invicem confidere, immo indicia quædam vel naſ-  
centis inter vos dissidii, vel vacillantis amicitia haud obscura apparere. Causæ  
quæ fuerint utrinque, & usque quo progressa animorum alienatio sit, igno-  
rum esse nobis proficiuntur: verantamen haud potuimus quin gravem sane mo-  
leſtiam animo caperemus ex ipsis initiis vel minima diffensionis inter siames  
coortæ, ex qua tantum creari Protestantum rebus discrimen necesse sit; quæ-  
que si ingravesceret (quod Deus ne siverit) quantum inde Reformatis Ecclesiis  
periculum impenderet, quanta triumphandi materies iungiis nostris, & Hispanis  
potissimum daretur, latere vestram prudentiam utique rerum tolerissi-  
mum non potest. Hispano certe, tantum hinc fiduciaæ tantum spiritus accessit,  
ut non dubitaverit per Legatum suum apud vos commorantem, sua vobis  
consilia, idque de summa Rcp. vestrae audacissimè obtrudere: & patim inicto  
renovandi belli menu terrere, partim ostentatæ utilitatis falsa specie lo'licitare  
vestros animos est ausus, ut rectis ejus horatu amicis verutis ac fidelissimis,  
Gallo, Anglo, atque Sueco, arctissimam cum hoste ac tyranno quondam vestro,  
pacato nunc scilicet, &, quod maxime meuendum est, blandiente, coire  
societatem velleteris. Sane qui ex hoste inveteratissimo, arreptâ tam levi occa-  
sione pro consiliario repente vestro se gerit, quid est quod iste sibi non su-  
meret, quod non audaciae progredetur, si cernere id semel oculis posset quod  
nunc animo duntaxat concipit atque molitur, discordiam nempe inter Prote-  
stantes ac bellum intestinum. Nescii non sumus, vos, pro sapientia vestra,  
qui sit Europa universæ status, quæ Protestantum præfertim conditio saepius  
cum animis vestris cogitare; Helvetiorum Pagos Orthodoxam fidem sequentes  
novorum motuum à popularibus suis fidem Pape sequentibus jam jamque  
cientorum expectatione suspitos teneri, ex eo vix dum bello emersos quod  
Religionis plane causâ ab Hispano, qui hostibus e'rum & duces dederat & pe-  
cuniam suppeditaverat, conflatum est atque accensum; Vallum Alpinarum  
incolis consilia Hispanorum eandem rursus machinari cædem atque perniciem  
quam superiore anno crudelissimè intulebunt; Protestantes Germani sub ditione  
Cæsaris gravissimè vexari, sedesque Patrias ægrè retinere; Regem Suecæ quem  
Deus, ut speramus, fortissimum religionis Orthodoxæ propugnatorem excita-  
vit, cum potentissimis Reformatæ fidei hostibus bellum anceps atque asperri-  
num totis regni viribus gerere; vestris Provinciis infesta vicinorum Papista-  
rum, quorum princeps Hispanus est, nuper icta foedera nimitari; nos denique  
indicto Hispanorum Regi bello esse occupatos. In hac rerum inclinatione si-  
qua inter vos Regemque Suecæ discordia existeret, Reformatarum tota Europe  
Ecclesiæ quam miseranda conditio esset quæ imminentib' illam crudelitati  
ac furori objicerent? Hæc nos cura haud leviter tangit; eundemque vestrum  
esse sensum confidimus, proque vestro in communi Protestantum causa præclaro  
semper studio, utque pax inter fratres eandem fidem eandem spem sequentes in-  
temerata servetur, vos vestra consilia ad has rationes esse accommodaturos, quæ  
carteris quibuscumque anteponendæ sunt, nec quod paci inter vos Sueciæque Re-  
gem stabilendi possit conducere, quicquam esse omissuros. Qua in re si nos  
ulus ullius esse possumus, quantum apud vos vel autoritate vel gratiâ valemus,  
nosram vobis operam libentissimè profitemur, Sueciæ quoq; Regi eandem deterre  
paratissimi, ad quem etiam Legationem quamprimum mittere in animo habemus,  
quæ

quæ hac de re quid nostræ sententia sit, exponat. Deumque vestros ut inque animos ad moderata consilia flexurum esse speramus, vosque cohibitum, ne quid ab alterutram parte fiat quod irritare possit, remque ad extiem deducere: sed ut contraria pars utraque removere velit quicquid alterutri offendit aut suspicuum esse queat. Id si feceritis, & hostes frustrabimini, & amicis solatio eritis, & vestrae denique saluti Reipubl. quam optimè prospiceris. Hoc etiam uti persuasissimum sit vobis rogamus, datus nos esse operam, quoties facultas oblata erit, uti nostrum erga Fœderatas Be'gii Provincias summum studium benevolentiaque appareat. Deum proinde assiduis precibus obtestamur, ut vestram Remp. pace, opibus, libertate, atque imprimis Christianæ fidei amore ac vero cultu florentissimam conservare perpetuò velit.

*Vestrarum Celsitudinum Potentium Studiofissimus*

*Ex Palatio nostro Westmon.  
die Aug. 1656.*

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c.*

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo Principi Joanni  
Lusitaniæ Regi, S. D.*

*Serenissime Rex;*

**D**ile undecimo Julii proximi stylo veteri sanctionem pacis à Majestate Vestrâ jam ratæ, à Legato vestro Extraordinario Londini transactæ, nec non arcânorum & præliminarum articulorum per Thomam Maynardum accepimus: perque literas à Philipo Meadow nostro Olyssiponi Internuntio eodem tempore datas, nostram etiam dictæ pacis & articulorum sanctionem, pro iis mandatis quæ à nobis eâ de re acceperat, Majestati Vestræ ab ipso redditam intelligimus: cum supradicta sanctionis instrumenta ineunte Iunio proximo vicissim data acceptaque fuissent, adeo ut nunc inter utramque gentem pax firmissima lincita sit. Quâ ex pace nos quidem voluptatem haud mediocrem percipimus; propterea quod eam & communis utriusque gentis utilitati fore arbitramur, hottiumque communium haud levi detimento: qui ut prioris foederis turbandi rationem aliquam primò invenerunt, ita nunc ne idem instaurari foedus posset, intentatum nihil reliquerunt. Neque dubium nobis est quin suspicionum utrinque offensionumque inter nos materiam creandi occasionem nullam prætermisseri sint. Quas nos quidem, quantum in nobis est, quam longissimè amovere animo nostro ita constanter decrevimus, immo ut majorem iudicem mutuam fiduciam hæc nostra pariat necessitudo, tam vehementer cupimus, ut eos pro hostibus habituri simus, qui ullis artibus amicitiam nostram immiaucre concubuntur inter nos nostrosque populos hac pace stabilitam; eundemque esse Majestatis Vestræ animum ac voluntatem facilè nobis persuademus: Cumque placuerit Majestati Vestræ suis in literis ad nos quarto & vigesimo Iunii j. 5. nro datis, & diebus aliquot post instrumentum confirmatae pacis datum atque acceptum nostro Internuncio traditis, clausularum quarundam hujus foederis mentionem facere quas aliquantum immutatas velit, ut quæ huic Republica, quemadmodum Majestas Vestrâ censet, levis admodum sint momenti, Portugallie Regno maximi, peculiari tractatione agere iis de rebus quæ à Majestate Vestrâ proponuntur, & si quid præterea foederi stabiliendo vel etiam æctius obstringendo conducere alterutri parti videbitur, parati erimus: in qua Majestatis Vestræ, sive populi haud secus atque nostri, ut utrisque æquè satisfiat, rationem habebimus: atque hæc omnia Olyssiponi an Londini agitanda ac transigenda sint, vestrâ optio erit. Verum hoc foedere jam rato, signisque gentis utriusque iure obligato, dato denique vicissim atque accerto, immutare partem ejus ullam idem esset atque totum rescindere; quod Majestatem Vestrâ minimè velle pro certo habemus. Majestati Vestrâ fausta omnia ac prospera exoptamus.

*Ex Palatio nostro Westmonasterii.  
Augusti die 1656.*

*Majestatis Vestrâ Studiofissimus*

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c.*

Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c. Serenissimo Principi Joanni  
Lusitanie Regi, S. D.

Serenissime Rex ;

**P**ERLATUM ad nos est facinus illud inhumanum ac nefarium, quo cædes *Philippi Meadowes* Internuntii apud vos nostri, transigendæ pacis causâ à nobis missi attentata est: cuius atrocitas tanta fuit, ut Divino plane Numini atque tutelæ ejus conservatio attribuenda sit. Nosque ex literis Majestatis Vestrae sexto & vigesimo Maii proximi ad nos datis, perque *Thomam Maynardum* nobis redditis, permotam facili indignitate Majestatem Vestram de authoribus jussisse queri intelligimus, ut supplicium de iis, pro eo ac meriti sunt, sumatur. Verum comprehensos esse ullos ex iis, aut justa vestra hac in parte quicquam effecisse nondum accepimus. Quapropter nostrum esse duximus palam significare, tentatum illud facinus barbarum, & partim commissum quam indigne feramus: atque adeo à Majestate Vestra postulamus, ut ab illius facinoris authoribus, sociis, administris supplicium debitum repetatur: Et quo hoc maturius fiat, ut honestissimi integerimque viri, qui que genti orriusque paci quam maxime student, huic quæstioni præficiantur, quo res penitus investigari, tamque in authores sceleris quam in ministros severius animadverti possit. Id nisi fiat, neque Majestatis Vestrae justitia, neque nostra hujusque Reipub. existimatio vindicari, neque conservanda inter utramque gentem amicitiae ulla ratio firma esse poterit. Majestati Vestrae fœlia faustaque omnia precamur.

Ex Palacio nostro Westmonasterii  
Aug. die 1656.

Majestatis Vestrae Studioſissimus  
Oliverius Protector Reipub. Angliæ, &c.

Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c. Illusterrimo Domino Comiti  
Mirano, S. D.

Illusterrime Domine ;

**S**INGULARE tuum erga me atque hanc Rempub. studium haud mediocriter nos demeruit, tibique devinxit: id vestris ex literis 25 Junii proximi ad me scriptis facile perspexi, tum etiam ex iis quas ab Internuntio nostro *Philippo Meadow* conficiendæ pacis causâ ad *Lusitanie* Regem à nobis misso, accepi: quibus is de eximio vestro studio atque opera in hac pace transigenda abundè nos docuit: hujus novissimam sanctionem & accepi libentissime, mihique persuadeo fore, ut neque collatae in hanc pacem operæ tuæ, neque in *Anglos* benevolentia, neque fidei erga Regem hac in re spectatae unquam te pœnitentia: quandoquidem, annuente Deo, sperandum est, hanc pacem & utriusque genti permagna emolumenta, & hostibus incommoda haud exigua esse allaturam. Quod solum in hoc negotio triste atque infustum accidit, sicut illud facinus in Internuntium nostrum *Philippum Meadowes* nefariè suscepimus atque tentatum: Cujus in occulitos autores haud segnus inquiri oportuit quam in manifestos sceleris ministros: neque de Regis vestri justitia ac severitate in tanto scelere puniendo neque de tuâ cum primis ad eam rem operâ, ut qui fas pliumque colas, & pacis inter utramque nationem studiosus fueris dubitare possum: quæ quidem stare nullo modo potest, si facta hujusmodi nefaria impunita atque inulta ibunt. Verum tua facinoris illius nota detestatio facit ut necesse mihi non sit plura de hac re in præsentia dicere. Cum itaque de mea erga te benevolentia quam & rebus omnibus demonstrare paratissimus ero, certiore te fecerim, extremum illud est, ut te tuaque omnia Divinae benignitati ac tutelæ à me scias esse commendatissima.

Ex Palacio nostro Westmonasterii.  
Aug. die 1656.

Amplitudinis Vestrae Studioſissimus  
Oliverius Prot. Reip. Angliæ, &c.

Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo Principi Carolo Gustavo Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi, &c.

Serenissime Rex, amice ac Fœderate charissime;

**C**um eundem nobiscum animum, idem consilium in Majestate Vestrâ inesse animadvertis, Protestantum fidei defendendæ contra hostes ejus, hoc tempore, si unquam alias, infestissimos, unde est quod tam prosperis successibus vestris victoriarumque nuntiis penè quotidie lætemur, tum illud sanè vehementer doleo, quod unum lætitiam hanc nostram turbat atque corruptit, perferri ad nos, inter læta cætera, vestram cum Fœderatis Belgii Provinciis amicitiam pristinam non satis constare; remque eo deductam inter vos, in mari præsertim Baltic, ut ad discordiam spectare videatur. Cujus causas quidem ignorare me fateor; eventum certe (nisi Deus avertat) Protestantum summæ rei periculofissimum fore facile perspicio. Quapropter pro illâ arctissimâ necessitudine quæ cum utrisque vestrum nobis intercedit, proque eo, quo duci omnes impiūmis debemus, Religionis Reformatæ studio atque amore, nostrum esse censuimus, quemadmodum Fœderatos Belgii Ordines ad pacem & æquanimitatem magnopere hortati sumus, ita nunc Majestatem vestram hortari. Satis superque hostium Protestantibus ubique est: nunquam acrioribus odiis inflammati consiprassæ in exitium nostrum undique videntur. Testes Alpina Valles haud ita pridem miserorum cæde ac sanguine redundantes; testis Austria edictis nuper & proscriptionibus Casariis concussa; testis Helvetia; quid enim attinet pluribus verbis tot calamitatuum recentium memoriam luctumque revocare? Hæc omnia loca quis nescit Hispanorum & Romani Pontificis consilia incendiis, cladibus, vexationibus Orthodoxorum per hoc bienium miscuisse? Si ad hæc tot mala Protestantum Fratrum inter se dissensio accesserit, inter vos præsertim quorum in virtute, opibus, constantia præsidium Ecclesiæ Reformatæ constitutum est maximum, quantum humanae opis est, periclitari Religionem ipsam Reformatam, atque in tummo discrimine versari necesse erit. Quod contra, si universum Protestantum nomen eà qua decet inter se fraternali confessione perpetuam pacem coluerit, nihil omnino erit quod pertimescamus quid hostium vel artes vel vires incommodare nobis possint, quos sola nostra concordia vel propulsabit vel frustrabitur. Quapropter Majestatem vestram majorem in modum oro atque obsecro, ut ad confirmandam cum Fœderatis Provinciis amicitiam pristinam, si qua in parte collapsa est aut imminuta, propensum atque benignum animum afferre velit. Siquid est in qd mea opera, fides, diligentia ad compositionem usui esse possit, eam omnem vobis profiteor atque defero. Deus modò aspiret, faustumque esse jubeat, quod cum summa felicitate cursuque perpetuo rerum prosperarum Majestati vestræ exopto.

Ex Palatio nostro Westmo-  
nasterii, die Aug. 1656.

Majestatis vestrae Studiosissimus,  
Oliverius Protector Reipub. Angliae, &c.

Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Ordinibus Hollandiæ.

Excelsi & Præpotentes Domini, amici charissimi;

**D**emonstratum est nobis à Gulielmo Coopero Pastore Londinensi, civique nostro, Joannem le Maire Amsterodamensem sacerorum suum, ante annos circiter triginta tres rationem quandam excogitasse, qua Reip. veltræ reditus, sine ullo populi onere, multo auctiores fierent; factaque cum Joanne van den Brook societate partiendi inter se præmii quod ex illo invento suo reportassent, id autem erat parvi Sigilli in Provinciis constitutio, ob hoc Celsitudines Vestras Præpotentes supradicto van den Brook ejusque posteris tria millia Geldricorum (quæ trecentas libras valent) in singulos annos pensitanda spospondisse: jam vero, et si inventa illa parvi sigilli ratio facilis admodum & expedita reperta est, magnisque ex eo tempore reditus Celsitudinibus Præpotentibus vestris, nonnullisque vestris Provinciis retulit, tamen ad hodiernam usque diem, quamvis multa sollicitatione peritum, illius pacti præmii nihil adnumeratum esse: unde postquam supra-

supradictis van den Brook & le Maire longarum dilationum pertaxsum est, adiunctionem illam in supradictum *Gulielmum Cooperum* civem nostrum jure esse translatam : qui cum fructum industriae Soceri sui percipere cupiat, ad nos per libellum supplicem se contulit, ut hanc ejus postulationem *Celsitudinibus vestris Prapotentiibus* commendare vellemus ; quod ei non esse denegandum censuimus. Quapropter *Celsitudines Vestras Prapotentes* amicè rogamus, uti petitionem supradicti *Gulielmi Cooperi* ea de re benignè audire velitis, pactumque industriae præmium atque stipendium tam justum, & pro numero tot annorum præteritorum & annua deinceps pensione solvendum curare. Quod cum non citoitemus quin *Celsitudines Vestre Prapotentes* libenter facturæ sint, utpote & justum & munificientia vestra dignum, parati & nos vicissim erimus, vestris quoque populqibus in postulatis suis, quoties nobis edentur, æquè propenso animo favete.

*Vestrarum Celsitudinum Prapotentium Studioſſimus*

*Ex Palatio nostro Westmonasterii,*  
die Septemb. An. 1656.

Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c.

Oliverius Protector Reipub. Angliæ, &c. Serenissimo Principi Ludovico Galliæ Regi.

Serenissime Rex, amice ac Fœderate charissime ;

**I**NVITI facimus ut Majestatem Vestram de suorum injuriis post pacem instauram tam toties interpellemus : verum & vos factas nolle confidimus, & nos nostrorum querimoniis deesse non possumus. Nave in Antoniūm Diepensem ante foedus jure captam, ex Judicium sententia Curiæ nostræ maritimæ præsidentium facile constat. Ejus prædæ partem quatuor millia plus minus coriorum Robertus Brunus Mercator Londinenis ab iis qui auctioni præfuerunt, quod & ipsi testantur, coemit : ex iis circiter ducenta cum Diepam advecta post ratam pacem Coriario cuidam Diepense vendidisset pecuniamque redigisset, eâ pecuniâ in manibus præcursoris sui occupata atque retenta, item sibi impingi, suumque jus illo in foro se obtainere non posse queritur. Quocirca Majestatem Vestram rogandum censuimus, ut ad Consilium suum de re tota referri velit, pecuniamque illam iniquissima lite extricari. Etenim si ante pacem facta & judicata, post pacem rursus in controversiam atque judicium vocabuntur, quis sit fructus fœderum futurus, non videmus. Verum hujusmodi querelarum nullus finis erit, nisi in fœditragos hosce tam frequentes exemplum aliquod severitatis maturè statuatur : id quod Majestati Vestrae quamprimum curæ fore speramus ; Quam Deus interim tutelâ sua sanctissima dignet.

*Ex Palatio nostro Westmonasterii,*  
die Septemb. An. 1656.

*Majestatis Vestrae Studioſſimus*

Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c.

Oliverius Protector Reip. Angliæ, &c. Serenissimo Principi Joanni Lusitanie Regi.

Serenissime Rex ;

**T**RANSACTA jam feliciter inter hanc Rempub. Lusitanie que Regnum pace, nec non ad commercium quod attinet, recte atque ex ordine cautum atque sancitum cum sit, necessarium esse duximus Thomam Maynardum, à quo hæ literæ perferuntur, ad Majestatem Vestram mittere ; qui Consulis munere negotiatorio vestra in ditione, ad mercatorum res rationesque ordinandas fungatur. Cum autem hoc saepius usu venire possit, ut adeundi Majestatem Vestram fieri sibi copiam nonnunquam postulet, tam de commercio quam aliis de rebus quæ nostra hujusque Reip. interesse possint, à Majestate vestra petimus, ut illi, quoties auditio opus sit, bengnum velitis aditum atque aurem præbere ; id ventræ erga nos benevolentia pro argumento singulari atque indicio habebimus : interim Majestati vestrae Deum Opt. Max. fortunare omnia volumus.

*Ex Aula nostra Westmonasterii.*  
die Octob. 1656.

*Majestatis vestrae Studioſſimus*

Oliverius Protector Reipub. Angliæ, &c.

\* E e 2

Suecorum

## Suecorum Regi.

*Serenissime Potentissimeque Rex;*

**T**Ametsi ea est solita Majestatis vestræ & spontanea in viros bene meritos benevolentia, ut omnis eorum commendatio supervacante possit videri, tamen nobilem hunc virum *Gulielmum Vavasorem Equitem auratum*, Majestatis Vestrae sub signis merentem, & ad vos jam proficiscentem inclinamus sine nostris ad Majestatem vestram literis dimittere. Quedo libenter tecimus, postea quam significatum nobis est, jampridem eum, Majestatis Vestrae auspicio secutum, multis in præliis vestra causa suum sanguinem prosudisse: adeo ut *Suecorum Reges proximi ob militarem ejus peritiam, operamque lape in bello strenue navatam, eum agro & annuis pensionibus veluti virtutis præmio remuneraverint.* Neque vero dubitamus quin Majestati vestrae in bodiernis bellis permagno sit usui futurus, cum sit fide ac bellicarum rerum scientia jam diu spectata. Eum itaque Majestati Vestrae, pro eo ac meritus est, commendatum cupimus; simulque rogamus, ut quæ illi præte. ita stipendia processerint, solvantur. Hoc nobis erit gratissimum; nec gratificari vicissim Majestati Vestrae, quoties facultas erit, gravabimur, cui fausta omnia ac prospera exoptamus.

*Ex Palatio nostro Westmonasterii.  
die Octob. An. 1656.*

*Majestatis vestra Studiofissimus  
Oliverius Protector Reip. Angliae, &c.*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo Principi Joanni  
Lusitaniæ Regi. S. D.*

*Serenissime Rex, Amice ac Fæderate Charissime,*

**E**xhibuit nobis libellum supplicem *Thomam Evans Nauclerus*, civis noster, in quo ostendit, se An. 1649. & 1650. cum navi sua, cui nomen *Scipioni*, quadringentarum amphorarum, & cui ipse præfuit, societati *Braziliensi* operam navasse; eam navem cum onere toto & apparatu, Majestatis Vestrae jussu eruptam sibi esse: unde damnum homini factum, præter amissum ex tanta sorte sexennii lucrum, *Commissarii* ex foedere ad decidendas controversias utrinque dati plus septem millibus librarum nostrarum, sive bis totidem *Milreis Lusitanicas* aestimarunt; quemadmodum & ad nos retulerunt. Quod detrimentum tam grave cum supradictum *Thomam* vehementer afflixerit, coactus ad repetendas ex foedere res suas, *Olyssiponem* navigare, petiit suppliciter à nobis, ut literas nostras hac de re ad Majestatem vestram sibi daremus: nos, tametsi in communi causa mercatorum, quibus à Societate *Braziliensi* debebatur, superiore anno scripsimus, tamen ne cui nostram opem poscenti desuisse videamur, Majestatem vestram pro amicitia rogamus, ut hujus nominatim hominis ratio habeatur; utque velit Majestas vestra suis omnibus ita præcipere, ut ne quid obstare possit quo minus is in ea urbe, quod sibi à Societate *Braziliensi* vel aliunde debetur, sine ullo impedimento exigere, & sine morâ possit recuperare. Deus Majestatem vestram perpetua felicitate augeat; nostramque amicitiam faxit quam diuturnam.

*Ex Palatio nostro Westmonasterii.  
die Octob. An. 1656.*

*Majestatis vestra Studiofissimus  
Oliverius Protector Reipub. Angliae, &c.*

Oliverius Protect. Reipub. Angliae, &c. Illustri & Magnifico Civitatis  
Hamburgensis Senatui. S. D.

*Amplissimi, magnifici & spectabiles Viri, Amici charissimi;*

**G**RAVEM detulerunt ad nos querimoniam Jacobus & Patricius Hays cives hujus Reip. se, sui fratri Alexandri, qui intestatus diem obiit, haeredes legitimum cum sint, atque ita ipsius Curiæ vestrae sententiâ ante annos duodecim secundum se latâ contra fratris viduam pronuntiati fuissent, bonaque defuncti fratris cum fructibus exceptâ solum viduae dote, adjudicata sibi ex eo judicio essent, non potuisse tamen haec tenus, neque pro suo jure, neque literis Caroli olim Regis eadem de re scriptis ullum laborum suorum ac sumptuum ex ea sententia fructum consequi: obesse sibi scilicet potentiam atque opes Alberti van Eizen Decurionis apud vos primarii, apud quem bonorum pars maxima deposita est; eum agere omnia, ne ea bona haeredibus restituantur. Elusi, ac dilationibus confecti, suminam denique ad inopiam redacti supplicant nobis ne se negligamus tantis iuriis foederata in civitate oppressos. Quod nos cum officii imprimis nostri intelligamus esse, ut ne quis civis noster præsidium suis rebus, atque susceptum patrocinium in nobis requirat, petimus quod a civitate vestra videamur facile impetrare posse, ut sententiam ipsimet vestram hisce fratribus ratam esse velitis; neque per causam provocationis ad Spirens Cameram, vel primò simulatæ vel nunc irritæ, moram justitiæ fieri diutiùs patiamini. Nam de summa ipsius causæ juris peritorum nostrorum sententias requisivimus; unaque descriptas obsignataisque ad vos misimus. Quod si rogando nihil proficitur, erit necessarium, idque ex consueto jure gentium, quod tamen minimè vellemus, ad reciproca deveniendum: id ne accidat, vos pro vestra prudentia provisuros esse confidimus.

*Amplitudinem vestrarum studiosissimus,*

*Ex Palatio nostro Westmonasterii,  
die Octob. 16. an. 1656.*

Oliverius, Protector Reipub. Angliae, &c.

Oliverius Protector Reipub. Angliae, Serenissimo ac potentissimo Principi  
Ludovico Galliae Regi. S. D.

*Serenissime potentissimeque Rex, Amice ac Foederate charissime;*

**P**ERVENISSE ad Majestatem vestram literas nostras arbitramur, Maii quarto decimo superioris anni datas: in quibus Joannem Detlicum, eodem anno Londini urbis præfectum, & Cneliolum Walkfeld mercatorem, per libellum supplicem nobis ostendisse scriplimus, navem Jonam suis mercibus onustam, quæ Ostendam veherentur, Dunkirkam, quæ tum temporis in Gallica ditione erat, à prædone quodam Caroli Stuarti filii auspiciis piraticam faciente ex ipso Thamessis ostio suis abreptam: se, cum ex edictis vestris vestrique consilii decretis, quibus erat cautum, nequa navis Anglorum ab hostibus Parlamenti capta vestris portibus recipetur, venalisve esset, à Domino Lestrado illius oppidi præfecto postularent ut reddi sibi navem suam atque bona juberet, responsum ab eo tulisse, sanè neque viro primario dignum, neque eo qui Regi suo satis dicto audiens videtur, se scilicet ab Rege Galliae ob navatam in bello operam hanc præfecturam præmio accepisse; curaturum proinde ut ea quam maximè quæstui sibi sit: per fas videlicet ac nefas; id enim minime laborare videbatur. Quasi verò hanc præfecturam atque Provinciam Majestatis vestrae dono accepisset, ut socios juxta spoliaret, vestraque edita in eorum gratiam promulgata pro nihilo haberet. Quod enim Rex Galliae, si maximè ab hostibus factum contra nos voluisset, facti tamen participes suos esse vetuit, id regius præfetus contra regium interdictum non modo fieri est passus, ut nos vestris in portibus diriperemur, prædæque essemus, verum etiam ipse diripuit, ipse prædæ habuit, seque facti authorem palam professus est. Hoc itaque responso mercatores infecto negotio irriti atque elusi discesserent: nosque hæc itidem superiore anno Majestati vestrae per literas significavimus successu licet haud multo meliore; nihilquid enim responsi id eas literas habuimus. Quod non habuerimus accidisse id credimus, propte-

rea quod eo tempore Praefectus ille apud exercitum in *Flandria* fuit; nunc in urbe ipsa *Parisorum* dedit, vel potius per urbem perque aulam nostrorum spoliis locupletatus impunè volitat. A Majestate igitur vestra nunc cenuò id petimus quod ipsius Majestatis vestrae interest in primis prouidere, ne quis ad sociorum injurias edictorum regiorum contemptionem audeat adjungere: sed neque ad Legates sive Commisarios de controversiis communibus utrinque dandos rejici propriè hæc causa poterit; quandoquidem hic non sociorum jus duntaxat, sed auctoritas ipsa vestra Regiique nominis reverentia agitur. Illud enim mirum sit, si mercatores damna sua molestius quam Majestas vestra sui ferat imminutio nem. Eam si non ferat, eadem operâ simul perficiet, ut neque amicissimorum de Repub. nostra edictorum pœnituisse, neque in suorum injuriis connivisse, neque nostræ postulationi non tribuisse quod par sit videatur.

*Ex Aula nostra Westmonasterio,*      *Majestati vestrae voluntate, amicitia, fædere devinctissimus,*  
die Novemb. an. 1656.

Oliverius Protector Reipub. Angliae, &c.

Oliverius Protect. Reipub. Angliae, &c. Serenissimo potentissimoque Princi pi Frederico III. Danie, Norvegia, Vandalorum, Gothorumque Regi; Duci Slevici, Holstiae, Stormarie, & Dithmarie; Comiti in Oldenburg & Delmenhorst, &c. S. D.

*Serenissime potentissimeque Rex, Amice ac Fæderate charissime;*

**L**iteras Majestatis vestrae sexto decimo Februarii Hafniâ datas ab ornatissimo viro *Simone de Petkum*, Oratore apud nos vestro, accepimus. Iis perfectis, & voluntatis erga nos vestrae præclara significatio, & ipsius rei, de qua scriptum erat, pondus usque eò nos permovit, ut statim ad Majestatem vestram mittere qui mandatis nostris instructus, nostra consilia vobis hac de re plenissime expone ret, in animo habéremus. Et quanquam idem nobis etiamnum animus manet, hactenus tamen idoneum aliquem cum iis mandatis dimittere, quæ gravissimum hujusmodi negotium postularet, non potuimus; quemadmodum jam brevi facturos non esse speramus. Interea non emittendum diutiùs existimavimus Majestatem vestram certiore facere, præsentem rerum in Europa statum haud mediocri nos curâ ac cogitatione sollicitos tenuisse: cum ab aliquot jam annis summo cum dolore videamus *Protestantium* Principes ac civitatum Primores (quos ex communi Religionis atque salutis vinculo omnem sese mutuo confirmandi ac defendendi inire rationem oporteret) inter se indies magis magisque infirmè animatos, quid quisque molitur, quidve struat, suspectum habere; metum amicis, spem hostibus præbentes, inimicitias atque dissidia potius hac rerum inclinatione portendi, quam firmum invicem animorum consensum, ad præsidium mutuum ac defensionem. Atque hæc quidem sollicitudo eo altius animo nostro infedit, quo magis in Majestate vestra, Regeque *Sueciae* adhuc aliquid residere mutuæ suis unctionis videtur; vel saltem non eam existere voluntatum conjunctionem quam communis nostrum omnium in *Orthodoxam* religionem amor ac studium flagitaret; dum Majestati vestrae injecta forte aliqua suspicio est, fore ut ab *Rege Sueciae* detrimentum aliquod ditionis vestrae commerciis afferatur; suspicante vicissim *Suecorum* Rege, ne per vos & bellum, quod nunc gerit, difficilius, & contrahendarum societatum ratio impeditior sibi reddatur. Non præterit Majestatem vestram, pro ea summa prudentia quam adhibere suis omnibus in rebus solet, quantum discimini *Protestantium* summæ rei impendat, si istiusmodi suspicione inter vos diu versentur; quanto magis, quod Deus avertat, si quod hostilitatis indicium erumperet. Utinque hæc se habeant, nos, quemadmodum & *Suecorum* Regem, & *Federati Belgii Ordines* ad pacem & moderata cōsilia magnopere hortati sumus (adeoque redintegrari inter eos pacem atque concordiam vehementer gaudemus, nam & capita quoque illius foederis à *Dominis Ordinibus* transmisla ad nos sunt) ita nostras esse partes duximus, nostræque amicitiae quam maxime convenire, ut qui sensus noster his de rebus sit, Majestatem vestram ne celaremus (præsertim cum ut ita faciamus, Majestatis vestrae literis amicissimis tam studiose invitemur; id quod etiam benevolentiae erga nos vestrae pro argu-

argumento singulari sancè habemus atque amplectimur) vestræque Majestati ante oculos poneremus, quantam nobis necessitatem, qui *Protestantium Religionem* sequimur, divina providentia imposuerit colendi inter nos pacem, idque nunc maximè, cum hostes nostri acerrimè, si unquam alias, rem gerere, & conjurasè undique in perniciem nostram videntur. *Valles Alpinas* miserorum nuper incolarum cæde ac sanguine madentes commemorare nihil attinet; nec conquassatam per eosdem dies *Cæsareis* proscriptionibus atque edictis *Austriam*; nec denique contra *Helvetios Protestantes Helvetiorum Papistrum* infestos impetus. Quis nescit *Hispanorum* dolos ac machinationes per hosce aliquot annos hæc loca omnia incendiis, ruinis, cladibus *Protestantium* permiscuisse? Si ad hæc mala *Reformatorum Fratrum* inter se dissensio velut cumulus accedit, inter vos præsertim qui nostrorum virium tanta pars estis, & in quibus tantum præsidii ac roboris *Protestantium* dubiis temporibus comparatum atque repositum est; quod ad opem humanam attinet, pessum ire *Protestantium* res, & in extremo discrimine atque occasu versari necesse erit. Quod contra, si pax constet inter vos vicinos, cæterolque *Orthodoxos* Principes, si concordiae fraternæ omni ex parte studeatur, non erit cur, Deo bene juvante, vel vim vel versutiam nostrorum hostium pertimescamus; quorum conatus nostra sola consentio vel dissipabit vel frustrabitur. Neque vero dubitamus quin Majestas vestra ad hanc pacem beatam impertiri suam operam, quam potest maximam, & libens velit & velle desitura non sit. Quia in re ipse etiam communicare consilia cum Majestate vestra atque conjungere paratissimus ero; utpote & veram amicitiam profeßus, & cui non solum pactam inter nos tam auspicato servare pacem deliberatum omnino sit, verum etiam necessitudinem hanc, quæ nunc intercedit, prout Deus facultatem dabit, arctiori vinculo constringere. Idem Deus interim Majestati vestræ secunda ac prospera omnia concedat.

*Majestati vestræ amicitiâ, fædere ac voluntate conjunctissimus,*

*Dabantur ex Aula nostra Westmo-*  
*nasterii. Decemb. an. 1656.*

*Oliverius Protect. Reipub. Angliæ, &c.*

---

*Oliverius Protect. Reipub. Angliæ, &c. Serenissimo Illustrissimoque Princi-  
pi ac Domino, Domino Gulielmo Hassie Langravio, Principi Herefel-  
die, Comiti in Cattimeliboco, Decia Ligenhain, Nidda & Schaum-  
burgo, &c.*

*Serenissime Princeps;*

**A**D literas Celsitudinis vestræ non sic altero post anno, quod prope jam pu-  
det, rescripssemus nisi nos admodum invitox permulta sancè, eaque gra-  
vissima, quorum curam, pro nostro in Repub. munere, differre non potuimus,  
interpellassent. Quæ enim literæ debebant esse nobis gratiore, quām quæ à  
Principe religiosissimo, majoribus quoque religiosissimis orto de pace Religio-  
nis, deque concordia Ecclesiarum concilianda sunt scriptæ; quæ etiam literæ eun-  
dem planè animum, idem pacis Christianæ promovendæ studium non solum  
suo, verum etiam universi ferè orbis Christiani opinione ac judicio, & ipsæ no-  
bis tribuunt, & universim attributum esse gratulantur? Et nos quidem per tria  
hæc olim regna quid hac in parte simus conati, quidque hortando, ferendo, præ-  
eundo, divino maximè auxilio, effecerimus, & norunt nostri plerique, & in  
summa conscientiæ tranquillitate sentiunt. Eandem præsertim *Germanicæ* totius  
*Ecclesiæ*, ubi actiùs ferè, jamque diu nimis dissidetur, pacem optavimus; per-  
que nostrum *Duraum* hoc idem multos jam annos frustra molientem siquid eam  
in rem nostrâ operâ conferre posset ex animo detulimus. In eadem nos etiam-  
num sententia permanemus; eandem illis Ecclesiæ frateriam inter se charitatem  
optamus: sed quam sit hoc arduum conciliandæ pacis negotium inter ipsos pacis,  
ut præ se ferunt, filios, summo cum dolore satis superque intelligimus. Nam  
ut utrique *Reformati* nempe & *Augustani*, in unius Ecclesiae communionem ali-  
quando coalescant, sperandum vix est; suam utriusque sententiam ne possit vel vo-  
ce vel scriptis defendere, prohiberi sine vi non poterunt; vis autem cum pace  
Ecclesiasticâ consistere non potest: hoc tantum se finant exorari qui dissentiant,  
ut humanius saltem & moderatius velint dissentire, nibilque minus inter se dili-  
gere; utpote non hostes sed fratres in levioribus licet dissentientes, in summa ta-

men fidei conjunctissimos. Hæc nos inculcando, hæc suadendo nunquam defatigabimur; quod ultrà est, humanis neque viribus neque consiliis datur: Deus quod suum solius est suo tempore perficiet. Tu interim, Serenissime Princeps, præclaram in Ecclesiæ declarationem animi tui, sempiternum sanè monumenum & majoribus tuis dignum & omnibus posthac principibus imitandum reliquisti. Nos Celsitudini vestræ, pro eo ac merita est, felicitatem cæteris in rebus quantum ipsa cupit, mentem, ea quam nunc habes, haud meliorem (quid enim potest esse melius?) à Deo Optimo Maximo precamur.

*Westmonasterio, die Martii, an. 1656.*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo Printipi Duci Curlandiaæ.*

*Serenissime Princeps;*

**D**e benevolentia Celsitudinis erga nos vestræ & aliâs, & tum quidem abundantie nobis constitutî cùm Oratorem nostrum ad *Moscoviam Ducem* iter facientem, & in ditione vestra per aliquot dies commorantem hospitio benignè acceptisti: nunc justitiae & æquitatis suæ haud leviora indicia daturam esse Celsitudinem vestram & suopte ingenio & nostro rogatu confidimus. Cum enim *Ioannes Jamesonius Scotus*, navis cuiusdam vestræ Magister, fidelem naucleri operam septennioque cognitam vobis navaverit, seque illam navem *Balenam* sibi commissam, in ostio fluminis, ut mos est, Gubernatori vestro appellendam in portum tradidisset, eumque imperitè suo munere fungentem quod solum potuit saepius monuisse multis testibus probaverit, non ejus profecto culpâ, sed Gubernatoris vel imperitia vel pervicacia fractam esse navem nemini non liquet. Quod cum ita sit, à Celsitudine vestra majorem in modum petimus, ut supradicto *Ioanni* Magistro neque illud naufragium imputare, neque eum idcirco stipendio debito velit privare; cujus spe solâ, jam altero naufragio bonis omnibus amissis, se utcunque in extrema inopia sustinet & solatur.

*Ex Aula nostra Westmonasterio,  
die Martii an. 1657.*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Amplissimis Consulibus ac Senatoribus Reip. Gedanensis, S. P. D.*

*Amplissimi, magnifici viri, amici charissimi;*

**U**Rbem vestram industriâ, opibus & optimarum artium studiis florentem cum nobilissimis quiðusque urbibus semper esse duximus conferendam: nunc posteaquam in hoc bello, quod vestris jamdiu in finibus geritur, *Polonorum* se qui partes quâm *Suecorum* maluistis, sanè & Religionis causâ quam colitis & commercii, quod cum *Anglis* vetustum jam habetis, optavimus ut ea vobis maxime consilia placerent, quæ cum Dei gloria urbisque vestræ dignitate ac splendore viderentur esse conjunctissima. Quocirca petimus pro amicitia quæ vobis cum *Anglorum* Gente multo ulu firmata jamdiu constat, & siqua in gratia apud vos nostrum quoque nomen est, ut insignem inter primos *Suecorum Duces Conismarum*, egregium præteritum bello virum, casu & suorum proditione mari interceptum bellum legem, non acerbissimè adhuc gesti, dimittere velitis, si id minus vestris rationibus convenire arbitramini, ut leniore saltem ac liberiore custodia habendum censeatis. Utrum horum vobis faciendum decreveritis, id profecto imprimis quod existimatione urbis vestræ dignum est decernetis; deinde ab omnibus præclaris belli ducibus magnam gratiam inibitis; nos denique, quicquid id vestra interesse puratis, haud mediocri sanè beneficio devincietis.

*Ex Aula nostra Westmonasterio,  
Aprilis an. 1657.*

*Vestrarum amplitudinum Studiosissimus,  
Oliverius Protector Reipub. Angliae, &c.*

Olive-

*Oliverius Protector Reip. Angliae, Scotie, Hiberniae, &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi ac Domino Imperatori Ducique magno universae Russiae, Soli Domino Voladomæri, Moschoe, Novogrodi, Regi Cazanii, & Astracani, Syberiae, Domino Vobsoe, Magno Duci Smolenchi, Tueriscoe, & aliarum, Domino ac Magno Duci Novogrode, Inferioriunque Regionum Chernigoi, Rezanscoe & aliarum, Domino omnis Plagæ Septentrionalis, item Domino Everscoe, Cartalinscoe, aliarumque per multarum. S. P. D.*

*A*nglorum Genti cum imperii vestri populis, vetus amicitia, magnusque usus, id quod nemo nescit, amplissimumque commercium jamdiu fuit; illa vero virtus singularis, Imperator Augustissime, qua majoribus suis Majestas vestra longè prælucet, & quæ de ea est vicinorum omnium Principum opinio, potissimum nos movet, ut Majestatem vestram & eximio studio colamus, eique communicata cupiamus, quæ & rei Christianæ & rationibus vestris haud parum conducere, nec minus nominis vestri gloriæ service rotule existimemus. Quapropter ornatissimum virum Dominum Richardum Bradshaw, summa fide, integritate, prudentia, usque rerum, ex aliis etiam Legationibus, nobis cognitum, ad Majestatem Vestram misimus Oratorem; qui & singulare erga vos nostrum studium, summamque observantiam vobis exponat, & supradictis de rebus agere cum Majestate Vestra possit. Eum itaque ut benignè nostro nomine accipiatis, eique ut, quoties commodum erit, liberum aditum, aureisque benignas, fidem deniq; in iis omnibus quæ proposuerit aut transfegerit, eadem atq; nobilitatis, si coram adsuissimus, præbere velitis rogamus; adeoque Majestati vestrae atque Imperio Russo fausta omnia à Deo Opt. Max. precamur.

*Ex Aula nostra Westmonasterii.  
die April. An. Dom. 1657.*

*Majestatis Vestra Studioſſimus  
Oliverius Protector Reip. Angl. &c.*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi Carolo Gustavo Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi, Magno Principi Finlandiae, Duci Esthonie, Carelia, Bremie, Verde, Stetini, Pomerania, Cassubie & Vandale, &c.*

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate charissime,*

*V*I R nobilissimus Gulielmus Epsonus, Militum Tribanus, & Parlamenti nostri Senator, cui hoc munus honori erit, quod Majestati Vestrae hasce literas dabit, certioream eam faciet quanta cum perturbatione ac dolore nuntium acceptimus bellum illius funesti inter Majestatem vestram Danieque Regem coorti; quamque nobis cordi ac studio sit, nullam nostram operam aut officium prætermittere, quoad Deus facultatem dederit; ut huic ingruenti malo remedium aliquod maturè afferatur, eaque simul calamitates avertantur, quas inferri ex hoc bello religionis causæ communī necesse erit; hoc præsertim tempore, quo adversarii nostri contra Orthodoxæ fidei professionem & professores cum consilia perniciössima tum vires arctissimè conjungunt. Haec atque alia nonnulla permagni ad utriusque gentis cominoda rationesque publicas momenti adduxere nos, ut hunc virum ornatissimum Internuntii extraordinarii prædictum munere ad Majestatem vestram mitteremus: Quem uti amicè recipiatis, eique, iis in rebus quas cum Majestate vestra nostro nomine communicaverit, summam fidem adhibeatis rogamus; cum is sit cuius fidei atque prudentiae nos quoque plurimum tribuamus. Simul & illud petimus, ut Majestas vestra nostram erga te resque suas benevolentiam singularē, atque studium persuasissimum sibi habeat; cuius nos argumenta certissima per omnem occasionem & propenso animo & officiis paratiſſimis præbebimus.

*Ex Aula nostra Westmonast.  
Ang. An. Dom. 1657.*

*Majestatis vestra amicus & Fœderatus conjunctissimus  
Oliverius Protector Reipub. Angl. &c.*

*Excellentissimo Domino Domino de Bourdeaux, Serenissimi Regis  
Galliarum Legato extraordinario.*

*Excellentissime Domine,*

**M**ercatores quidam *Londino-derrienses* *Samuel Dansonus*, *Ioannes Campsejus*, & *Joannes Nevins*, per libellum supplicem Serenissimo Domino Protectori ediderunt, se, posteaquam foedus inter hanc *Rempub. Regnumque Gallia* redintegratum intellexerant, An. Dom. 1655. navem quandam cui nomen *Anglicè The Speedwell*, melioris ominis causâ, quam eventus ferebat, impositum, *Ioannes Ker Magister* erat, mercibus quibusdam ex portu *Derriensi Burdegalam* convehendis onerasse; eam navem illic onere exposito, vinoque aliisque mercibus inde impositis, captam in redditu die 24 Novembris anni supradicti à duabus *Brestensem* Navibus armatis, quarum alteri *Adrianus Vindmian Swart*, alteri *Jacobus Jorsonus* præfuit, ab iisdem etiam in portum *Brivatem*, vulgo *Brestensem*, suis abductam; ibique & jure captam judicatam esse, & auctione venditam, cum mille centumque libras nostras aestimatione justâ valuerit, extra damnum mille librarum præterea datum: de quibus recuperandis omni se honesta ratione cum illius loci præfectis egisse; id sibi haec tenus si ustra suis: se etiam moribus edictum curiae maritimæ consecutos esse, quo citarentur in judicium qui navem illam ceperissent, autem jure esse captam defendere statuissent. Edictum hoc & recte atque ordine promulgatum & redditum: idque ab ejusdem curiae ministris publicis mature *Domino Leg uo Gallie* significatum esse: cum nemo contra comparuisse, testes aliquot juratos de re judicanda interrogatos esse. Quæ res cum à Petitoribus ad Celsitudinem Domini *Protectoris* delata sit, ab eoque cognitioni atque sententia Concilii mandata, cumque de facto ex testimoniosis juratis libello supplici adjunctis abunde constet, Petitoribusque liberum commercium *Burdegalæ* sit datum, mercesque illic emptæ atque impositæ vi sint in redditu ereptæ & occupatae contra foederis fidem, ut supra demonstratum est, quis non videt hoc esse æquissimum, aut navem cum onere Petitoribus restitui, aut de damno cum captaræ navis tum juris persequendi plene satisfieri? Peto igitur ab *Excellentia vestra* atque etiam Serenissimi Domini *Protectoris* nomine peto omnem velit operam dare, omnique operaæ autoritatem etiam sui muneris adjungere ut primo quoque tempore horum alterutrum fiat. Cum neque in causa æquiore laborare possit, neque mihi gratiore; qui eo diligentius curasse quod mandatum mihi est videbor, quo *Excellentia vestra* maturius quod suum est præstiterit.

*Ex Alba Aula Augusti An. Dom. 1657.*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo Principi D. Frederico Wilhelmo Marchioni Brandenburgensi, Sacri Romanii Imperii Archicamerario, ac Principi Electori Magdeburgi, Prussiae, Iulie, Clivie, Montium, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum Vandolorumque, nec non in Silesia Crostæ & Carnovæ Duci, Burggravio Norinbergensi, Principi Halberstadii & Mindæ, Comiti Marœ & Ravensbergi, Domino in Ravenstein. S. P. D.*

*Serenissime Princeps, Amice ac Federate Charissime,*

**C**um ea sit Celsitudinis vestræ singularis virtus & pace & bello terrarum orbe toto jam clara, ea magnitudo animi atque constantia, ut amicitiam vestram omnes sere Principes vicini ambiant, amicum & socium nemo fideliorum sibi aut constantiorem cupiat, ut nos quoque in eorum numero esse intelligatis qui de vobis vestrisque egregijs de Rep. Christiana meritis quam optimè quamque præclarè sentiunt, nobilissimum virum *Gulielmum Jeppsonum*, *Tribunum Militum*, & *Parlamenti nostri Senatorem*, ad vos misimus, qui vobis nostro nomine & plurimam salutem dicat, & rebus vestris felicitatem omnem ominetur atque exoptet; nostram denique benevolentiam summumque studium erga vestram Serenitatem verbis amplissimis exponat: eique proinde fidem, iis in rebus de quibus

quibus vobiscum egerit, eandem habeatis rogamus, ac si à nobis metipsis testata omnia atque confirmata coram essent.

*Ex Aula nostra Westmonasterio. Augusti An. Dom. 1657.*

---

Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Amplissimis Civitatis Hamburgen-sis Consulibus ac Senatoribus, S. P. D.

*Amplissimi, magnifici & spectabiles viri, amici charissimi,*

**C**UM Vir ornatissimus *Gulielmus Jepsonus*, *Tribunus Militum, & Parlamenti nostri Senator*, ad *Suecorum Regem Serenissimum* à nobis missus vestram per urbem iter faciat, in mandatis dedimus, uti vos quoque ne præteriret nostro nomine insalutatos; neque non rogatos, ut si qua in re vestra authoritate, consilio aut præsidio opus sibi esse judicaverit, ei quibus rebus potestis præstò esse velitis. Id quo libentius feceritis, eo majorem à nobis iniuste vos gratiam intelligetis.

*Ex Aula nostra Westmonasterio. die Augusti An. Dom. 1657.*

---

Amplissimis Civitatis Bremensis Consulibus ac Senatoribus S. P. D.

*Amplissimi, magnifici & spectabiles viri, amici charissimi,*

**Q**UI noster animus erga vestram civitatem, quæque benevolentia cum propter puriorem apud vos Religionis cultum etiam propter urbis celebritatem sit, & sensistis alias, & quoties facultas dabitur sentietis. Nunc, cum ornatissimus vir *Gulielmus Jepsonus*, *Tribunus Militum, & Parlamenti nostri Senator*, ad *Serenissimum Regem Sueciae* per urbem vestram Oratoris munere instructus iter faciat, hoc tantum in præsentia voluimus, ut & vos ille peramanter perque amice nostro nomine salutet, & siquid acciderit in quo vestra ope atque amicitia usus sibi esse possit, id uti à vobis pro nostra necessitudine peteret. Qua in re non magis defuturos vos esse censido quam de nostro erga vos amore singulari ac studio dubitare debetis.

*Westmonasterio ex Aula nostra. die Aug. An. Dom. 1657.*

---

Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Amplissimis Civitatis Lubecensis Consulibus ac Senatoribus, S. P. D.

*Amplissimi, magnifici & spectabiles viri, amici charissimi,*

**G**ulielmus Jepsonus vir nobilissimus, *Militum Tribunus, & Parlamenti nostri Se-nator*, ad *Serenissimum Suecorum Regem* ab urbe vestra haud longe castra habentem publico munere ornatus proficiscitur. Quapropter ei per urbem vestram aut ditionem iter facienti ut omni adjumento, si opus erit, atque præsidio, pro nostra amicitia commercio, adesse velitis rogamus. De cætero & salutatos vos esse nostro nomine peramice volumus, deque nostro erga vos propenso animo ac voluntate esse persuasissimos.

*Westmonasterio ex Aula nostra. die Aug. An. Dom. 1657.*

---

Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Amplissimis Civitatis Hamburgen-sis Consulibus ac Senatoribus, S. P. D.

*Amplissimi, magnifici & spectabiles viri, amici charissimi,*

**Q**UI hasce ad vos literas perfert *Philippus Meadowes* Oratoris munere à nobis instructus ad *Serenissimum Daniae Regem* per Urbem vestram proficiscitur. Eum, siquid erit, in quo vestram authoritatem adjumento sibi fore aut præsidio existi-

existimaverit, commendatum vobis magnopere volumus. Nostraque commendatio quo solet esse apud vos pondere, eodem uti nunc sit rogamus: vobis vicissim, siquid ejusmodi occurrit non defuturi.

*Ex Aula nostra Westmonasterio. die Aug. An. 1657.*

---

Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo Principi Frederico Heredi Norvegiae, Duci Sleſvici, Holſatiae, Stormarie, Ditmarie, Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt.

*Serenissime Princeps, amice Charissime,*

**M** Iſus à nobis Vir domi nobilis *Gulielmus Jepſonus, Militum Tribunus, & Parlamenti nostri Senator*, ad Serenissimum Suecorum Regem, quod paci communi, Reique Christiane felix faustumque fit, Legationem obit. Ei inter alia negotium deditus, ut cum in itinere salutem plurimam Serenitati Vestræ nostro nomine dixisset, pristinamque nostram benevolentiam & constantissima studia significaret, ab ea quoque peteret, ut authoritate vestrâ munitus iter tutum atque commodum habere per vestrā ditionem possit. Quo beneficio Celsitudo vestrā nos noſtraque vicissim officia majorem in modum demerebitur.

*Westmonasterio ex Aula nostra. die Aug. An. 1657.*

---

Oliverius Protector Reip. Anglie Serenissimo Principi Ferdinando Magno Duci Hetrurie.

*Serenissime Dux magne, amice charissime,*

**O** Stendit nobis per libellum supplicem Societas Mercatorum nostrorum qui ad oras Mediterranei Maris Orientales negotiantur, Praefectum quendam navis Lodoviculi, sive Anglice *The Little Lewis*, nomine *Gulielmum Ellum*, cum Alexandria in Egypto effet, conductum à Satrapa *Atēphitico* ut Oryzam, Saccharum & Caphiam, ipsius Turcarum Principis in usum Constantinopolim aut Smynam comportaret, classi ſe *Ottomanica* in itinere subduxiffe, &, contra datam fidem, navis totum onus *Liburnum* avertifle: ibi praedā potitum nunc agere. Quod facinus, pessimi ſanè exempli, cum *christianum* nomen probro, Mercatorum fortunas degentium sub Turca direptiōnis periculo obiiciat, petimus à Celsitudine Vestrā, ut illum hominem comprehendī, & in custodiā tradi, navemque & bona retineri jubeat, quoad significatum à nobis erit curasse nos res illas *Turcarum* principi reddendas. Vestrā Celsitudini ſicubi nostris officiis uſus viſiſum erit, paratiſſima omnia tempore fore profitemur.

*Westmonasterio ex Aula nostra  
die Sept. An. 1657.*

*Celsitudinis vestrā studioſiſſimus,  
Oliverius Prot. Reip. Angliae, &c.*

---

Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo Principi ac Domino D. Frederico Wilhelmo Marchioni Brandenburgensi, Sacri Romani Imperii Archi-Camerario, ac Principi Electori Magdeburgi, Pruffie, Julie, Clivie, Montium, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum, Vandolorumque, nec non in Silesia, Croſnae & Carnoviae Duci, Burggraviio Norinbergensi, Principi Halberstadii & Mindae, Comiti Marcae & Ravensbergi, Domino in Ravenſtein.

*Serenissime Princeps, amice ac Fæderate charissime,*

**A** Lteris ad Celsitudinem vestrā literis per Oratorem nostrum *Gulielmum Jepſonus* aut redditis aut brevi reddendis Legationis ipſi à uobis mandatae fidem fecimus; idque ſine vestrā virtutum aliqua mentione noſtraque erga

erga vos benevolentiae, significatione facere non potuimus. Verum ne quis vestra de rebus Protestantium egregie merita, quae summa omnium prædicatiōne celebrantur, nos obiter tetigisse tantum videamus, resumendum nobis nunc idem argumentum, nostraque officia non libentiū quidem aut animo propensiore, aliquanto tamen prolixius deferenda Serenitati vestræ censuimus. Et meritò sanè, cum ad aures nostras quotidie perferatur, fidem vestram atque constantiam omnibus tentatam machinis, sollicitatam technis, labefactari tamen, & ab amicitia fortissimi Regis ac socii, nullo modo posse dimoveri: idque cum eo loco Suecorum res nunc sint, ut in retinenda eorum societate Celsitudinem vestram Reformatæ potius Religionis causa communī, quām suis comodis duci manifestum sit: cumque hostibus vel occultis vel jam prope imminentibus cincta undique & penè obsesta sit, copiæ ut sint validæ non tamen sint maximæ, eā tamen firmitate animi ac robore esse, eo consilio ac virtute imperatoria, ut unā vestrā voluntate niti totius rei summa ac moles, bellique hujus maximi exitus pendere videatur. Quapropter nihil est quod dubitet Celsitudo vestra quin de amicitiā nostra summoque studio polliceri omnia sibi possit; qui vel ipsi ab omni laude derelicti nobis videremur, si præclarā istā fide atque constantiā, cæterisque vestris laudibus minùs delectaremur, aut vobis ipfis communi Religionis nomine minus deberemus. Quòd si rebus ab ornatisissimo Viro Joanne Friderico Schlezer Consiliario & Oratore apud nos vestro propositis respondere, pro eo ac studemus, hactenus non potuimus ( quanquam is omni assiduitate ac diligentia id agit atque contendit ) conditioni rerum nostrarum hoc velit imputare Celsitudo vestra rogamus; sibique imprimis persuadere nihil nobis esse antiquius aut optatius, quam ut vestris rationibus cum Religionis causa tam conjunctis usui quam plurimum atque subsidio esse possimus. Interim tam clara virtus ac fortitudo ne ullo tempore deficiat aut opprimatur, digna laude aut fructu careat Deum Opt. Max. precamur.

*Ex Aula Nostra Westmonasterio.  
die Sept. An. 1657.*

*Celsitudinis Vestra Studiofissimus  
Oliverius Protector Reip. Anglia, &c.*

*Excellentissimo Domino, Domino de Bourdeaux, Serenissimi Galliarum  
Regis Legato extraordinario.*

*Excellentissime Domine,*

**P**ostulavit à Serenissimo Domino Protectore, Lucas Lucius Mercator Londinenis de sua quadam navi, cui nomen *Maria*, quæ cum ab *Hibernia Bajonam* petret, vi tempestatis ad *sanum divi Joannis de Lazon*, appulsa, ibi retenta & occupata est actione *Martini* cuiusdam *De Lazon*; nec restituta donec à procuratoribus Mercatoribus illius satisfaretur, se de illa navi atque onere cum *Martino* lege experturos. Tulit enim præ se *Martinus* deberi sibi grandem à Parlamento Anglia pecuniam, mercium quarundam suarum nomine quæ in navi quadam *Sanctæ Clara* anno 1642. Parlamenti Auctoritate sunt retentæ. Verum cum satis constaret, *Martinum* illum earum mercium verum dominum non esse, sc̄c cum *Antonio* quodam *Fernandez* verorum dominorum *Richaldi* & *Iriai* jus persequi, disfidentibusque inter se *Martini* & *Antonio*, decreverit Parlamentum uia merces illæ retinerentur quoad lege esset decisum utri eorum reddendæ essent, enī usque fuerit semper *Antonius* lege agere; contrà, neque *Martinus* neque pro eo quisque in judicio hactenus comparuerit, quæ omnia ex *Luce Petito* is libellis libello supplici annexis liquent; iniquissimum sanè est, ut is, qui jus suum in supposititum cum *Antonio* colega suo de alienis bonis experiri apud nos reculat, cogeret nostros homines verosque dominos de suis bonis in aliena citione contondere: Quin idem æquitati vestræ atque prudentiæ videatur, non dubitet Serenissimus Dominus Protector; à quo sum jussus hanc *Luce Lucii* caufam æquissimum *Excellentia Vestra* singularem in modum commendare: ne *Martino* qui jus alienum apud nos persequi neglit, eo obtentu aliis eripiendi jus suum apud vos potestas detur.

*Westmonasterio. die Octob. An. 1657.*

*Excellentia Vestra Studiofissimus.*

*Oliverius*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo Duci ac  
Senatui Reip. Venet.x.*

*Serenissime Dux atque Senatus, amici charissimi;*

**N**untii terum vestrarum contra *Turcas* felicissimè gestarum tam crebri ad nos perferuntur, ut nobis non sèpius ulla de re ad vos scribendum, quam de insigni aliqua victoria gratulandum sit. Hanc recentissimam, & Reip. vestræ quam maxime lætam atque opportunam cupimus, &, quod glorioissimum est, *Christianorum omnium sub Turca servientium* quam maxime liberatricem: Nominatum *Thimam Galileum* navis, cui nomen *The Relief*, olim præfectum, *Serenitati, vestra ac Senatui*, tametsi non nunc primum, nunc tamen eo libentiùs, quo latiori tempore, quinquennalem captivum commendamus. Ei cùm à vobis imperatum esset, ut cum navi sua Réip. vestræ operam navaret, solus cum multis hostium triremibus congressus, nonnullas depressit, magnairque stragem edidit; tandem combustâ navi captus vir fortis, deque *Veneta Rep.* tam bene meritus, quintum jam annum in misera servitute *Barbarorum* dedit. Unde se redimat facultatum nihil est; nam quicquid erat, id à *Celsitudine vestra & Senatu*, vel navis vel bonorum vel stipendii nomine deberi sibi ostendit. Verùm ut facultates non defissent; hostes tamen non alia lege dimissiros se eum profiten- tor, quam si suorum aliquis, qui illis in pretio æquè sit, permuteatur. Petimus itaque magnopere à *Vestra* atque *Senatus Celsitudine serenissima*, perit per nos senex miserimus, captivi pater, moeroris & lachrymarum plenus, quæ nos quidem permoverunt, ut primum quoniam ex tot prosperis præliis *Turcarum* tanta copia captorum vobis est, unum aliquem ex eo numero, quem illi accipient, hostem vestro milite fortissimo, nostro cive, senis mœstissimi filio unico commutare velitis. Deinde, ut quod stipendii, vel alijs nominibus ipsi à Rep. debetur; id quam primum velitis pati aut procuratori ipsius annumerandum curare. Priori quidem regatu nostro, vel potius æquitate vestrâ effectum est, ut statim re cognitâ, putatisque rationibus constitutum esset quid debeatur: verum illum suppurationem, urgentibus fortasse aliis negotiis, nulla solutio secuta est. Nunc miseri conditio dilationem salutis diutiùs non fert: eum, si omnino salvum vultis, danda opera est, ut squalore illo carceris teterrimo quamprimum liberetur. Id sine mora, sine hortatu etiam nostro humanissimâ voluntate vestrâ facturos vos esse confidimus: quandoquidem justitiâ, moderatione, atque pru- dentiâ non minus quam belli gloriâ victoriisque floretis: Atque ut diutissimè floreatis, devicto hoste potentissimo, Deum Opt. Mix. precamur.

*Westmonasterio ex Aula nostra.  
die Octob. An. 1657.*

*Celsitudinum vestrarum studiofissimus  
Oliverius Prot. Reip. Angl. &c.*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Excelsis & præpotentibus  
Dominis Fœderati Belgii Ordinibus, S. P. D.*

*Excelsi & præpotentes Domini, Amici ac Fœderati charissimi,*

**R**edit ad vos Vir illustrissimus *nielmus Nuport* Legatus vester annis jam aliquot apud nos extraordinarius: sed ita redit, petito ad tempus duntaxat à vobis commeatu, ut eum brevi reversum speremus. È enim est fide, vigiliantia, prudentia, æquitate apud nos in suo munere versatus, ut majorem in unoquoque genere virtutem ac probitatem neque nos desiderare in Legato, viroque optimo neque vos possitis; eo animo ac studio ad pacem inter nos & amicitiam sine fuso & fraude conservandam, ut illo hanc Legationem obeunte quid inter nos offendit aut scrupuli suboriri queat, aut pullulare, non videamus. Et discessum sanè ejus molestiore animo ferremus, hac præsertim rerum ac temporum inclinatione, nisi persuasissimum nobis hoc esset, neminem melius posse aut fidelius vel rerum utrobique statum, vel nostram erga *Celsitudines vestrarum* benevolentiam studiumque integrum coram exponere. Quapropter hanc ut Virum undiquaque præstantissimum, deque Rep. & suâ & nostrâ optime meritum accipere redeuntem velitis rogamus: sicuti & nos verissimo nostra-

rum laudum testimonio ornatum abeuntem dimisimus prope inviti. Deus ad ipsius gloriam ecclesiæque præsidium *Orthodoxæ* vestris rebus felicitatem, nostræ amicitiae perpetuitatem concedat.

*Celsitudinum vestrarum studios.*

*Westmonast. ex Aula nostra. die Nov. An. 1657.*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Excelsis & Præpotentibus Dominis  
Fœderati Belgii Ordinibus, S. P. D.*

*Excelsi & præpotentes Domini, amici nostri ac Fœderati charissimi;*

**G**eorgius Duningus Vir nobilis, nobis est multis ac variis negotiis summâ fide, probitate ac solertiâ perspectus jam diu & cognitus. Eum, ut apud vos Oratoris munere fungatur, mittendum censuimus, mandatisque nostris amplissimè instruximus. Eum itaque amico, ut consuevistis, animo recipiatis regamus; & quoties habere te significaverit, quod nostro nomine vestrum cum *Excelsi Ordinibus* agat, amicè audire, fidemque adhibere; & quæ vos vicissim communicanda nobis censemus, ea omnia, sicuti recte potestis, perinde ac si nos ipsi coram essemus, ei committere velitis. De cætero vobis vestræque Reip. ad Dei gloriam ecclesiæque præsidium secundas res omnes ex animo precamur.

*Celsitudinum Vestrarum studioſissimus*

*Oliverius, &c.*

*Westmon. ex Aula nostra. die  
Decemb. An. Dom. 1657.*

### *Ordinibus Hollandie.*

**C**UM ea nostræ Reip. cum vestra intercedat necessitudo, ea sint utrinque negotia, ut sine Oratore atque interprete vel hinc vel inde missa res tantæ ad utilitatem utriusque gentis constitui commodè vix possint, ex usu communis arbitratii sumus, ut *Georgium Duningum* Virum nobilem, multis ac variis negotiis summâ fide, probitate ac solertiâ spectatum, jam diu nobis & cognitum, eo munere instructum mitteremus: qui nostro nomine apud vos maneat, iis maxime officiis intentus, quibus nostra amicitia sarta tecta conservari posse quam diutissimè videatur. Hac de re cum ad *Excelsos & Præpotentes Ordines* scripsimus, tum vos quoque qui in Provinciâ vestrâ summae rei præsidetis & Fœderati Belgii tanta pars estis, certiores faciendo per literas duximus; ut & nostrum Oratorem eâ ratione quâ convenit accipiatis, & quæ ille cum *excelsis Dominis Ordinibus* transegerit, ea vobis persuadeatis peræque firma ac rata nos esse habituros, acsi ipsi rebus transactis coram interfuissemus. Deus consilia vestra & facta omnia ad gloriam suam & ecclesiæ pacem dirigat.

*Westmonasterio &c. Decemb. 1657.*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo Principi  
Ferdinando Magno Duci Hetrurie.*

*Serenissime Dux Magne, amice noster plurimum colende,*

**P**Er magnam nobis attulere voluptatem literæ *Celsitudinis Vestrae* decimo Nov. Florentiâ datae; in quibus benevolentiam erga nos Vestram eo vidimus perspectiorem, quanto res ipsæ verbis, facta promissis certiora benevolentis animi indicia sunt: quæ nempe rogavimus *Celsitudinem vestram*, juberet illum navis *Lodowici parvi præfectum Gulielmum Ellum*, qui fidem *Turcis* datam turpissimè fregerat, & ipsum comprehendendi, & navem cum mercibus in portu retineri, quoad *Turcarum* quæ essent redderentur, ne nomen *Christianum* per istiulnodi furta labem aliquam susciperet, ea omnia, & summo quidem studio, quod satis intelligimus, scripsit *Celsitudo Vestra* se præstitisse. Nos itaque cum pro accepto beneficio

nesio gratias agimus, tum hoc porrò nunc petimus, quandoquidem satis factum  
iri *Turcis* Mercatores in se receperunt, ut & *Praefectus* ille custodiā liberetur,  
& navis cum mercibus quam primum dimittatur; ne *Turcarum* sorte rationem  
potiorem, quam nostrorum civium habuisse videamur. Interim *Celsitudinis*  
*vestrae* spectatā voluntate erga nos singulari, & sanc̄ gratissimā sic libenter frui-  
mur, ut ingratitudinis notam non recusemus, nisi pari promptitudine vobis vi-  
cissim gratificandi occasionem quam primum dari nobis exoptamus, ex qua no-  
stram quoque in reddendis officiis promptitudinem animi rebus ipsis erga vos de-  
monstrare possimus.

*Celsitudinis vestrae Studioſissimus,*

*Westmonasterio ex Aulâ nostrâ.*

*Decemb. an. 1657.*

*Oliverius, &c.*

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo ac potentissimo Principi  
Carolo Gustavo Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi.*

*Serenissime potentiſſimeque Rex, Amice ac Fæderate invictissime;*

**M**ulta simul attulere nobis literæ Majestatis vestræ 21 Feb. in Castris Selan-  
diciis datae, cur, & privatum nostrâ, & totius Reipub. Christiane causâ,  
lætitia haud mediocri afficeremur: primum quod Rex *Dania*, non suâ credo vo-  
luntate aut rationibus, sed hostium communium artibus factus hostis, repentinō  
vestro in intimum ejus regnum adventu, sine multo sanguine, eò sit redactus,  
ut, quod res erat, utilioremi sibi pacem bello contra vos suscepto tandem judica-  
verit: deinde cum is eam nullâ se ratione citius posse consequi existimaret,  
quam si delata sibi jamdiu ad conciliandam pacem nostrâ operâ uteretur, quòd  
Majestas vestra solis Internuntii nostri literis exorati, tam facili pacis concessionē  
ostenderit, quantum nostrâ amicitia atque gratiâ interpositâ apud se valeret:  
meumque imprimis in hoc tum pio negotio officium esse voluerit, ut pacis tam  
salutaris Protestantium rebus, uti spero, mox futuræ ipse potissimum unus conciliator  
atque auctor propemodum essem. Cum enim Religionis hostes con-  
junetas opes vestras alio paecto frangere se posse desperarent, quam si vos inter  
vos commisissent, habebunt nunc, protectò quod pertimescant, ne arinorum  
animorumque, ut spero, vestrorum hæc inopinata conjunctio ipsis belli hujus.  
conflatoribus in perniciem vertat. Tu interim, Rex fortissime, macte tuâ  
egregiâ virtute; & quam felicitatem in rebus tuis gestis victoriarumq; cursu con-  
tra Regem nunc socium hostes Ecclesiæ nuper admirati sunt, eandem in suâ tur-  
fus clade, Deo benè juvante, fac sentiant.

*Westmonasterio ex Palatio nostro, 30 die Martii, 1658.*

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo Principi Ferdinando  
Magno Duci Hetruriæ.*

*Serenissime Princeps,*

**Q**UOD satis factum arbitramur *Celsitudini* vestræ de nostro classis præ-  
fecto qui ad portus vestros nuper est delatus, vestro apud nos Oratori re-  
spondimus: Interim per libellum supplicem nobis ostendit *Joannes Hostius Lon-  
dinensis*, cuiusdam navis, cui *Domine* nomen, Magister, se, cùm anno 1656.  
mense Aprili, navem suam ex syngrapha (chartam portitam Jus nostrum vocat)  
*Josepho Armano Italo* cuidam locastet, ilisque factas in syngrapha pactiones ter aper-  
tè fregisset, coactum esse demum, ne navem suam, totumque onus ejus, sortem  
denique totam amitteret, more mercatorio declarata publicè ejus fraude, & in  
tabulas publicas relata, *Liburni* in juseum vocare: eum autem, ut fraudem frau-  
de tueretur, adhibitis in societatem duobus aliis negotiatoribus litigiosis, de pec-  
cunia *Thomæ* cuiusdam *Clutterbaxi* sex mille octonos, consilio quodam obtenui,  
petitoris hujus nomine occupasse: se, post multas impensas consumptumque  
tempus jus suum *Liburni* obtainere non posse; ne audere quidem, propter adver-  
sariorum minas atque infidias, in judicio illic comparere. Petimus itaque à Cel-  
studine

situdine vestra, ut cum huic homini oppresso subvenire, tum hujus adversarii insolentiam pro consueta sua justitia velit coercere : frustra enim auctoritate Principum leges essent civitatibus latæ, si vis atque injuria, cum, ne omnino sint leges, efficere non possint, possint efficere terrore ac minis, ne quis ad eas audeat confugere. Verum in hujusmodi audaciam quin mature animadversura sit Celsitudo vestra, non dubitamus ; cui pacem prosperaque omnia à Deo Opt. Max. precamur.

*Westmonasterio, ex Aula nostra,  
die 7. April. an. 1658.*

*Serenissimo potentissimoque Principi Ludovico Galliarum Regi.*

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate augustissime ;*

**M**Einisse potest Majestas vestra quo tempore inter nos de renovando sce-  
dere agebatur ; quod optimis auspiciis initum multa utriusque populi  
commoda, multa hostium communium exinde mala testantur, accidisse miseram  
illam Convallensium occisionem, quorum causam undique desertam atque affli-  
ctam vestræ misericordiæ, atque tutelæ summo cum ardore animi ac miseratione  
commendavimus. Nec defuisse per se arbitramur Majestatem vestram officio  
tam pio, immo verò tam humano, pro eâ quâ apud *Ducem Sabaudiæ* valere de-  
buit vel auctoritate vel gratia : nos certè aliisque multi Principes ac Civitates,  
Legationibus, Literis, Precibus interpositis, non defuimus. Post cruentissimam  
utriusque sexus omnis ætatis trucidationem, pax tandem data est, vel potius in-  
ducta pacis nomine hostilitas quedam teuctior : conditiones pacis vestro in oppi-  
do *Pinarolii* sunt latæ ; duræ quidem illæ, sed quibus miseri atque inopes dira  
omnia atque immania perpepsi facile acquiescerent, modo iis, duræ & iniquæ ut  
sint, starentur ; non statur ; sed enim earum quoque singularum falsa interpreta-  
tione variisque diverticulis fides eluditur ac violatur ; antiquis sedibus multi de-  
jiciuntur, religio patria multis interdicitur, tributa nova exiguntur, arx nova  
cervicibus imponitur, unde milites crebro erumpentes obvios quoque vel diri-  
piunt vel trucidant : ad hæc nuper novæ copiæ clanculum contra eos parantur ;  
qui que inter eos *Romanam Religionem* colunt, migrare ad tempus jubentur ; ut om-  
nia nunc rursus videantur ad illorum internencionem miserrimorum spectare,  
quos illa prior laniena reliquos fecit. Quod ego per dextram tuam, *Rex Christianissime*, quæ foedus nobiscum & amicitiam percussit, obsecro atque obtestor,  
per illud *Christianismi* Tituli decus sanctissimum, fieri ne siveris : nec tantam fæ-  
viendi licentiam non dico principi cuiquam (neque enim in illum Principem,  
multo minus in ætatem illius principis teneram, aut in muliebrem matris ani-  
mum tanta fævitia cadere potest) sed facerrimis illis sicariis ne permiseris ; qui  
cum Christi Servatoris nostri servos atque imitatores sese profiteantur, qui venit  
in hunc mundum ut peccatores servaret, ejus mitissimo nomine atque institutis  
ad innocentium crudelissimas cædes abutuntur : eripe qui potes, quique in tanto  
fastigio dignus es posse, tot supplices tuos homicidarum ex manibus, qui cruore  
nuper ebrii, sanguinem rursus sitiunt ; suæque invidiam crudelitatis in Principes  
derivare consultissimum sibi dicunt. Tu verò nec titulos tuos aut Regni fines  
ista invidiâ, nec Evangelium Christi pacatissimum ista crudelitate foedari te reg-  
nante patiaris. Meinieris hos ipsos avi tui Henrici Protestantibus amicissimi  
dediritios fuisse ; cum *Dignierius* per ea loca, quâ etiam commodissimus in *Italiam*  
transitus est, *Subaudum* trans *Alpes* cedentem victor est infuscatus : deditio-  
nis illius instrumentum in actis regni vestri publicis etiamnum extat ; in quo excep-  
tum atque cautum inter alia est, Ne cui postea *Convallenses* traderentur, nisi illi-  
dem conditionibus quibus eos avus tuus invictissimus in fidem recepit. Hanc fi-  
dem nunc implorant, avitam abs te Nepote supplices requirunt : tui esse, quâm  
cujus nunc sunt, vel permutatione aliquâ, si fieri possit, malint atque optarint :  
id si non licet, patrocinio saltem, miseratione atque perfugio. Sunt & rationes  
regni quæ hortari possint ut *Convallenses* ad te confugientes ne rejicias ; sed nolim  
te, Rex tantus cum sis, aliis rationibus ad defensionem calamitosorum quâm fi-  
de à majoribus data, pietate, regiaque animi benignitate ac magnitudine permo-  
veri. Ita pulcherrimi facti laus atque gloria illibata atque integra tua erit, & ip-  
se

se Patrem misericordiae ejusque filium *Christum Regem*, cuius nomen atque do-  
ctrinam ab immanitate nefaria vindicaveris, eo magis faventem tibi atque propi-  
tium per omnem vitam experieris. Deus Opt. Max. ad gloriam suam, tot in-  
nocentissimorum hominum *Christianorum* tutandam salutem, vestrumque verum  
decus Majestati vestrae hanc mentem injiciat.

*Westmonasterio. Maii an. 1658.*

### *Civitatibus Helvetiorum Evangelicis.*

*Illustres atque amplissimi Domini, Amici charissimi;*

**D**E *Convallensibus* Vicinis vestris afflictissimis, quām sint à Principe suo gravia-  
& intoleranda religionis causā passi, cūm propter ipsam rerum atrocita-  
tem horret prope animus recordari, tum ad vos ea scribere quibus notiora multo  
sunt, supervacuum duximus. Exempla etiā literarum vidimus quas Legati  
vestri pacis jamdudum *Pinaroliana* hortatores atque testes ad *Allobrogum* Ducem illi-  
isque *Taurinensis* consilii Præsidem scriperunt; in quibus ruinas esse omnes pa-  
cis conditiones, illisque miseris fraudi potius quām securitati suis singulatim,  
ostendunt atque evincunt. Quarum violationem ab ipsā statim pācē datā in  
hunc usque diem continuatam, & indies graviorem nisi æquo animo patiuntur,  
nisi se conculcando planē & pessum dandos prosternunt atque abscidunt, religione  
etiam ejurat, impendet eadem calamitas, eadem strages, quæ ipsos cum con-  
jugibus ac liberis tertio abhinc anno sic miserabilem in modum attrivit atque  
afflitit, & subeunda iterum si est, funditus eradicabit. Quid agant miseri? qui-  
bus nulla deprecatio, nulla respiratio, nullum adhuc certum perfugium patuit;  
res est cum feris aut cum furiis, quibus priorum cædium recordatio nullam poenitentiā,  
aut suorum civium miserationem, nullum sensum humanitatis aut fun-  
dendi sanguinis satietatem attulit. Hæc ferenda planē non sunt, sive fratres  
nostros *Convallenses Orthodoxæ Religionis* cultores antiquissimos, sive ipsam Reli-  
gionem salvam volumus. Et nos quidem locorum intervallo plus nimio dis-  
juncti, quod opis aut facultatis nostræ fuit, & præstitimus ex animo, & præstare  
non desinemus. Vos qui non modo fratum cruciatibus ac penè clamoribus,  
verum etiam eorumdem hostium proximi estis, prospicite per Deum im-  
mortalem idque maturè quid vestrarum nunc partium sit; quid auxilii, quid præ-  
tidii vicinis ac fratribus alioqui mox peritutis terre possitis ac debeatis, pruden-  
tiā vestram ac pietatem, fortitudinem etiam vestram consulite. Causa certè  
eadem est Religio, cur iidem hostes vos quoque perditos velint, immo cur eo-  
dem tenore, eodem superiore anno, foederatorum vestrorum intestino Marte  
perditos voluerint. Vestra duntaxat in manu post opem divinam videtur esse,  
ne priuoris ipsa stirps Religionis vetustissima in illis priscorum fidelium reliquias  
excindatur: quorum salutem in extremum jam discrimen adductam si negligitis,  
videte ne vosmetipso paulo post proximæ vices urgeant. Hæc dum fraternè ac  
libere hortamur, ipsi interea non languescimus: quod solum nobis conceditur  
tam longinquis, cūm ad procurandam periclitantium incolumitatem tūm ad sub-  
levandam egentium inopiam, eminem operam nostram & contulimus & conse-  
reremus. Deus det utrisque nobis eam domi tranquillitatem ac pacem, eum re-  
tum ac temporum statum, ut omnes nostras opes atque vires, omne studium ad  
defendendam ecclesiam suam contra hostium suorum furorem ac rabiem, con-  
vertere possimus.

*Westmonasterio ex Aula nostra, Maii die, an. 1658.*

### *Eminentissimo Domino Cardinali Mazarino, Salutem.*

*Eminentissime Domine;*

**I**Llatæ nuper Protestantibus, qui *Valles* quasdam *Alpinas* in ditione *Ducis Sabau-*  
*dia* incolunt, gravissimæ calamitates cædesque cruentissimæ fecrē ut inclusas  
has literas ad Majestatem Regiam, hasque alteras ad Eminentiam vestram scrip-  
serim.

serim. Et quemadmodum de Rege Serenissimo dubitare non possum quin haec tanta crudelitas, quā in homines innoxios atque inopes tam barbarè sanguinem est, vehementer ei displiceat atque offensa sit ; ita mihi facilè persuadeo quæ ego à Majestate Regiâ illorum causa miserorum peto, ad ea impetranda vestram quoque operam atque gratiam, velut cumulum, accessuram. Cum nihil planè sit quod *Francorum Gentium* benevolentiam apud suos omnes vicinos *Reformatae Religionis* cultores majoriter conciliaverit, quam libertas illa ac privilegia quæ ex edictis suis atque actis publicis permissa Protestantibus atque concessa sunt. Et hæc quidem Respublica cum propter alias tum hanc potissimum ob causam *Gallorum* amicitiam ac necessitudinem majorem in modum expetivit. De qua constituenda iam diu cum *Legato Regio* apud nos agitur eusque tractatio jam penè ad exitum perducta est. Quid ! quod eriam singularis benignitas Eminentia vestrae, ac moderatio, quam in summis Regni rebus gerendis erga *Protestantes Gallie* semper testata est, à prudentia vestra & magnitudine animi ut hoc sperem atque expectem, facit ; qua ex re & fundamenta arctioris etiam necessitudinis inter hanc *Rempublicam*, *Regnumque Gallicum* Eminentia vestra jecerit, meque sibi privatim ad officia omnia humanitatis ac benevolentiae vicissim reddenda obligaverit : adeoque hoc velim Eminentia vestra sibi persuasissimum habeat.

Eminentia vestra Studioſissimus.

*Oliverius Protector Reip. Angliae, Serenissimo ac potentissimo Principi Ludovico Galliarum Regi.*

*Serenissime potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate angustissime;*

**T**HOMAS Vicecomitem *Falconbrigium* generum meum in *Galliam* proficiscendum, & ad testificandum obsequium suum & observantiam, qua Majestatem vestram colit, venire in conspectum vestrum, Regiamque manum osculari cupientem, tametsi propter consuetudinem ejus jucundissimam invitus dimitto, tamen cum non dubitem quin ab aula tanti Regis, in quā tot viri prudentissimi fortissimique versantur, multo instructior ad res quasque laudatissimas, & quasi consummatus ad nos brevi sit reversurus, obstante ejus animo ac voluntati non sum arbitratus. Et quanquam is est, nisi ego fallor, qui per se satis commendatus, quo cunque accesserit, videri possit, tamen si se meā gratiā Majestati vestrae aliquanto commendationem fuisse senserit, eodem me quoque beneficio affectum atque devinctum arbitrabor. Deus Majestatem vestram incolumem, nostramque amicitiam firmissimam communī orbis Christiani bonae quam diutissime conservet.

*Westmonasterio ex Aula nostra. Maii die, an. 1658.*

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Eminentissimo Domino Cardinali Mazarino.*

*Eminentissime Domine;*

**C**UM *Thomam* Vicecomitem *Falconbrigium* generum meum proficiscendum in *Galliam* Serenissimo Regi commendaverim, non potui quin ea de re Eminentiam vestram certiore in facerem, nec non vobis etiam eundem commendarem : id quantum ponderis atque momenti ad superiorem quoque commendationem allaturum sit non netius. Quem certè fructum commorationis apud vos suæ, sperat autem non mediocrem hunc fore, percepturus est, ejus maximam partem favori vestro ac benevolentiae non poterit non debere ; cuius prope sola niens ac vigilancia res tantas eo in regno sustinet ac tuetur. Quicquid ei gratum Eminentia vestra fecerit, id mihi fecisse se existimet ; id ego in multis vestris erga me humanè & amicè factis numerabo.

*Westmonasterio. Maii an. 1658.*

*Oliverius Protect. Reipub. Angliae, &c. Eminentissimo Domino Cardinali Mazarino.*

*Eminentissime Domine;*

CUM illustrissimum virum Thomam Bellassimum Vicecomitem Falconbrigium generum meum Serenissimi Regis adventum in castra ad Dunkirkam gratulatum mitterem, eidem præcepi ut vestram quoque Eminentiam adiret, meoque nomine & plurimam salutem dicat, & gratias vobis agat, cuius potissimum fide, prudentia, vigilantiâ perfectum est, ut res Gallica tam diversis in partibus, & præsertim in vicinâ Flandriâ contra Hispanum hostem communem tam prosperè geratur: à quo nunc celeriter, uti spero, fraudum & insidiarum, quibus se maxime tuetur, aperta atque armata virtus poenas reposcat: quod uti fiat quam citissimè, nos certe neque copiis, quantum possumus, neque votis derimus.

*Westmonasterio ex Aula nostra.*

*Maii an. 1658.*

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo ac potentissimo Principi Ludovico Galliae Regi.*

*Serenissime potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate augustissime;*

UT nuntiatum est venisse in castra Majestatem vestram, tantisque copiis infame illud oppidum piratarum atque asylum Dunkirkam obsedisse, & magnum cepi voluptatem, & spem certam, fore nunc brevi, Deo bene juvante, ut infestum minus posthac latrociniis mare tutius navigetur; fore ut Hispanicas fraudes, ducem alterum ad Hesdenæ proditionem auro corruptum, alterum ad Ostendam dolo captum virtute bellicâ Majestas vestra nunc brevi vindicet. Mitto itaque nobilissimum virum Thomam Vicecomitem Falconbrigium generum meum, qui & adventum vestrum in tam propinqua nobis castra gratularetur, & coram exponat quanto nos studio Majestatis vestrae res gestas non junctis solum viribus nostris, sed votis etiam omnibus prosequamur, uti Deus Opt. Max. & ipsam incolumiem, & nostram amicitiam firmissimam communi orbis Christiani bono quam diutissimè conservet.

*Westmonasterio ex Aula nostra. Maii an. 1658.*

*Serenissimo Principi Ferdinando, Duci Magno Hetrurie.*

*Serenissime Dux Magne;*

CUM Celsitudo vestra in omnibus quidem literis suis summam erga nos benevolentiam suam nobis semper significaverit, dolemus id præfectis vestris ac ministris aut tam obscurè significatum, aut tam malè esse intellectum, ut in Portu Liburnensi, ubi maximè quæ vestra sit erga nos benevolentia intelligi oporteret, nos nullum ejus fructum aut indicium percipere queamus; immo alienum potius & hostilem vestrorum in nos animum indies experiamur. Quam enim non amicis nostra classis Liburnensis usa nuperrime sit, quam nullis adjuta rebus, quam hostiliter denique accepta bis ab illo oppido discedere coacta sit, cum ex eo ipso loco multis testibus fide dignis, tum ex ipso Navarro nostro, cui cum classem credamus, narrandi fidem derogare non possumus, satis videmur nobis nimisque certò cognovisse. Priore ejus adventu Cal. Jan. post redditas Celsitudini vestrae literas nostras, vestraque omnia humanitatis officia nostris hominibus ultro delata, petentibus ut portus Ferrarii commoditate uti liceret, responsum est, id concedi non posse, ne Rex Hispanæ scilicet noster hostis offenderetur. Et tamen quid est quod princeps amicus amico præbere communius possit, quam littoris ac portus aditum? quid est quod nos expectare ab hujusmodi amicitia possimus quæ hostium nostrorum animum ne offendat, incommodare nobis quam

quām commodare, aut vel minimis rebus subvenire parator sit. Et primo quidem ex singulis navibus duobus vel tribus nautis duntaxat excensus in terram, sive commercium (quam vos Practicam vocatis) est datum: mox ut auditum est in oppido, navem quandam *Belgicam*, quae tūmentum in *Hispaniam* portabat, à nostris esse interceptam, quod erat antea commercii statim adimitur; *Longlinians* qui nostris illic Mercatoribus præfideret, classem adire non permititur; aquatio, quae omnibus non planè hostibus libera est, non nisi sub armatis custodibus iniquo pretio, & quidem egerimè præbetur: tot nostris Mercatoribus qui non sine maximo vestrorum emolumento illic versantur, suos ne invisant populares aut ulla re adjuvent interdicitur. Posteriore ejus adventu sub exitum mentis *Martii*, egressus ex navibus nemini datur: quinto post die cùm naviculam quandam *Neapolitanam* prætoria navis nostra incidentem in nos fortè excepisset ducenta plus minus tormenta ab oppido classem versus disploduntur quorum nullum iētu nos læsit ne attigit quidem: quod arguento esse potest quām longè hæc à Portu atque castelli ditione in alto gererentur, quæ vestros quasi portu violato sic sine causa irritarunt: confessim aquatorum nostrorum scaphæ intra portum oppugnantur; una capitur, detinetur; reposcentibus neque scapham neque homines redditum iri respondet, nisi capta illa navis *Neapolitana* reddatur quam constat libero mari captam, ubi capi licuit. Ita nostri multis modis incommodati sine illo commeatu, quem numeratâ pecuniâ coemerant, abire denuo coguntur. Hæc si Celsitudinis vestræ voluntate ac jussu quod speramus non fiunt, petimus id ostendat præfecti illius suppicio, qui amicitias Domini sui violare tam facile in animum induxit: sin est ut sciente ac volente vestra Celsitudine commissa hæc sint, cogitet nos, ut benevolentiam vestram plurimi semper fecimus, ita apertas injurias à benevolentia dignoscere didicisse.

*Westmonasterio ex Aula nostra  
Maii die An. 1658.*

*Vester quoad licet amicus  
Oliverius Protector Reip. Angliae, &c.*

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo Potentissimoque Principi  
Ludovico Galliae Regi.*

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate Augustissime;*

*Q*UOD tam celeriter illustri missâ Legatione *Majestas Vestræ* meum officium cumulo rependit, cùm singularem benignitatem, animique magnitudinem testata est suam, tum meo etiam honori ac dignitati quantopere faveat, non mihi solùm declaravit, verum etiam universo populo Anglicano: quo nomine Majestati Vestræ, pro eo ac de me merita est, gratias & ago & habeo maximas. De victoria quam conjunctis nostris copiis Deus contra hostes felicissimam dedit, vobiscum unâ lætor; nostrosque in eo prælio neque subsidiis vestris, neque majorum suorum bellicæ gloriæ, neque suæ denique virtuti pristinæ defuisse per quām etiam gratum est. De *Dunkirk*, quam deditioni proximam *Majestas Vestræ* sperare se scribit, eam nunc deditam tam citò posse me rescribere insuper gaudent: neque unius Urbis jactura duplìcem perfidiam *Hispanum* propediem esse luiturum spero; quod captâ urbe altera effectum esse, velim *Majestas* etiam *vestra* tam citò possit rescribere. Quod reliquum pollicetur meas rationes curæ sibi fore, de eo regi optimo atque amicissimo pollicenti, ejusque Legato excellētissimo atque ornatissimo viro *Duci Creguensi* idem confirmanti, non diffido; Deinde Opt. Max. *Majestati vestra Reique Gallicæ* domi bellique propitium exopto.

*Westmonasterio, die Junii. An. 1658.*

*Oliverius*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Eminentissimo Domino  
Cardinali Mazarino.*

*Eminentissime Domine;*

**C**um Regi Serenissimo per literas gratias agam qui honoris & gratulationis reddendæ causâ, suæque lætitiae de nobilissima recenti victoria mecum communicandæ Legationem Splendidissimam misit, ingratus tamen sim, nisi *Eminentia quoque vestra* debitas simul gratias per literas persolvam; quæ ad testandam suam erga me benevolentiam, meique rebus omnibus quibus potest ornandi studium, nepotem suum præstantissimum atque ornatissimum adolescentem unâ misit, & siquem haberet apud se propinquorem aut quem pluris ficeret, eum potissimum suisserum scribit: additâ etiam ratione, quæ ab judicio tanti Viri profecta ad meam haud mediocrem laudem atque ornamentum pertinere existimo; nempe ut qui sanguine coniunctissimi sibi sunt in me honorando atque colendo *Eminentiam suam* imitarentur. Et humanitatis quidem, candoris, amicitiae vestrum in me diligendo exemplum haud postremum fortasse habueint; summae virtutis summaeque prudentiae alia in vobis longe clariora; quibus regna resque maximas summa cum gloria administrare discant. Quare uti possit *Eminentia vestra* quam diutissimè quamque felicissimè gerere ad totius Regni Gallici, immo totius Reip. Christianæ commune bonum, vestrumque proprium decus, non defutura mea vota polliceor.

*Westmonasterio ex Aula nostra  
die Junii An. 1658.*

*Eminentia vestra Studioſissimus.*

*Oliverius Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo Potentissimoque Principi  
Carolo Gustavo Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi, &c.*

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fæderate Chriſſime;*

**Q**uoties communium Religionis hostium importuna consilia variasque artes intuemur, toties nobiscum reputamus, quam necessarium orbi Christiano, quamque salutare sit futurum, quo facilius adversariorum conatibus iri obviam possit, Protestantium Principes inter se, & potissimum *Majestatem vestram* cum Repub. nostra arctissimo foedere conjungi. Id à nobis quantopere fit, quantoque studio expetitum, quam denique gratum nobis accidisset, si Suecorum nostræque res ea conditione ac loco fuissent. ut foedus illud ex utriusque animi sententia fanciri, alterque alteri opportunissimo auxilio esse potuisset, Oratoribus vestris, ex quo primum illi hoc apud nos egerunt, testatum reddidimus. Neque vero illi suo muneri desuerunt; sed quam ceteris in rebus consueverunt, eandem hac quoque in parte prudentiam ac diligentiam adhibuerunt. Verum ea nos domi improborum civium perfidia exercuit qui in fidem saepius recepti, res novas tamen moliri, & cum exilibus, etiam cum hostibus Hispanis discussa jam saepè & profligata consilia repetere non desinunt, ut in propulsandis periculis proprijs occupati, neque curam omnem, neque integras opes quod in votis erat, ad communem Religionis causam tuendam convertere haec tenus potuerimus. Quod licuit tamen, quantumque in nobis situm erat, & anteā studiole præstitimus, & si quid in posterum *Majestatis vestrae* rationibus conducere videbitur, id non velle solum, verum etiam summâ ope vobiscum unâ agere per occasiones non desistimus. Interea *Majestatis vestrae* rebus prudentissimè fortissimèque gestis gratulamur atque ex animo lætamur: eundemque uti velit Deus felicitatis atque victoriæ cursum esse quam diuturnum ad sui numinis gloriam assiduis precibus expatamus.

*Westmonasterio ex Aula nostra. Junii die An. 1658.*

*Oliverius Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo Principi  
Lusitaniae Regi. S. P. D.*

*Serenissimo Rex, Amice ac Fæderate,*

**O**Stendit nobis per libellum supplicem *Ioannes Buffield Mercator Londinensis*, se anno 1649. merces quasdam *Antonio Joanni & Manuelli Ferdinando Castaneo Tamirensibus* tradidisse, uti iis divenditis earum rationem mercatorum more sibi redderent: tum in *Angliam* dum navigaret, in piratas incidisse, spoliatumque ab iis damnnum haud mediocre accepisse: hoc audito, *Antoniam & Manuelem* eò quod hunc interfectum credebant, traditas sibi merces statim pro suis habuisse, adhuc etiam retinere, rationemque omnem de iis recusare; atque huic fraudi subsecutam paulo post *Anglicarum* mercium proscriptionem obtendere; coactum se demum superiore anno, hyeme mediâ in *Lusitaniam* redire, sua repetere; sed frustra; hos enim neque bona neque rationem ut reddant adduci posse; & quod mirum sane videatur, privatam illarum mercium possessionem proscriptione publicâ defendere: cum videret se hominem longinquum deteriore conditione cum *Tamirensibus* in sua patria contendere, ad *Majestatem Vestram* se confugisse; Conservatoris judicium, qui judicandis *Anglorum* causis constitutus est, supplicem poposcisse; à Majestate *Vestra* rursus ad forensem illam cognitionem, unde confugerat, rejectum esse. Quod etsi per se iniquum non est, tamen cum perspicuum sit *Tamirenses* istos vestro edicto publico ad suam privatam fraudem abuti, à Majestate *Vestra* majorem in modum petimus, ut causam hujus multis casibus afflerti, ad inopiamque redacti, ad Conservatorem potius judicem proprium velit pro sua clementia integrum remittere: quo possit inops fortunarum suarum quod superest ab illorum hominum infida societate recuperare: id, re cognitâ, quin Majestati vestrâ nobiscum una maximè placeat non dubitamus.

*Westmonasterio ex Aula nostra, die Augusti An. 1658.*

*Serenissimo Principi Leopoldo Austrie Archiduci, Provinciarum in Belgia  
sub Philippo Hispaniarum Regi Præsidi.*

*Serenissime Domine,*

**C**arolus Harbordus, vir *Equestris* apud nos *Ordinis*, per libellum supplicem ad nos detulit, se bona quædam & suppellectilem cum ex *Hollandia Brugas* in ditionem vestram asportasset, de iis, ne sibi per vim atque injuriam eripiantur, inopinatò periclitari. Ea nempe, cum à *Comite Suffolchienſi* pro quo se grandi ære alieno obstrinxerat, ex *Angliâ* An. 1643. missa ad se idcirco fuissent, ut haberet, quo sibi satisfaceret, siquid pro illo dissolvere cogeretur, à *Richardo Grenville*, qui & ipse *Equestris Ordinis* esse fertur, occupari, & quo in loco custodiabantur, effractis foribus atque artculis possideri: hoc solo titulo, deberi sibi nescio quid à *Theophilo Suffolchienſi Comite defuncto*, ex quodam nostræ *Curiæ Cancelleriae* decreto, eaque proinde bona quasi *Theophili Comitiis* essent, eique decreto obnoxia, se referenda in tabulas curasse: cum ex nostris legibus neque ipse Comes, qui nunc est, & cuius hæc bona sunt, eo decreto teneatur, neque bona ejus occupari aut retineri debeant: id quod ex sententiâ ejusdem Curiæ unâ cum hisce literis ad vos missâ, declaratur, quas quidem literas supradictus *Carolus Harbordus* à nobis petiit, uti per eas *Celsitudinem vestram* rogatam vellemus, ut bona illa & recentione omni, & iniquâ istâ *Richardi Grenvilli* actione, primo quoque tempore liberentur: cum hoc contra morem jusque Gentium planè sit, at cuiquam in aliena citione eâ de re aëlio detur, quæ in ea regione, ubi causa actionis orta est, legitimè dari non possit. Hanc causam ut *Celsitudini vestræ* commendaremus, & ipsa justitiae ratio, & prædicata passim vestra æquanimitas permovit. Quod siquo tempore usus venerit, ut de jure aut commodis vestrorum apud nos agatur, haud remissâ profecto nostra studia, immo omni tempore propensissima experturos vos esse polliceor.

*Celsitudinis Vestra Studioſissimus,  
Oliverius, Protector Reip. Angliae, &c.  
Supp. 1658*

*Westmonasterio.*

## Supreme Curie Parlamenti Parisiensis.

**N**O S Commissarii Magni Sigilli Angliae, &c. Supremam Curiam Parlamenti Parisiensis rogatam volumus curare velit uti Miles, Gulielmus, & Maria Sandys defuncti nuper Gulielmi Sandys & Elisabethae Soama Uxorius ejus liberi, natione Angli, aetate nondum adulta, Parisii, ubi nunc in supradictae Curiae tutela sunt, ad nos quamprimum redire possint; eosque liberos Jacobo Morato Scoto, viro probo atque honesto velit committere, cui nos hanc curam delegavimus, ut eos & inde acciperet, & ad nos huc adduceret: recipimusque, occasione hujusmodi oblatam, jus idem atque aequum subditis Galliae quibuscumque ab hac Curia redditum iri.

---

# LITERÆ

## Richardi Protectoris

### Nomine scriptæ.

Richardus Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi Ludovico Galliarum Regi.

Serenissime ac Potentissime Rex, Amice ac Fæderate,

**C**UM Serenissimus Pater meus gloriose memoriae Oliverius Reip. Anglie Protector, omnipotente Deo sic volente, supremum jam diem tertio Septembbris obierit, Ego Successor ejus in hoc magistratu legitimè declaratus, tametsi in summo mœrore ac luctu, non potui tamen quin de re tanta primo quoque tempore Majestatem Vestram per literas certiorem facerem, quam & mei patris & hujus Reip. amicissimam hoc nuntio repentinò haud lætaturam esse confido. Meum nunc est à Vestra Majestate petere, de me sic velit existimare, ut qui nihil deliberatus in animo habeam, quam societatem & amicitiam quæ glorioissimo meo parenti vestra cum Majestate fuit, summâ fide atque constentiâ colere; ejusque foedera, consilia, rationes vobiscum institutas eodem studio ac benevolentia observare ratasque habere: Legatum proinde apud vos nostrum eadem qua prius potestate prædictum volo: quicquid id nostro nomine vobiscum egerit, ita accipere velitis rogo quasi à me ipso actum id esset. Vestra denique Majestati comprecor fausta omnia.

Westmonasterio ex Aula Nostra. 5. Septemb. 1658.

Eminentissimo Domino Cardinali Mazarino.

Eminentissime Domine;

**Q**uanquam nihil mihi acerbius accidere potuit, quam de Serenissimi & præclarissimi Patris mei obitu scribere, tamen cum sciam quanti ille fecerit Eminentiam Vestram, quanti vos illum, neque dubitem quin Eminentia Vestra, cui summa Rei Gallicæ commissa est, amici ac foederati tam constantis tamque juncti

uncti morte in molestissime latura sit, permagni referre arbitratus sum, ut eum quoque, sicut cum Rege, de hoc casu gravissimo per literas monerem; vobis que etiam, quoniam id aequum est, confirmarem, me ea omnia sanctissimè præstitum ad quæ præstanta vobis, rataque habenda Serenissime memorie Pater meus foedere tenebatur: perficiantque ut illum, irtote vobis amicissimum omnique laude florentem, cum amissum merito doletis, quam minime tamen quæ ad servatam societatis fidem attinet, desideretis: cui etiam ad ueniensque Gentis commune bonum vestra quoque ex parte salvandæ Deus Luminarium Vestram quādiutissimè conservet.

*Westmonasterio. Septemb. 1658.*

Richardus Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi Carolo Gustavo Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, &c.

Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate;

C U M videar mihi paternam virtutem vix satis posse imitari, nisi easdem quoque amicitias colam & refinere cupiam, quas ipse & virtute sibi quæsivit, & sibi esse maxime colendas ac retinendas iudicio singulari duxit, non est quod dubitet *Majestas Vestra* quin eodem se prosequi studiò ac benevolentia debéam quā Pater meus memorie serenissimæ est prosecutus. Tametsi igitur in hoc magistratus ac dignitatis initio non eo loco res nostras reperiāt ut in præsencia possim ad quædam capita respondere, quæ Oratores vestri in medium protulerunt, tamen & institutum à patre foedus cum *Majestate Vestra* continuare & arctius etiam conjungere mihi quidem magnopere placet; rerumque utrinque statum simulac pleniū intellectuero, ad ea transigenda quæ cum utriusque reip. commodis potissimum conjuncta esse videbuntur, ero equidem temper, ad me quod attinet, promptissimus. Deus interim *Majestatem Vestram* ad gloriam suam, & *Orthodoxæ Ecclesiæ* tutelam atque præsidium quam diutissimè conservet.

*Westmonasterio ex Aula nostra. Octob. 1658.*

Richardus Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo ac Potentissimo Principi Carolo Gustavo, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Mægno Principi Finlandie, Duci Scaniae, Esthoniae, Careliae, Bremæ, Verda, Stetini, Pomeraniae, Cassubiae & Vandaliæ, Principi Rugie, Domino Ingriae, & Wismarie, necnon Comiti Palatino Rheni, Bavariae, Juliaci, Cliviae & Montium Ducis.

Serenissime, Potentissime Rex, Amice ac Fœderate;

B INAS accepi à *Majestate Vestra* literas; alteras per nuncium suum, alteras Legato nostro D. Philippo Meadows, ad me transmissas. Ex quibus non solum dolorem suum de obitu Patris mei Serenissimi veris animi sensibus expressum, deque ipso *Majestatu Vestra* quādiutissimè praclarè senserit, verum etiam de me quoque ejus in locum suspecto quantum spem ceperit cognovi. Et ad paternæ quidem laudis cumulum nihil posthac amplius aut illustrius tanto authore accedere potest meis certe in capessenda *Repub.* auspiciis nihil felicius tanto Gratulatore, ad virtutes denique patrias tanquam hæreditatem optimam adeundas nihil quod accendar vehementius tanto hortatore potuit accidere. Ad rationes *Majestatis Vestrae* de communi Protestantium causa nobiscum initas quod spectat, sic velim existimet, me quidem ex quo ad hæc gubernacula accessi, quanquā eo loco res nostræ sunt, ut summam diligentiam, curam, vigilantiam domi potissimum requirant, nihil tamen antiquius aut deliberatius habuisse aut habere quam paterno foederi cum *Majestate Vestra* percusso quantum in me erit non deteste. Classem itaque in mare *Balticum* mittendam cum iis mandatis curavi quæ Internunciis noster quem ad hoc totum negotium amplissimè instruximus, *M. me-*

*stati Vestrae communicabit. Quam Deus Opt. Max. in columem prosperisque rerum successibus fortunatissimam ad Orthodoxam fidem tutandam diutissime conservet.*

*Westmonasterio ex Aula nostra, die 13 Octob. 1658.*

*Richardus Protector Serenissimo ac Potentissimo Principi Carolo Gustavo,  
Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi, &c.*

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fæderate;*

**M**odo ad Majestatem Vestram, quo nihil dignius aut præstantius possum mittere, Virum verè egregium, vereque Nobilem Georgium Aiscoum, Equitem auratum, non solum belli, & navalis præsertim scientiâ multis ex rebus fortiter gestis cognitum jam saepe atque spectatum, verum etiam probitate, modestiâ, ingenio, doctrinâ prædictum, moribus suavissimis nemini non charum, &, quod nunc caput rei est, sub signis Majestatis Vestrae virtute bellicâ toto orbe terrarum florentissimæ jam diu mereri cupientem. Velimque sic habeat Majestas Vestra, quicquid huic Viro muneric commiserit, in quo fides, fortitudo, experientia constare vel etiam prælucere possit, neque fideliori neque fortiori, nec facile peritiori posse se quicquam committere. Quæ autem ego illi negotia dedero communicanda Vestra Majestati, in iis expeditum aditum, aurem benignam velit rogo præbere, eamque fidem, quam nobis metipls coram suis habitura; eum denique honorem, quem tali viro & suis meritis & nostrâ commendatione ornatus conuenire judicaverit. Deus res vestras ad gloriam suam & Orthodoxæ Ecclesiæ præsidium felici exitu fortunet.

*Westmonasterio ex Aula nostra, die Octob. 1658.*

*Richardus Protector Reip. Anglie, &c. Serenissimo Potentissimoque Principi Carolo Gustavo, Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi, &c.*

*Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fæderate Charissime;*

**D**icitur ad nos per libellum supplicem Samuel Piggottus, Londinensis Mercator, se nuper naves duas ( quarum alteri nomen Poste, magister Tiddens Jacobus; alteri The Water-Dog, magister Garbrand Peters ) Londino in Galliam negotiandi causa misisse; eas inde sale onustas Amsterdamum petisse; Amsterodamo alteram saburrâ tantum, alteram halece impositas cuius cum Petro quodam Heinsbergo Societas erat in mare Balticum Stetinum utque Pomerania, quæ in vestia citione est, ad exponendam illic halecem navigasie; verum utrasque hasce naves accepisse se alicubi maris Baltici à copiis quibusdam vestris detineri; tametsi ut huic malo occurreret cum utraque nave syngrapham sigillo curiae mari- tum ob signata unâ curaverit mittendam, qua & navium harum & mercium, exceptâ halecis parte supradictâ, unum se esse ac legitimum dominum demonstraret. Cujus rei cum fidem apud nos plenam fecerit, peto magnopere à Majestate Vestra ( quandoquidem duarum navium jactura sine summo hominis detimento fortunatumque forte omnium naufragio vix posse accidere videtur ) uti mandet iuis atque imperet illarum navium liberam primo quoque tempore dimissi. nem. Deus Majestatem Vestram ad gloriam suam, Ecclesiæque Orthodoxæ præsidium quam diutissimè servet in columem.

*Westmonasterio ex Aula nostra, Jan. 27. An. 1658.*

Richardus Protector Reip. Angliae, &c. Celsi & Potentibus Dominis  
Occidentalis Frisiæ Potestatibus. S. D.

I Celsi & Potentes Domini, Amici ac Fœderati Charissimi;

**G**ravem ad me detulit querelam per libellum supplicem Mariæ Grindera vi-  
dua, cum sibi à Thoma Killegrave vestro milite pecunia bene magna ante annos octodecim debeatur, se eum ne nullo modo adducere per Procuratorem  
posse, neque ut debitum solvat, neque ut de jure suo, si quid sit, velic lege ex-  
periri; id ne à procuratore viduæ cogi possit, petisse eum à Celititudinibus vestris  
per libellum supplicem ne cui liceat eum lege persequi ullius pecuniae ab se in  
Anglia debita. Ego verò si Celititudinibus vestris hoc tantum significavero, vi-  
duam esse, egenam esse, multorum matrem parvolorum, cujus ille omnes prope  
fortunas avertere conatur, non committam ut apud vos, quibus divina præcepta  
atque adeo de viduis pupillisque non opprimendis notissima esse confido, gravi-  
ore ulla utendum colortatione putem, ne hoc fraudandi privilegium petitioni  
istius concedere velitis: id quod nunquam concessuros vos esse mihi persuadeo.

Westmonast. ex Aula nostra, Jan. 27. 1658.

235

Richardus Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo Potentissimoque Pri-  
cipi Ludovico Gallie Regi.

Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fœderate Augustissime;

**A**ccepimus, idque non sine dolore, quasdam in Provincia Protestantes Eccle-  
sias ab homine quoddam male feriato ita indignè suiste in sacris cœacionibus  
interpellatas, ut ea res magistratis, ad quos hujus causæ cognitio Gratianopolii  
ex lege pertinebat, gravi animadversione digna centeretur: sed Conventum  
Cleri, qui iis in locis proximè habebatur, à Majestate Vestra impetrasse, ut res  
integra Parisios ad Concilium Regium revocaretur: A quo dum nihil haec tenus  
decernitur, Ecclesias illas & præsertim Aquariensem, convenire ad colendum De-  
um prohiberi. Vehementer itaque à Majestate Vestra etiam atque etiam peto,  
primum, ut quorum preces ad DEUM pro salute sua rebusque Regni prof-  
peris non interdicit, eorum coitus publicos ad precandum interdicere ne velit:  
deinde ut in illum hominem iei divinæ interpellatorem ex sententia illorum ju-  
dicum, quibus hujusmodi causarum legitima acque consueta cognitio Gratianopolii  
data est, animadvertisatur. Deus Majestatem Vestram quam diuturnam atque in-  
columem conservet; ut si haec nostra vota vobis accepta sunt, Deoque grata esse  
existimatis, eadem ab illis etiam Protestantibus Ecclesiis quibus nunc interdicitur,  
pro vobis publice fieri, sublato illo interdicto, quam primum velit.

Westmonasterio. 18. Feb. An. 1658.

Eminentissimo Domino Cardinali Mazarino.

Eminentissime Domine Cardinalis;

**P**roficiuntur in Galliam, ibique ad tempus commorari cogitat Illustrissima  
Domina defuncti nuper Ducis Richmondiæ Uxor cum Pace filio Adolescentulo.  
Eminentiam itaque Vestram magnopere rogo, ut siquid acciderit in quo iis  
vestrâ authoritate, favore, patrocino, utpote peregrinis, usus esse possit, ita  
eorum dignitatem tueri, vobisque haud vulgariter commendatam rebus omnibus  
habere velitis, ut ad vestram humanitatem erga omnes, præsertim tam illustri  
generi oriundos, eximiam, sentiant nostris literis quod accedere potuit cumuli  
accessibile: simul & hoc sibi persuadeat Eminentia Vestra commendationem tuam,  
si quid à me hujusmodi postulabit, apud me non minus valituram.

Westmonasterio. 29. Feb. 1658.

\* H h 2

Ri-

Richardus Protector Reip. Angliae, &c. Serenissimo ac Potentissimo Erin-  
cipi Joanni Portugallie Regi.

Serenissime Potentissimeque Rex, Amice ac Fæderate;

**T**Ametsi multa sunt quæ ad Regem amicum & Reip. nostra conjunctissimum necessarium scribam, nihil est tamen quod faciam lidentius quam quod nunc facio, ut Majestati Vestræ, Regnoque Portugallæ insignem hanc proximam de communi hoste Hispano victoriam gratuler: qua non ad vestram tantummodo, verum etiam ad Europe totius pacem ac respirationem, permagnum, atque in multis fortasse annos, allatum esse momentum nemo est quin intelligat. Alterum est in quo Victoriarum certissimum pignus justitiam Majestatis Vestræ agnoscam, qua ex articulo foederis 24. per arbitros Londini datos, mercatoribus nostris est satisfactum, quorum naves onerarias Brasilensis Societas conduxit. Unus est Alexander Bencius, Mercator Londinensis, cui, cum navis ejus, quæ Tres Fratres vulgo nominatur, magistro Joanne Wilkio, duas navigationes conducta onerataque navaverit, pactum stipendum persolvere Societas recusat: cum cæteris qui semel tantum navigarunt, jampridem persolutum sit. Quod cur sit factum non intelligo nisi eorum judicio mercede dignior est, qui semel quam qui bis meruerit. Vehementer itaque peto à Majestate Vestræ, ut huic uni Alexandro cui duplum debetur, debita navatae operæ satisfactio ne defiat; velitque pro authoritate sua quam brevissimum solationis diem damnique simul sarcendi Socii Brasilensis constituere: quorum dilationibus effectum est ut datum inde mercatori damnum mercedem ipsam jam pene superet. Deus Majestatem Vestræ laetis rerum successibus contra hostem augere indies & fortunare perget.

Westmonasterio ex Aula nostra, 23. Feb. An. 1658.

Richardus Protector Reip. Angliae, &c. Eminentissimo Domino Cardinali Mazarino.

Eminentissime Domine;

PER literas ad Eminentiam Vestræ octo circiter abhinc mensibus Jun. 13. datas, causam Petri Pettii, viri & singulari probitate prædicti & egregiis artibus in re navalی nobis Reisque publicæ utilissimi, commendavimus. Ejus nave Edwardo anno 1646. à quodam Gallo, cui nomen Basconi, Thameſis in ostio, ut scripsimus, captiа, & in portu Bononiensi venditа, quanquam Rex in Consilio Regio 4. Novemb. anno 1647. decreverat, ut quam censuisset Consilium pecunia summae damni accepti loco dandam, satisfactioni daretur, is tamen ex eo decreto nihilum se fructuо percepisse ostendit. Cum autem dubium mihi non sit, quin Eminentia Vestræ meo rogatu id omne mandaverit quod ad decretum illud primo quoque tempore exequendum pertineret, denuo nunc majoremque in modum peto, ut videre velit quid impedimento sit, cuiusve negligentia aut contumacia factum, ut decreto Regio post annos jam decem non obtemperetur; velitque pro sua authoritate instare, ut decreta illa pecunia, quam irrogatam jamdiu existimamus, & exigatur quamprimum, & petitori nostro solvatur. Ita remi justitiae imprimis gratam Eminentia Vestræ fecerit, & à me singularem præterea gratiam inierit.

Westmonasterio ex Aula nostra, 22. Feb. 1658.

Duæ sequentes Literæ, RICHARDO abdicato, Restituti Parlamenti nomine scripti sunt.

---

*Parlementum Reipub. Anglie serenissimo potentissimoque Principi Carolo Gustavo, Suecorum, Gothorum, Vandalarumque Regi, &c.*

*Serenissime potentissimeque Rex, Amice charissime,*

**C**UM visum sit Deo optimo atque omnipotenti, penes quem solum conversiones omnes Regnorum, Rei umque publicarum sunt, Nos pristinæ auctoritati summaeque Rerum Angliae administrandæ restituere, & Majestatem Vestram eâ de re certiore esse faciendam imprimis duximus, & vobis porro significandum, nos cum Majestatis vestrae utpote Protestantium Principis potentiissimi tum pacis inter vos Daniæque Regem, & ipsum quoque Protestantium Principem præpotentem, non sine nostra opera atq; officio benevolentissimo reconciliandæ, quantum in nobis situm est, esse studiosissimos. Volumus itaque ut Internuntio nostro extraordinario, *Philippe Meadowes*, quo munere ab hac Repub. apud Majestatem Vestram haec tenus fungitur, idem omnino munus nostro nunc nomine prorogetur: eique adeo his nostris literis potestatem proponendi, agendi, transfigendi cum Majestate Vestra facimus planè eandem quæ ei proximis literis commendatitiis facta est: quicquid ab eo transactum nostro nomine atque conclusum erit, id omne ratum nos esse habituros, Deo bene juvante, nostrâ fide spende-mus. Deus ille Majestatem Vestram quam diutissime conservet, rebus Protestantium columen atque præsidium.

*Guil. Lenthall, Prolocutor Parlamenti Reipub. Anglie,*

*Westmonasterio. Maii 15. An. 1659.*

---

*Parlementum Reipub. Anglie serenissimo Principi Frederico Daniæ Regi.*

*Serenissime Rex, Amice Charissime,*

**C**UM voluntate ac nutu summi rerum omnium moderatoris Dei Opt. Max. factum sit ut nos demum restituti, pristinum locum atque munus in Republica gerenda obtineamus, placuit imprimis ea de re nec Majestatem Vestram, utpote Vicinum nobis & Amicum Regem, esse celandam, & quem ex adversis rebus vestris capiamus dolorem simul esse significandum: id quod ex eo studio eaque diligentia nostrâ facile perspicietis quam ad pacem inter Majestatem Vestram Regemque Suecia reconciliandam & adhibemus nunc, &c, quoad opus erit, adhibebimus. Quapropter Internuntio nostro ad Serenissimum Suecorum Regem Extraordinario *Philippe Meadowes* negotium dedimus, ut Majestatem Vestram his de rebus nostro deinceps nomine adeat, ea communiceat, proponat, agat atque transfigat, quæ commissa sibi à nobis & mandata esse oiten-det. Quam ei fidem Majestatis Vestrae hoc in munere habueit, eam nobis in epis-tolis habere se credit, rogamus. Deus Majestati Vestre ex illis omnibus rerum suarum difficultatibus, in quibus tamen sorti & magno animo versatur, felicem lœtumque exitum primo quoque tempore concedat.

*Guil. Lenthall, Prolocutor Parlamenti Reipub. Anglie,*

*Westmonasterio. Maii 15. An. 1659.*



# Artis Logicæ

Plenior Institutio,

Ad PETRI RAMI

Methodum concinnata.

Adiecta est Praxis Analytica & PETRI RAMI  
Vita. Libris duobus.

## P R A E F A T I O.

**Q**uanquam Philosophorum multi, suopte ingenio freti, contempsisse artem Logicam dicuntur, eorum tamen qui vel sibi, vel aliis propter ingenium aut judicium natura minus acre ac perspicax utilissimam esse sibi diligenter excolendam judicarunt, optime est de ea meritus, ut ego quidem cum *Sidneio* nostro sentio, *Petrus Ramus*, Cæteri fere Physica, Ethica, Theologica Logicis, effraenata quadam licentia, confundunt. Sed noster dum brevitatem sectatus est nimis religiose, non plane luci, sed libertati tamen lucis, quæ in tradenda arte, non parca, sed plena & copiosa esse debet, videtur defuisse: id quod tot in eum scripta commentaria testantur. Satis itaque sum arbitratus, quæ ad præcepta artis plenius intelligenda, ex ipsis Rami scholiis Dialecticis aliorumque commentariis necessario petenda sunt, ea in ipsum corpus artis, nisi sicubi diffentio, transferre atque intexere. Quid enim brevitate consequimur, si lux aliunde est petenda? Præstat una opera, uno simul in loco artem longiusculam cum luce conjungere, quam minore cum luce brevissimam aliunde illustrare; cum hoc non minore negotio multoque minus commode hactenus fiat, quam si ars ipsa ut nunc suopte copia se fuse explicaverit. Quam artis tradendæ rationem ubiorem ipse etiam *Ramus* in Arithmeticæ & Geometriæ aliquanto post à se editis, edocetus jam longiore usu, secutus est; suasque ipse regulas interjecto commentariolo explanavit, non aliis explanandas reliquit. Quorum cum plerique nescio an nimio commentandi studio elati, certe omnis methodi quod in iis mirum sit, obliti, omnia permisceant, postrema primis, axiomata Syllogismos eorumque regulas primis quibusque simplicium argumentorum capitibus ingerere soleant, unde caliginem potius discentibus offundi quam lucem ullam præferri necesse est, id mihi cendum imprimis duxi ut nequid præriperem, nequid præpostere quasi traditum jam & intellectum, nequid nisi suo loco attingerem; nihil veritus, ne cui forte strictior in explicandis præceptis existimer, dum per pendenda magis quam percurrenda proponere studebam. Nec tamen iis facile assenserim, qui paucitatem regularum objiciunt *R. mo*, quarum permulta etiam ex *Aristotele* ab aliis collectæ, nedum quæ ab ipsis cumulo sunt adjectæ, vel incertæ vel sutiles, discentem impediunt atque onerant potius quam adjuvant: ac siquid habent utilitatis aut ius, id ejusmodi est, ut suopte ingenio quivis facilius percipiat, quam tot canonibus memoriae mandatis, addiscat. Multoque minus constitui, canones quidvis potius quam Logicos, à Theologis infercire; quos illi, quasi subornatos in suum usum, tanquam è media Logica petitos, depromant de Deo, divinisque hypothesisib⁹ & sacramentis; quorum ratione, quo modo est ab ipsis informata, nihil est à Logica, adeoque ab ipsa ratione, alienius,

Pius autem quam opus ipsum aggredior, quoniam ars Logica omnium prima est tuique finibus latissime patet, præmittam quadam de arte generalia, deque artium distributione; artem deinde ipsam persequar: ad extremum, Analytica quadam exempla, sive usum artis, exercitationis causa, iis quibus opus est, & in eo genere exercere se libet, exhibeo: Quibus opus est inquam; quibus enim ingeniem per se vigeat atque pollet, iis ut in hoc genere Analytico cum labore nimio ac miseria se torqueant, non sum author. Ad id enim ars adhibetur, ut naturam juver, non ut impedit: adhibita nimis anxie nimisque subtiliter, & per accidens ubi opus non est, ingenium per se jam satis acutum, obtundit potius quam acuit; ita plane ut in medicina remediorum usus vel nimius vel non necessarius, valetudinem debilitatem potius quam roborat. Quod autem Aristotelis aliorumque veterum auctoritatem ad singulas fere Logicæ regulas adjungimus, id quidem in tradenda arte supervacuum fuisset, nisi novitatis suspicio, quæ Petrus Ramus hactenus potissimum obscurus, adductis ipsiis veterum authorum testimoniis, esset amolienda.

Artium omnium quasi corpus & comprehensio, ἐνυπλοπαιδεία, Græce, i. e. eruditus circuitus quidam in se redeuntis, adeoque in se absolutæ atque perfectæ vel Philosophia dicitur. Hæc cum sapientiae studium propriæ significat, tum vulgo artium omnium vel doctrinam, vel scientiam: doctrinam, cum præcepta artium tradit; scientiam, cum ars, quæ habitus est quidam mentis, præceptis illis percipitur, qualique possidetur. Eodem modo & artis significatio distinguitur: cum doctrinam significat, de qua nobis potissimum hic est agendum, est ordinata præceptorum exemplorumque comprehensio sive methodus, qua quidvis utile docetur.

Artis materia præcepta sunt: quæ qualia esse debeant, artis Logicæ, quam nunc tradimus, proprium est suo loco præscribere.

Forma sive ipsa ratio artis, non tam est præceptorum illorum methodica dispositio, quam utilis alicujus rei præceptio: per id enim quod docet potius, quam per ordinem docendi, ars est id quod est: quod ex cujusque artis definitione perspicitur, ut infra ostendetur.

Præceptorum artis tria genera sunt: duo præcipua *definitiones & distributiones*; quarum doctrinam generalem Logica etiam loco idoneo sibi vindicat; tertium, minus principale, *consuetudinem* nominatur; estque proprietatis alicujus explicatio, ex definitione fere deducta.

Exempla sunt quibus præceptionum veritas demonstratur, ususque ostenditur: suntque, ut scite Plato, quasi obssides sermonum: quod enim præcepto in genere doceatur, id exemplo in specie confirmatur.

Ethiciens artis primarius neminem reor dubitare quin sit Deus, author omnis sapientiae: id olim Philosophos etiam non fugit.

Causæ ministræ fuerunt homines divinitus edocti, ingenioque præstantes; qui olim singulas artes invenerunt. Inveniendi autem ratio eadem prope fuit quæ pingendi: ut enim in pictura duo sunt, exemplum sive archetypus, & ars pingendi, sic in arte invenienda, archetypo responder natura sive usus, & exemplum hominum peritorum, arti pictoris responder Logica; saltē naturalis, quæ facultas ipsa rationis in mente hominis est; juxta illud vulgo dictum, Ars imitatur naturam.

Ratio autem sive Logica, primum illa naturalis, deinde artificiosa, quatuor adhibuit sibi quasi adjutores, teste Aristot. Metaphys. I. c. I. sensum, observationem, inductionem, & experientiam. Cum enim præcepta artium generalia sint, ea nisi ex singularibus, singularia nisi sensu percipi non possunt: sensus sine observatione, quæ exempla singula memoriarum committat, observatio sine inductione, quæ singularia quam plurima inducendo generalem aliquam regulam constituat, inductio sine experientia, quæ singularium omnium convenientiam in commune & quasi consensum judicet, nihil juvat. Hinc recte Polus apud Platonem in Gorgia, experientia artem peperit, imperitia fortunam, i. e. præcepta fortuita, adeoque incerta. Et Aristot. Prior. I. c. 30. cujusque rei principia trahere, experientia est: sic Astrologica experientia, illius scientiæ principia suppeditavit. Et Manilius;

Per varios usus artem experientia fecit,  
Exemplo monstrante viam —————

*Et Cicero; omnia quæ sunt conclusa nunc artibus, dispersa quondam & dissipata fuerant, donec exhibita hæc ars est, qua res dissolutas divulsasque conglutinaret & ratione quadam constringeret. Ea ars Logica est, vel hæc saltem naturalis, quam ingenitam habemus, vel illa artificiosa, quam mox tradimus: hæc enim præcepta artis invenit ac docet. Hactenus de efficientibus causis artium.*

Forma artis, ut supra dixi, non tam præceptorum dispositio est, quam præceptio ipsa rei alicujus utilis, eademque est finis. Quemadmodum enim non tam præceptorum Logicorum methodica dispositio quam ipsum bene differere, & forma Logicæ & finis est, ut infra docebitur, ita in genere non solum præceptorum dispositio, sed ipsa rei utilis præceptio forma artis & simul finis est: quod autem præcipitur, id esse utile in hominum vita debere, quod *Graci*, Θιωφελές vocant, omnes consentiunt; indignamque esse artis nomine, quæ non bonum aliquod sive utile ad vitam hominum, quod idem quoque honestum sit, sibi proponat, ad quod omnia præcepta artis referantur; adeoque formam artis esse rei alicujus utilis præceptionem, per quam scilicet ars est id quod est, necessario sequitur. Verum ad hunc finem perveniri non potest, nisi doctrinam natura comode percipiat, exercitatio confirmet, utræque simul doctrina & exercitatio artis quasi alteram naturam reddant. Sed ingenium sine arte, quam ars sine ingenio plus proficere censetur: proficere autem non admodum utrumque nisi accesserit exercitatio: unde illud *Ovidii*;

*solum, & artificem qui facit, usus erit.*

Exercitatio duplex est; analysis & genesis. Illa est, cum exempla artis in sua principia quasi resolvuntur, dum singulis partibus ad normam, i. e. ad præcepta artis examinantur: hæc, cum ex artis præscripto efficiamus aliquid aut componimus.

Hactenus causæ artium: sequuntur species. Artes sunt generales vel speciales: generales, quarum materia subjecta est generalis. Materia autem illa vel artificis est, vel artis. Artificis materia generalis generalibus cunctis artibus est communis; artis autem, singularum est propria: estque artificis quidem generalis materia, omne id quod revera est, aut esse fingitur; artis, quod in eo omni efficiunt singulæ. Id omne vel ratio complectitur, vel oratio: generalium itaque artium materia generalis, vel ratio est, vel oratio: versantur enim in excolenda vel ratione ad bene ratiocinandum, ut Logica; vel oratione, eaque vel ad bene loquendum, ut Grammatica, vel ad dicendum bene, ut Rhetorica. Omnium autem prima ac generalissima, Logica est; dein Grammatica, tum demum Rhetorica; quatenus rationis usus sine oratione etiam magnus, hujus sine illa potest esse nullus. Grammaticæ autem secundum tribuimus locum, eo quod oratio pura esse etiam inornata; ornata esse nisi pura sit prius, facile non queat.

Artes speciales sunt, quæ materiam habent specialem; nempe naturam fere vel mores: earum enim accuratior distributio non est hujus loci.

## ARTIS LOGICÆ

Plenior Institutio, &amp;c.

LIBER PRIMUS.

## C A P U T I.

*Quid sit Logica?*

**L**Ogica est ars bene ratiocinandi. Eodemque sensu Dialectica sæpe dicta est.

Logica autem, i.e. ars rationalis, ἡ λόγω dicitur: quæ vox Græcè rationem significat; quam excolendam Logica sibi sumit.

Ratiocinari autem est rationis uti facultate. Additur bene, i.e. recte, scienter, expedite; ad perfectionem artis ab imperfectione facultatis naturalis distinguendam.

Logicam potius, quam cum *P. Ramo* Dialecticam, dicendam duxi, quod eo nomine tota ars rationis aptissimè significetur; cum Dialectica à verbo Græco διάλεξις, artem potius interrogandi & respondendi, i.e. disputandi significet; ut ex Platonis Cratyllo, ex doctrina Peripateticorum & Stoicorum, Fabio, Smida aliisque docetur. Et tamen Plato in Alcibiade primo idem vult esse τὸ διαλέγεσθαι, quod ratione uti. Prior significatio ad rationis usum nimis angusta est; posterior, si inter authores de ea non convenit, nimis incerta.

Ratiocinandi autem potius dico quam differendi, propterea quod ratiocinari, non minus late quam ipsa ratio, idem valet propriè quod ratione uti; cum differere, præterquam quod vox non planè propria, sed translata sit, non latius plerumque pateat, quam disputare.

Addunt nonnulli in definitione subjectum Dialecticæ, i.e. de re qualibet: sed hoc cum Grammatica & Rhetorica commune Dialecticæ fuit, ut in proœmio vidimus; non ergo hic repetendum.

## C A P. II.

*De partibus Logicae, & deque Argumenti Generibus.*

**R**atiocinatio autem fit omnis, rationibus vel solis & per se consideratis, vel inter se dispositis; quæ argumenta etiam sæpius dicta sunt.

Logicæ itaque partes duæ sunt; rationum sive argumentorum inventio, eorumque dispositio.

Secutus veteres *Ramus*, *Aristotelem*, *Ciceronem*, *Fabium*, Dialecticam partitur in inventionem & judicium. Verum non inventio, quæ nimis lata est quoconque modo sumatur, sed argumentorum inventio, pars prima Logicæ dicenda est: dispositio autem eorum, cur sit secunda, non judicium, secundi libri initio responderemus. Sed neque hæc partitio suis auctoribus vel iisdem vel aliis caret: *Plato*, in phædro, dispositionem inventioni addidit; *Aristoteles* τὸ δέννον; *Top.* 8. 1. quod idem est. Et *Cicero*, de Orat. fatetur, inventionem & dispositionem, non orationis esse, sed rationis.

Inventionem autem & dispositionem quarum tandem rerum nisi argumentorum.

Argumentorum itaque inventio *Topica* Græcè nominatur; quia τίτης continet, i.e. locos unde argumenta sumuntur, viamque docet & rationem argumenta bene inveniendi, suo nimis ordine collocata; unde vel ad genesin expromuntur,

mantur, vel in analysi explorentur, inventorumque simul vim atque usum exponit.

*Argumentum est quod ad aliquid arguendum affectum est.* Id est, quod habet affectionem ad arguendum; vel ut Cic. in Top. quod affectum est ad id de quo queritur: id interpretatur Boethius refertur, vel aliqua relatione respicit id de quo queritur.

Ista affectione sublatâ, argumentum non est; mutatâ, non est idem; sed ipsum quoque mutatur.

Ad arguendum autem, i. e. ostendendum, explicandum, probandum aliquid. Sic juxta illud tritum, *degeneres animos timer arguit*, Aeneid. 4. & illud Ovidii; Apparet virtus, arguiturque malis. Explicare autem & probare etiam simplicis argumenti propria atque primaria vis est, unde aliud ex alio sequi, vel non sequi, i. e. uno posito, alterum ponи vel non ponи primitus judicatur: quod de inductione quidem recte monuit Baconus noster, de Augment. scient. l. 5. c. 4. *uno eodemque mentis opere*, illad quod queritur, & inveniri & judicari: sed hoc de singulis argumentis simplicibus non minus verum est.

Ex quo etiam sequitur, judicium non esse alteram Logicæ partem, sed quasi effectum utriusque partis communem & ex utraque oriandum; Ex syllogismo in re præsertim dubia clarius quidem at secundario tamen contra ac plerique docent.

Aliquid autem, est id quocunque arguitur: quicquid enim est, aut esse finitur, subiectum est Logicæ, ut supra demonstravimus. Argumentum autem propriè neque vox est neque res; sed affectio quedam rei ad arguendum; que ratio dici potest ut supra.

Tractat igitur Logica neque voces, neque res. Voces quidem, quamquam & sine vocibus potest ratiocinari, tamen, quoties opus est, distinctas & tantum non ambiguas, non impropias, ab ipso usu loquendi videtur jure sane postulare: res ipsas artib. quasque suis reuinquit; arguendi duntaxat inter se quam habeant affectionem sive rationem considerat.

Ratio autem dicitur, voce à Mathematicis petita, qua terminorum proportionalium inter se certa habitudo significatur.

*Argumentum est artificiale aut inartificiale.* Sic Aristot. Rhet. 1. 12. quem Fabius sequitur, l. 5. c. 1. Cicero in insitum & assumptum dividit. Artificiale autem dicitur, non quo inveniatur arte magis quam inartificiale, sed quod ex se se arguit, i. e. vi insita ac propria.

*Artificiale est primum, vel à primo ortum.* Primum, quod est sua originis. Id est, affectionem arguendi non modo in se habet, sed etiam à se; quod infra clarius patebit, cùm quid sit à primo ortum docebitur.

*Primum est simplex aut comparatum.*

*Simplex, quod simpliciter & absolute consideratur.* Id est, simplicem habet affectionem arguendi id quod arguitur, sine quantitatis aut qualitatis cum eo comparatione.

*Simplex est consentaneum aut dissidenteum.*

Nam quæ sine comparatione considerantur, necesse est vel consentiant inter se, vel dissidentiant.

*Consentaneum est quod consentit cum re quam arguit.* Id est, ponit, sive affirmat esse rem quam arguit.

*Eisque consentaneum absolute aut modo quodam.* Absolutè, i. e. perfectè; absolute enim est perficere. Aristotelis quoque hæc distributio est. Quæ autem absolute consentiunt, eorum alterum alterius vi existere intelligitur; & sic consentiunt causa & effectus. Aque hæc sunt argumentorum distributiones generales ex affectionum differentiis desumptæ; sc̄oque nunc ordine singulatim tractandæ: argumentorum autem omnium primum *causa* est; id quod per se quis intelligere potest.

## C A P. III.

## De Efficiente, procreante, &amp; conservante.

**C**ausa est, cuius vi res est. Vel, si ex capite superiore, quod intelligi memoriisque teneri potest, repetito est opus, causa est argumentum artificiale, primum, simplex, absolute consentaneum, cuius vi, vel facultate, res, i. e. effectum, arguitur esse vel existere. Nec maius definiatur causa quæ dat esse rei.

*Cuius* autem vi vel facultate, i. e. à quo, ex quo, per quod, vel propter quod res est, id causa esse dicitur. *Res* etiam, idem quod *aliquid* in definitione argumenti, vox generalis adhibetur, quæ significaret causam, sicut & reliqua argumenta, esse rerum omnium quæ vel sunt, vel finguntur: nam quæ revera sunt, veras; quæ finguntur, fictas causas habent.

Hinc intelligitur *causam* sine qua non, quæ vulgo dicitur, impropriè causam, & quasi fortuò, dici: ut cùm amissio rei alicujus dicitur causa recuperationis; quamvis amissio recuperationem necessariò præcedat. Neque enim causa sic intelligi debet, id quod & Cicero docuit, l. de Fato; ut quod cuique antecedat, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedat; i. e. ita ut res vi ejus existat. Hinc causa propriè dicta, *principium* quoque nominatur à Cic. l. de Nat. Deor. sed frequentius apud Græcos.

Causa autem est cuius vi res non solùm est, verùm etiam fuit, vel erit. Ut enim præcepta Logica de omni re, sic omnium præcepta artium de omni tempore intelligenda sunt; unde & æterna esse, veritatesque æternæ dicuntur.

Ex definitione autem causæ tertium illud artis præceptum, de quo in præfatione diximus, consecutarium hoc oritur: *primus hic locus inventionis, fons est omnis scientia; sciri que demum creditur cuius causa teneatur.*

Neque aliud est Aristotelis decantata illa demonstratio, quām qua effectum arguitur, probatur, cognoscitur, ponitur, ex causa posita; quodcunque illud demum causæ genus sit: ut cùm risibile probatur ex rationali, quippe, omnis homo est risibilis, quia rationalis: eoque erit clarior demonstratio, quo causa certior, propior, præstantior.

*Causa est efficiens & materia, aut forma & finis.* Cur sic causa dividatur quasi in duo genera anonyma, intrà in doctrina distributionis facilius intelligetur.

Quot autem modis alicujus vi res est, tot esse species causæ statuendum est. Modis autem quatuor alicujus vi res est; ut rectè Aristot. Phys. 2. 7. & nos suprà diximus; vel enim à quo, vel ex quo, vel per quod, vel propter quod res unaquaque est, ejus vi esse rectè dicitur. His modis nec plures inveniuntur, nec pauciores esse possunt: rectè igitur causa distribuitur in causam à qua, ex qua, per quam, & propter quam, i. e. efficientem & materiam, aut formam, & finem.

*Efficiens est causa, à qua res est, vel efficitur.* Ab efficiente enim principium movendi est; ipsa tamen effecto non ineat.

Ciceroni omnis causa efficiens nominatur: sic enim in Topicis; *primus est locus rerum efficientium, quæ causa appellantur: & de Fato; causa est quæ id efficit, cuius est causa.* Hinc sic ut *cansatum*, à causis licet omnib. ortum habens, effectum tantummodo vocitetur: unde hoc solum intelligitur, efficientem esse causam præcipuum atque primarium; omnem autem causam aliquo modo efficere.

*Efficientis eti, vera genera nulla sive species nobis apparent, ubertas tamen permagna modis quibusdam distinguitur.*

*Primo, quod procreet, aut tueatur.*

Sic pater & mater procreant; nutrix tuetur. Huc quoque omnium rerum inventores, auctores, conditores, conservatores re erendi sunt. Procreare igitur & tueri duo sunt modi quibus idem sœpe efficiens efficere solet: procreando quidem id quod nondum est, ut sit; conservando autem id quod jam est, ut porrò sit.

## C A P. IV.

## De Efficiente sola, &amp; cum aliis.

**S**ecundo, *causa efficiens sola efficit, aut cum aliis.* Earumque omnium sœpe alia principalis, alia minus principalis, sive adjuvans & ministra. Quam Cicero, in Partit. causam conficiēt vocat: & cuius, inquit, generis vis varia est, & sœpe aut major aut minor; ut & illa quæ maximam vim habet, sola sœpe causa dicatur. Hinc, Æneid. 9. N̄sus ab Euryalo socio transfert in se factæ cœdis & culpam & poenam; quasi solus auctor fuerit, quia fuit præcipuus. Et solitaria causa cum plerisque & principalibus & sociis, pro Marcello, variè adhibetur. Sed hæc duo exempla vide post finem in praxi analytica.

Causa minus principalis (ut quidam volunt) vel est impulsiva, quæ principalem quoquo modo impellit ac movet; vel est instrumentalis.

Impulsiva duplex est Græcisque vocibus receptis, *proegumena* dicitur, vel *procatastica*. Illa intus, hæc extrinsecus movet principalem: & vera si est, *occasio*; si ficta, *prætextus* dicitur.

Sic causa proeg. quæ intus movebat infideles ad persequendum Christianos (exemplis enim receptis hic uteamur) erat eorum ignorantia aut impietas, causa procat. erant nocturni conventus, vel potius quævis conventicula Christianorum. Olim interficiendi Christi causa proeg. erat Judeorum zelus ignarus: procat. objecta sabbathi violatio concionésque seditiones. Notandum autem est ubi causa proegumena, sive interna, non est, ibi causæ procatasticæ, sive externæ, vim nullam esse.

Ad causam autem procatasticam, ea sœpe referenda videtur, si omnino est in causis numeranda, quæ suprà dicta est *causa sine qua non*; siquidem quovis modo causam extrinsecus movere principalem dici potest.

*Instrumenta etiam in causis adjuvantibus connumerantur.* Quo argumento Epicurus, apud Cic. I. de nat. deor. disputat mundum nunquam esse factum, hoc etiam exemplum ad praxin retulimus. Instrumenta autem propriè non agunt, sed aguntur aut adjuvant. Et qui causam adjuvantem nullam nisi instrumenta habet, potest rectè solitaria causa dici: quanquam lata admodum instrumenti significatio admittitur; ut apud Aristot. Polit. I. 3. *instrumenta sunt animata, vel inanimata.* Quo sensu omnes ferè causæ adjuvantes & ministræ possunt *instrumentales* nominari.

Ad hunc locum referendus commodissimè videtur causarum ordo, quo alia dicitur *prima*, idque vel *absolutè*, ut Deus, vel in suo genere, ut sol, & ejusmodi quippiam; alia *secunda*; & sic deinceps, quæ à prima vel à prioribus pendet, & quasi effectum est. Alia deinde *remota* dicitur, alia *proxima*: quò spectat illud vulgo dictum; *quicquid est causa causæ, est etiam causa causati.* Quæ regula in causis duntaxat necessariò inter se ordinatis valet. Sed hæ causarum divisiones in Logica non magnopere sectandæ sunt; quandoquidem tota vis arguendi in causa proxima continetur; déque ea sola generalis definitio causæ intelligitur,

## C A P. V.

## De Efficiente per se, &amp; per accidens.

**T**ertiò, *causa efficiens per se efficit, aut per accidens.* Tertium hoc par modum efficiendi est, ab Aristotele etiam & veteribus notatum.

*Per se efficit causa, quæ sua facultate efficit.* Id est, quæ ab interno principio effectum producit.

*Ut que natura vel consilio faciunt.* Naturalis efficientia est elementorum, fossiliū, plantarum, animalium. Consilii exemplum est illa Ciceronis de se ad Cæsarem confessio: *nulla vi coactus, judicio meo ac voluntate, ad ea arma profectus sum, quæ erant sumpta contra te.*

Naturæ, appetitum; consilio, artem nonnulli adjungunt. Sed appetitus aut ad naturam, aut ad naturæ vitium; ars ad consilium sine incommmodo referetur: ars n. & consilium quatenus aliquid efficiunt, non illa ab intellectu, hoc à voluntate; sed utrumque ab utroque profici sci videtur; etenim ars

ars ferè non invita, non proximæ saltem invita; & concilium prudens sciensque agit. Hi quatuor modi efficiendi per se, ad eundem nonnunquam effectum concurrent: ut cùm quis loquitur, naturâ; hoc vel illud, consilio simul & appetitu; eleganter, arte.

Viderur itaque huc propriè referenda etiam causa impulsiva, sive ea proegumenta, sive procatarctica sit, de quibus capite superiore diximus; quæ non tam causæ sunt principali sociæ aut ministræ quam modi efficientis, quibus vel affectu aliquo impulsus, vel ex occasione aliqua obliterata, consilio adductus hoc vel illud agit, ut ex allatis ibi exemplis intelligi potest.

Quæ autem naturâ necessariò, quæ consilio libere agunt; necessariò agit quæ aliter agere non potest, sed ad unum quidpiam agendum determinatur, idque solum sua propensione agit quæ necessitas naturæ dicitur; ex hypothesi nimirum. Nisi Deus aliud voluerit, aut externa vis aliorum impulerit, ut Lapidem sursum. Libere agit efficiens non hoc duntaxat ut naturale agens, sed hoc vel illud pro arbitrio, idque absolute vel ex hypothesi. Absolute ipsis Deus libere agit omnia; id est quicquid vult; & agere potest vel non agere; Testantur hoc passim sacræ literæ: Libere ex hypothesi, illæ duntaxat causæ quæ ratione & consilio faciunt, ut angeli & homines; ex hypothesi nimirum divinæ voluntatis, quæ iis libere agendi potestatem in principio fecit. Libertas enim potestas est agendi vel non agendi hoc vel illud. Nempe nisi Deus aliud voluerit, aut vis aliunde ingrat.

*Per accidens efficit causa, quæ externa facultate efficit.* Id est, non sua; cùm principium effecti est extra efficientem, externumque principium interno oppositum: sic n. efficiens non efficit per se, sed per aliud. Hinc vere dicitur, *omne effectum causa per accidens potest reduci ad causam per se.*

*Ut in his quæ sunt coactione, vel fortuna.* Duo n. hæc sunt externa principia internis, naturæ nempe & voluntati sive consilio, opposita. Sic Aristot. Rhet. 2. 20. cùm dixisset, homines facere quædam non per se, quædam per se; subiungit, *corum quæ non per se, alia per fortunam, alia ex necessitate.* Sed necessitas vox nimis lata est, ut ex supra dictis de efficiente naturali patebit.

Coactione fit aliquid, cum efficiens vi cogitur ad effectum. Ut cum lapis sursum vel recta projicitur qui suapte natura deorsum fertur. Hæc necessitas coactionis dicitur & causis etiam liberis nonnunquam accidere potest. Sic necessitas est mercatori in tempestate merces ejicere, siquidem salvus esse vult. Hæc itaque necessitas mixtas quædam actiones produxit, quas facit quis volens nolente animo, quod aiunt.

*Fortuna sive fortuitò fit aliquid, cùm præter scopum efficientis accidit.* Non enim fortuna, sed efficiens, quæ per fortunam sive fortuitò agit, est propriè causa per accidens rerum fortuitarum: èò quod earum principium, occulta nimirum illa causa quam fortunam dicimus, extra illam efficientem est: fortuna autem est eventuum eorum principium, et si occultum, non per accidens ramen, sed per se. Fortuna itaque abut veteres aut nomen sine re esse existimabatur, quo usi sunt homines, teste alicubi Hippocrate, cùm secundariás contingentium causas ignorarent, aut est ipsa latens causa: ut Cicero in Top. cùm enim nihil sine causa fiat, *hoc ipsum est fortuna, eventus obscura causa, quæ latenter efficit.* Inter fortunam & casum hæc volunt interesse Aristot. Phys. 2. 6. & Plutarck. de Placit. & de Fato, ut casus quam fortuna latius pateat: fortuna in iis duntaxat qui ratione utuntur; casus in omnibus tam animantibus quam inanimatis dominetur: sed loquendi serm usus fortunæ sub nomine casum etiam complectitur, quotiescumque præter scopum sive finem efficientis aliquid accidit. Sic casu fortuito, ait Tullius, 3. de nat. deor. Pherec. Jason profuit hostis, qui gladio vomicam ejus apernit, quam medici sanare non poterant.

In hoc genere casuarum imprudentia connumerari solet. Sic etiam Aristot. Ethic. 3. 1. videntur non voluntaria esse, quæ per vim aut ignorantiam sunt. Et Ovid. 2. Trist.

*Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?*  
*Cur imprudenti cognita culpa mihi est?*  
*Inscitus Aetæon vidit sine ueste Dianam:*  
*Præda suis canibus nec nimis ille fuit.*  
*Scilicet in superis etiam fortuna luenda est:*  
*Nec veniam, laeso numine, casus habet.*

Durum id esse queritur poeta: nam ceteroqui hinc sumitur plerumque deprecationis & excusationi etiam nonnunquam locus hic est. Deprecationis exemplum est apud Cic. pro Ligario: ignosce pater: erravit; lapsus est: non putavit: Et paulò post: erravi: temere feci: penitent; ad clementiam tuam confugio.

Fortunæ autem nomen, ut suprà dictum est, ignoratio causarum confinxit: cùm enim aliquid præter consilium spemque contigerit, fortuna vulgo dicitur. Unde Cicero, apud Lactantium, Instit. 3. 29. ignoratio rerum atque causarum fortunæ nomen induxit. Nec inscite Juvenalis:

*Nullum numen abest, si sit prudentia: sed te  
Nos facimus, fortuna, deam; cœlo que locamus.*

Certè enim & cœlo locanda est; sed, mutato nomine, divina providentia dicenda. Unde Arist. Phys. 2. 4. sunt nonnulli quibus fortuna quidem videtur esse causa, sed ignota humane intelligentie, tanquam divinam quiddam. Et Cic. Acad. I. providentiam Dei que ad homines pertinet, nonnunquam quidem fortunam appellant, quod efficiat malia improvisa nec opinata nobis proper obscuritatem ignorationemque causarum. Sed providentia rerum omnium prima causa est, sive notæ sive ignotæ sint eorum causæ secundariae: & providentiae si necessitatem adjungas, fatum dici sollet. Verum de providentia melius Theologia quam Logica disceptabit. Hoc tantum obiter; fatum sive decretum Dei cogere neminem malefacere; & ex hypothesi divinae præscientiae certa quidem esse omnia, non necessaria. Non excusandus itaque Cicero pro Ligario, cùm ait, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse; ut nemo mirari debeat humana consilia divina necessitate esse superata. Multo rectius alibi, datur quidem venia necessitati; sed necessitati, quæ in instituto efficienti repugnat, & voluntati.

## C A P. VI.

### *De Materia.*

**M**ateria est causa ex qua res est. Efficientem ordine naturæ sequitur materia; & efficientis effectum quoddam est; præparat enim efficiens materiam, ut sit apta ad recipiendam formam. Ut autem efficiens est id quod primum movet, ita id materia quod primum movetur, hinc efficiens, agendi; materia, patiendi principium appellatur. Hoc autem definitio materiae apud omnes eadem tere occurrit. Est causa: materiae enim vi affectum est. Illa autem vis particula ex qua significatur: quanquam haec vulgo non materiae solum nota est, sed nunc efficientis, ut, ex iœnu vulnus; nunc partium, ut, homo constat ex anima & corpore; nunc mutationis cuiusvis, ut, ex candido fit niger. Res: nempe quam arguit; effectum scilicet materiatum; ut intelligamus materiam etiam esse omnium entium & non entium communem; non rerum sensibilium & corporarum propriam. Quales autem res ipsæ sunt, talis materia earum esse debet; sensibilium sensibilis, æternarum æternæ; & ita in reliquis. Sic artium materia sunt præcepta. Est, i. e. efficitur & constat: unde Cic. I. Acad. materia ea causa est, quæ se efficienti præbet, ut ex sese non modo effectum fiat, sed etiam postquam effectum est, constat. Hoc argumento ficto, apud Ovid. 2. Metam. solis domus auro, pyropo, ebore, argento componitur. Regia solis erat, &c. Sic Casar I. Bell. ci-vil. navium materiam describit: carina primum ac statumina ex levi materia fiebant, &c.

Dividitur vulgo materia in primam & secundam; secunda in proximam & remotam. Verum haec distributio Physica potius est. Id enim solum Logicus in materia spectat, ut res ex ea sit; & potissimum quidem ut proximè ex ea sit; proxima enim potissimum arguit.

## C A P. VII.

## De Forma.

**C**ausa primum genus ejusmodi est in efficiente & materia: secundum sequitur in forma & fine. Quia scilicet ordine temporis est posterius. Efficiens enim & materia sub genere priore continentur, quod in effecto producendo praecedunt; forma & finis sub posteriore, quod efficientem & materiam sequuntur effectumque ipsum conitantur: positis enim efficiente, & materia, non continuo sequuntur forma & finis: efficiens enim etsi materia suppetit, forma tamen & fine suo nonnunquam frustratur; forma & finis si adsit, necesse est efficientem & materiam fuisse. Qui autem in usu observatur ordo causarum, idem debet in doctrina quoque observari. Nec tamen ordo iste ad constituenda causarum genera satis valet, sed aliud quiddam quod nomine caret. Unde meritò non satis accurata videtur illa causarum distributio, quæ affertur Aristotelis, in causas vel effectum praecedentes, ut efficientem & materiam; vel cum effecto simul existentes, ut formam & finem: tametsi enim hæc distributio ordinem causarum servat, naturam tamen earum non distinguit; immo causæ neque convenit, neque propria est: non convenit, quia causa quælibet, ut causa, non praecedit, sed cum effecto simul est. Praecedunt autem utcunque efficiens & materia effectum vel naturæ ordine, vel temporis: si naturæ, id & cum reliquis causis & cum subjectis omnibus commune habent; si temporis, hoc efficienti & materia neque omni commune est (quædam enim cum effecto non nisi simul sunt) neque solis iis proprium; nam & subjecta pleraque adjunctis suis tempore priora sunt. Nec scelicius ab eodem Aristotele dividuntur causæ in externas, efficientem & finem; & internas, materiam & formam: hæc enim distributio etsi usus ejus aliquis esse potest, ad leges tamen artis minus accommodata est: esse enim externum vel internum, non est causis proprium, sed effecto etiam & adjuncto commune. Deinde materia & forma cum intra effectum sunt, non tam causæ quæm partes effecti sunt: quid? quod finis, quæ perfectio rei est aptitudóque ad usum, interna potius causa diceretur. Postremò, hæc distributio turbat ordinem causarum, methodi proinde legem: efficiens enim est principium motus & causarum prima; finis, ultima est: si igitur internum externo præmittitur, materia & forma, quæ efficientis quoddammodo effecta sunt, efficienti præponentur; si externum interno, finis efficienti, i. e. ultima primæ, adjungeretur; mediis, materiae nempe & formæ, præmittetur. Cautius itaque *Ramus* atque arti convenientius, causarum genera anonyma reliquit: quod ut ostenderemus, longiuscule cum venia digressi, nunc ad alterum genus causarum, formam & finem, redeamus. Formæ autem est prior locus concedendus, cum finis nihil aliud sit quam fructus quidam formæ.

*Forma est causa per quam res est id quod est.* Hæc definitio Platonicam & Aristotelicam conjunxit: ille enim definit formam esse causam per quam, hic, quod quid est esse. Ut autem materia, sic etiam forma effectum quoddam efficientis quidem est. Formam enim efficiens & producit nondum existentem, & inducit in materiam: forma autem effecti & causa est, & præcipua quidem, solaque effectum arguit, quod vi formæ potissimum existit. Efficiens enim frustrari formam, forma effecto non potest. *Per quam* itaque particula eam causam significat eamque viam, quæ rem sive effectum informat atque constituit. Res enim nulla est quæ suam non habeat formam, nobis licet incognitam.

Res etiam singulæ, sive individua, quæ vulgo vocant, singulas sibiique proprias formas habent; differunt quippe numero inter se, quod nemo non fatetur. Quid autem est aliud numero inter se, nisi singulis formis differre? Numerus enim, ut rectè Scaliger, est affectio essentiam consequens. Quæ igitur numero, essentia quoque differunt; & nequaquam numero, nisi essentiæ, different. Evigilent hic Theologi. Quod si quæcunque numero, essentiæ quoque differunt, nec tamen materia, necesse est formis inter se differant; non autem communibus, ergo propriis. Sic anima rationalis, forma hominis in genere est; anima Socratis, forma Socratis propria. *Per quam res est id quod est*, i. e. quæ dat proprium esse rei. Cum enim cujusque ferè rei essentia partim sit communis, partim propria; commune in materia constituit, forma propriam. Et per alias quidem causas esse res potest dici; per solam formam esse id quod est.

Ideoque hinc à ceteris rebus omnibus res distinguitur. Id est, distinctione, quam vocant essentiali: ex sola enim forma est differentia essentialis. Immo quaecunque inter se quovis modo, eadem etiam formis differunt; sónque omnis differentiae forma est; nec aliis argumentis inter se res, nisi formis primariò discreparent. Et hoc quidem conlectarium ex definitione est primum, sequitur alterum.

*Forma simul cum re ipsa ingeneratur.* Hinc illud verissimum: posita formā, res ipsa ponitur; sublata, tollitur. Ad exempla nunc veniamus. Anima rationalis est forma hominis, quia per eam homo est homo, & distinguitur à ceteris omnibus naturis: terricarum figurarum in triangulis, quadrangulis sua forma est: Physicarum, coeli, terrae, arborum, piscium sua.

*Vnde precipua rerum ut natura est, sic erit explicatio, si possit inveniri.* Tertium hoc conlectarium est ex definitione forme. Vnde illud quod de causa in communi supradictum est, nempe fontem esse omnis scientiæ, formæ potissimum convenire intelligitur. Quæ enim causa essentiam præcipue constituit, eadem si nota sit, scientiam quoque potissimum facit. Sed formam internam cuiusque rei nosse, à sensibus, ut ferè sit, remotissimam, difficile admodum est. in artificiosis autem rebus forma, utpote externa, sensib[us]que exposita, facilius occurrit; ut apud Casarem de bell. Gall. l. 7. muri autem omnes Gallici hac ferè forma sunt, &c. Sic forma Virgiliani portus explicatur, Æneid. 1. est in secessu longo locu[m], &c.

Distributio autem formæ nulla vera est. Nam quod nonnulli internam vel externam esse volunt, ea distributio neque ad res omnes, sed tantum ad corporreas pertinebit; & externa non minus essentialis cuique rei est artificiosæ, quam interna naturali.

## C A P. VIII.

### *De Fine.*

**F**inis est causa cuius gratia res est. Sic etiam Aristoteles, Phil. 1. 3. quarta causa est cuius & bonum: hoc enim generationis omnis finis est. Cùm enim efficiens assecutus est finem, in eo acquiescit, actionique suæ finem imponit. Finis itaque est causarum ultima. Verùm ut rectè Aristot. Phys. 2. 2. non omne ultimum finalis causa est, sed quod est optimum: Finis enim vel terminum rei significat, vel bonum rei; sicut & terminus est vel durationis, vel magnitudinis aut figurae. Finalis autem causa non est nisi bonum quid; eodemque sensu finis & bonum dicuntur; verùmne an apparens, ad vim causæ nihil interest. Sic etiam Aristot. Phys. 2. 3. idemque in Eth. passion: mali etiam evitatio habet rationem boni. Nonnulli tamen inter finem & finalem causam ita distinguunt, ut finis sit usus rei, finalis autem causa de usu cogitatio. Atqui non cogitatio, sed res, i. e. finis ipse effecti causa finalis vera est: nam de materia quoque & de forma prius cogitur, sine hac tamen distinctione: cogitatur etiam de causa impulsiva, eaque movet efficientem, nec tamen finalis causa dici potest; cùm eam efficiens non appetat, sed sèpius avertetur, quoties affectus aut habitus aliquis pravus ad bonum aliquod apparet consequendum impellit. Idemque finis in animo efficientis primus, in opere atque effecto est postremus. Dum autem in animo tantum efficientis est, & nondum obtinetur, nondum sane existit; cùm nondum existit, causa esse qui potest? Cum itaque vulgo dicitur, finis quatenus efficientem quasi suadendo movet ut materiam paret, eaque formam inducat, non modò effecti, verùm etiam causarum causa earumque optima est, id impropriè & per anticipationem quandam dicitur. In opere autem & usu licet sèpe sit ultimus, aptitudine tamen ad usum nisi simul cum forma & tempore & natura esse intelligatur, erit posterior effecto per formam jam constituto, & adjunctum potius effecti quam causa. Sic non habitatio, sed ad habitandum, aptitudo, quæ cum inducta forma simul & tempore & natura est, proprius finis domus est statuendus, reisque perfectio & formæ quasi fructus est. Hinc Græci non modò τέλος perficio, à τέλος, i. e. finis deducunt, sed etiam perfectum τέλειον, à fine vocant, teste Aristotele, Phil. 8. 24.

Vis autem propria qua finalis causa aliis ab causis distinguitur, his verbis, *cuius gratia*, exprimitur; ut & aliis etiam particulis, nempe *cuius causa*, *ad*, *ob*, *pro*,

Propter, quo; quorsum, & similibus. Ne autem est nota illius finis, qui in malo alicuius vitatione versatur. Finis autem dicitur non eorum solum qui finem sibi proponunt, i. e. efficientium rationalium, sed eorum quaecunque ad finem referuntur, i. e. quorumvis effectorum. Sic Physicis rebus finis homo propositus est, homini Deus. Quod nec ignoravit Aristoteles, Phys. 2. 2. rebus, inquit, utimur, quasi nostra causa essent omnia: nam & nos quodammodo finis sumus. Deum esse omnium finem docet sapiens Hebreus, Proverb. 16. 4. Deus propter se fecit omnia. Omnia artium est aliquod summum bonum & finis extremus; quae & earum forma est: ut Grammaticæ, bene loqui; Rheticæ, bene dicere; Logicæ, bene ratiocinari.

Quod autem forma finis quoque esse potest, testatur haud semel Aristoteles, Phil. 8. 24. & Phys. 2. 7, 8. Et Plato in Philebo, essentiam sive formam rei, generationis finem statuit: unde Arist. de part. 1. 1. idem.

Ut formæ, ita & finis distributio vera nulla est: quæ vulgo efféruntur, non sunt Logici finis distributiones, sed specialium sive communis pro varietate effectorum distinctiones. Distinguitur ab Aristotele, de Anima, l. 2. 4. finis cuius, & finis cui: finis cuius, est finis operæ, sive operandi; finis cui, est finis ipsius operis: e. g. in domo ædificanda; finis cuius, sive operæ, est domus; finis cui, sive ipsius operis, i. e. domus ædificata, est aptitudo ad habitationem.

Afferuntur & aliae distributiones finis, quæ ad finem cui pertinent ut ex Aristot. Mag. mor. 1. 2. finis alius est perfectus, alius imperfectus; vel, quod idem est, ex aliis, finis est summus, aut subordinatus. Summus autem est, qui propter se exceptitur: estque vel universalis, omnibus scilicet rebus communis, vel specialis, cuique speciei peculiaris & proprius. Subordinatus autem non tam finis est, quam destinatum quiddam ad finem: & esse summum vel subordinatum, esse universale vel speciale, ad alia æque argumenta pertinet, atque ad finem. Postremò, lex distributionis jubet partes distributionis esse oppositas: at inter summum & subordinatum oppositio nulla est. Ad omnes igitur omnium rerum fines intelligendos. unica finis definitio fatis est; ut id sit cuius gratia res est: utrum autem sit summus an subordinatus, universalis an specialis, id Logica non spectat, sed inferioribus quibusvis disciplinis relinquit.

## C A P. IX.

### De Effecto.

**E**ffectum est, quod è causis existit. Effectum cum sit vi omnium causarum, à causis tamen principe scilicet efficiente, effectum denominatur. Sed quoniam, si propriè lequimur, effectum ab efficiente solo efficitur, omnium autem causarum vi est, idecirco non definitur ex denominatione quod à causis efficitur, sed ex re potius, i. e. ex communi causarum vi, quod è causis est vel existit. Jam illud hic monendum est, ex cap. 2. quod in cœla explicanda monuimus, effectum esse argumentum absolute cum causa sive causæ consentaneum, i. e. causam abolutè arguere; ita ut quemadmodum posita causa, ponitur effectum; sic posito effecto, ponatur causa: ut enim causæ dant esse effecto, ita effectum esse suum habet à causis, i. e. ab efficiente, ex materia, per formam, propter finem existit. Effectum igitur causas arguit, & ab iis vicissim arguitur; sed non par ratione: effectum enim arguit causam esse aut suisse, Gracis 7n; causa autem, quare sit effectum demonstrat, Gracis 7n. Causæ sunt priores & notiores effectum, ut posterius, ita minus arguit. Sic argentum materia poculi, magis arguit & manifestum reddit naturam poculi, quam poculum argenti. Interdum autem effecta, non per se quidem, sed nobis notiora, clarius causas argunt, quam arguuntur à causis. Sic etiam Aristoteles, Post. 1. 10. nihil prohibet eorum quæ se reciprocè arguunt, ut causa & effectum, id notius nonnunquam esse quod non est causa.

Sive igitur dignatur, sive corrumpatur, sive modo quolibet, moveatur quilibet, his motus & res motu facta effectum dicitur. Ut causarum modi quidem fuere, ita nunc effectorum quidam his verbis ostenduntur. Modi effectorum generales sunt, vel speciales. Generales sunt vel motus quilibet, quæ operatio & actio dicuntur; vel res motu factæ, quæ sunt opera. Modi speciales, sive exempla specialia, sunt generatio, corruptio & similia à Physicis petita. Causa enim corrumpens

pens est causa procreans corruptionis. Notandum autem est hīc rem quamlibet, non motam, sed motu factam, Effectum dici; nulla enim res corrupta corrupti contraria est.

Hujus loci sunt laude & vituperationes, quarum plēni sunt libri sacri & prophani. A factis enim quisque potissimum laudatur & vituperatur.

Huc etiam dicta scriptaque referenda sunt; consilia item & deliberationes, etiam ad exitum perductae non fuerint. Neque enim facta solum, sed etiam consulta & cogitata pro effectis habenda sunt.

*Sunt etiam effecta virtutum & vitiorum. Ioratius hoc modò ebrietatis effecta describit:*

*Quid non ebrietas designat? operta recludit, &c.*

Volunt hic plerique Rami interpres motū doctrinam, utpote rei generalis, ad Logicam pertinere; sed non rectè. Quid enim potest Logica docere de motu, quod naturale & physicum non sit. *Scientius*, inquit, ex *Aristot.* Phys. 8. 3. & *opiniones*, motu uti omnes. Utuntur quidem, sed ex natura, quam *Physica* docet, petito. Sic Logica ratione utitur, nec tamen rationis naturam, sed ratiocinandi artem docet. Omnis quidem causa movet, effectum movetur; nec tamen quid moveat aut moveatur, sed quid arguat aut arguatur *Logicus* considerat. Ipsum etiam *arguere* & *argui* non quatenus motus est, aut res motu facta, sed quatenus relatione quadam arguendi vel facultatem ratiocinandi juvat vel artem tradit, ad Logicam pertinet.

Duos hīc canones causæ effecti communes, quamvis in *Physica* potius quam in *Logica* tractandos, ut multa alia quæ *Aristotelici* congerere huc solent, tamen quia sape occurrunt & fallaces sunt, appendiculæ in modum libet cum suis cautionibus hīc attingere. Primus est, *qualis causa, tale causatum*: ex *Aristot.* 2 Top. c. 9. Quod verum non est primò in causis per accidens: ut, *hic fuit vir bonus*; at non ergo *bonos consuit calceos*; potest enim esse futor non bonus. Secundò, non in causis universalibus: ut, *sol omnia calefacit*; at non *idcirco ipse est calidus*. Tertiò, non in causis voluntariis, nisi velint. Quartò, si res in qua effectum est producendum, id per naturam suam recipere non potest.

Canon secundus est, *propter quod unumquodque est tale, illud est magis tale*: *Aristot.* 1 Post. c. 2. Scilicet primò rursus in causis per se: ut, *hic est ebrius*; non ergo *vinum magis ebrium*. Secundò, si id à quo tales denominantur utrique insit: ut, *cera fit molles à sole*; non ergo *sol est mollior*. Tertiò, si causa illa recipiat magis & minus: non ergo *si filius est homo propter patrem, pater propterea magis homo*. Sed canon hic valet præcipue in causis finalibus: ut, *hic studiis dat operam propter quæsum*; *quæsum igitur studet magis*.

## C A P. X.

### De Subjecto.

**A**rgumentum modo quodam consentaneum succedit, ut *subjectum* & *adjunctum*. Absoluta enim consensio causæ & effecti hanc modo quodam consensionem subjecti & adjuncti merito præcessit. Modo quodam consentire cum re quam arguunt dicuntur, quæ leviter & extrinsecus tantum consentiunt, i. e. citra rationem essentiæ; cum non ut causa effecto, ita subjectum det esse adjuncto; neque hoc ab illo essentiam accipiat. De subjecto prius est agendum: etenim subjectum omne suis adjunctis naturâ prius est, & quodammodo se habet ad adjunctum, ut causa ad effectum.

*Subjectum* est, cui aliiquid adjungitur. Hoc argumentum Cicero rem *subjectam* appellat, quia nimis alicui subjicitur; subjici autem id dicitur, cui, cum ex causis constitutum jam est, aliiquid tanquam additamentum quoddam præter causas adjungitur: adjungitur itaque aliiquid, quod alteri, nempe subjecto, perfecto jam suisque causis constituto, extrinsecus sive præter essentiam accedit. Subjectum ergo est quod ad aliiquid argendum est effectum, quod sibi præter illam essentiam, quam è causis habet, insuper accedit.

Ut causa, ita & subjectum suos quosdam habet modos: subjici enim aliiquid dicitur vel recipiendo adjuncta vel occupando. Unde subjectum distingui potest in *recipiens*, quod *Græce δικτυόν* appellant, & *occupans* quod *objectum* dici solet,

quia in eo adjuncta occupantur. Recipiens vel in se recipit adjuncta, vel ad se: recipiens in se adjuncta, vel sustinet ea & quasi sustentat, quæ idcirco *insita* & *inherentia* appellantur, vel continet, ut locus locatum.

Primus ergo modus est cùm subjectum recipit adjuncta insita sive inherentia. Sic anima est subjectum scientiæ, ignorantiae, virtutis, vitiæ; quia hæc animæ adjunguntur, i. e. præter essentiam accedunt: corpus sanitatis, morbi, roboris, infirmitatis, pulchritudinis, deformitatis; quia corpori quidem insunt, sed præter essentiam.

Secundus modus est subjecti adjuncta in se continentis, i. e. loci. Sic locus est subjectum rei locatae, sive in quo res locata continentur. Sic Philosophi divinis entibus, licet parte & magnitudine carentibus, attribuunt locum. Sic Geometræ locum locique differentias in rebus Geometricis. Physici multo etiam diligentius in rebus Physicis considerant, in mundo, in elementis simplicibus, in rebus compositis. Hinc nonnulli Dialectici suæ artis amplificandæ studio, ut motis, ita loci doctrinam in Logica tractandam esse contendunt. Verum cùm locus externa sit affectio cuiusvis naturæ sive corporeæ sive incorporeæ, minor quid illis, Rami præsertim discipulis, in mentem venerit, ut cùm argumenta, i. e. non res, sed rationes subjectum esse Logicæ doceant; res tamen aut rerum naturalium affectiones, motum, locum, tempus in Logica tractandas esse statuerent. Locus inquiunt omnium omnino rerum communis est: ergo, inquam, ad artem aliquam non corporum duntaxat, sed rerum naturalium omnium sive Physicam, universalem, non ad Logicam pertinet: quæ non quid sit Locus, spatium an superficies corporis ambientis, sed quomodo arguat rem locatam, id solum considerat; nempe ut subjectum arguit adjunctum.

Tertius modus est subjecti ad vel circa se recipientis adjuncta: quæ idcirco adjacentia & circumstantia appellantur. Sic homo est subjectum divitiarum, paupertatis, honoris, infamiae, vestitus, comitatus, & eorum terè quæ dicuntur antecedentia, concomitantia, consequentia, si quam omnino affectionem inter se habent non necessariam; quæ causarum & effectorum quæque ab his orta sunt argumentorum affectio duntaxat esse solet. Haec tenus de subjecto recipiente.

Quartus modus est subjecti occupantis, in quo nimisimum adjunctum occupatur & exercetur: atque hoc propriè objectum dicitur. Sic sensilia sensuum, & res virtutibus ac vitiis propositæ, subjecta vitiorum & virtutum hoc modo nominantur. Color est subjectum visus, sonus subjectum auditus; quia hi sensus in his sensilibus occupantur & exercentur. Virtutes & vicia declarantur in Ethicis hoc argumento: temperantia & intemperantia, voluptate; fortitudo & ignavia, periculis; liberalitas & avaritia divitiis. Sic res numerabilis Arithmeticae; mensurabilis, ut ita dicam, Geometricæ subjicitur. Ejusmodi subjecto Cicero in Agrar. disputat, inter Campanos nullam contentionem esse, quia nullus sit honor: *Non gloria cupiditate, ait, efferebantur, propterea quod ubi honos publice non est, ibi cupiditas glorie esse non potest, &c.*

## C A P. XI.

### *De Adjuncto.*

**A**djectum est cui aliquid subjicitur, vel quod affectum est ad arguendum subjectum. Doctrina adjuncti doctrinæ subjecti per omnia respondet. Cicero hoc argumentum adjunctum & conjunctum vocat. Ab Aristotele, Accidens vocatur, nec male. Quicquid enim ulli subjecto extrinsecus accidit, sive fortuito sive non, adjunctum ejus est. Animi, corporisque & totius hominis bona & mala, quæ dicuntur, adjuncta sunt animi, corporis, hominis.

Cùm igitur adjunctum subjecto præter essentiam accedat, non mutatur ejus accessione vel decessione essentia subjecti, neque aliud inde fit subjectum, sed alio duntaxat modo se habet. Unde & modi, qui dicuntur, in adjunctis numerandi sunt. Sic in causis procreare & tueri, modi, ut supra dictum est, sive adjuncta quædam vel efficientis vel efficiendi sunt.

*Hoc argumentum et si subjecto est levius, attamen est copiosius & frequentius.* Subjecto suo levius est, quia subjectum prius est, & adjuncti sui quodammodo causa. Id quod de adjunctis non quibusvis verum esse decebimus. Hinc Aristot. Phil. S. i. adjunctum subjecto est posterius ratione, tempore, cognitione & natura: quod etiam de

de omni adjuncto ita duntaxat verum est, si de tempore excipias. Existentiam enim Adjuncti non spectat Logica, sed mutuam quam cum subjecto habet affectionem quae utrobique simul est; ita ut Subjectum Adjunctum non magis sic tempore prius quam Adjunctum Subiectum; sublato igitur subjecto, tollitur adjunctum, ut, *mortuus non est*; ergo nec miser est. Hinc strepitur in scholis, ab est secundi adjecti, ad est tertii adjecti, valet consequentia negando. Et posito adjuncto, ponitur necessarium subjectum; ut, si *mortuus est miser*, certè necessario *mortuus est*. Quod & scholæ sic balbutiunt; ab est tertii adjecti, ad est secundi, valet consequentia affirmandi. Est autem adjunctum subjecto copiosius & frequentius, quia unius ejusdemque subjecti plurima adjuncta esse possunt. Itaque quod de ejusmodi signis ait *Ovid. 2. de Remed.*

*Forsitan hac aliquis (nam sunt quoque) parva vocabit;  
Sed quæ non prosumt singula, multa juvant.*

Huc itaque referuntur signa, quæ ad effecta potius referenda sunt; viisque arguendi perinde habent ut eorum causæ certæ sunt & cognitæ. Sic tumor uteri signum est gravidæ; incertum tamen, quia causæ tumoris illius aliae esse possunt: lac-mammilarum multo certius, quia causa certior & notior. Ejusdem generis sunt signa physiognomonica, prognostica Astrologorum & Medicorum. Itaque ut causæ & effecta scientiam, sic subjecta & adjuncta conjecturam ferè pariunt. Hoc genere argumenti *Fannium Chaream Cicero pro Roscio Comædo cavillatur*; & ab adjuncta corporis habitudine, signa malitiæ colligit: nonne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa oleo malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (si quam conjecturam affert homini tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? Sic *Martial. l. 2. Zoilem ludit*:

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus.  
Rem magnam præfas, Zoile, si bonus es.*

Subjectorum porro modis, adjunctorum respondent modi. Quemadmodum igitur subjectum erat recipiens vel occupans, ita adjunctum est receptum vel occupatum. Receptum vel in subjectum recipitur, vel ad subjectum: quod in subjectum recipitur, vel sustinetur ab eo, vel in eo continetur aut collocatur: quod sustinetur, est adjunctum insitum, sive inhaerens:

Primus ergo modus est adjunctorum inhaerentium sive insitorum. Omniaque qualitates (qualitas autem est qua res qualis dicitur) subjectis præter causas, i.e. formis externas (quæ etiam in qualitatibus numerantur) adjunctæ; sive propriæ sunt, quæ omni solique subjecto semper convenient, ut homini risus, equo humitus, cani latratus; sive communes, quæcunque non sunt eo modo propriæ. Propria autem quatuor modis vulgo dicuntur: soli, sed non omni; ut homini proprium est Mathematicum esse, sed non omni: omni, sed non soli; ut bipedem esse homini: omni & soli, sed non semper; ut homini canescere in senectute: omni, soli, & semper; ut risibilem esse homini: hoc demum verè proprium est & reciprocum; ita ut omnis homo sit risibilis, & omnes risibile, proprie dictum, sit homo. Adjunctum itaque proprium etsi naturâ est posterius subjecto, adeoque levius, tempore tamen simul est, nobisque ferè notius; positóque adjuncto proprio, ponitur subjectum, & contrâ: subjectum enim adjuncto proprio est modo quodam essentiale, adjunctumque à forma subjecti fluit: habet igitur a forma subjecti, non ab natura sua, quod subjectum ponit & tollit.

Communis etiam qualitas est separabilis vel inseparabilis: ut aquæ frigus, qualitas est separabilis; humiditas vero inseparabilis; utraque autem communis. Atque istæ qualitatum distinctiones, communum & propriarum, separabilium & inseparabilium, ad judicium faciendum valde sunt utiles, ut secundo libro facile perspiciemus. Ad hunc modum refertur etiam quantitas, quæ res magnæ vel parvæ, multæ vel paucæ dicuntur; & passio, quæ res aliquid pati dicitur; adeoque motus ad rem motam si referatur, hujus loci est. Hæc tenus de adjuncto quod in subjecto sustinetur.

Secundus modus est adjunctorum quæ continentur in subjecto, ut locatum in loco: atque huc etiam situs locorum refertur; nisi si cui ad primum potius modum

dum referendus videatur ; cùm situs passio sit quædam rei locatae , & ad priorem modum sic pertineat. Atque hæc de adjunctis quæ in subjectum recipiuntur.

Tertius modus est adjunctorum quæ recipiuntur ad subjectum ; quæ vulgo circumstantiae nuncupantur, quia extra subjectum sunt. Huc *tempus* referuntur, duratio nempe rerum præterita, præsens, futura. Sic etiam Deus dicitur qui est, qui erat, & qui futurus est, *Apocal.* 1. 8. & 4. 8. Deo tamen ævum sive æternitas, non tempus attribui solet : quid autem est ævum proprie, nisi duratio perpetua, *Græcè* ξιον, quasi & εις semper existens. Sed quod superioribus, capitibus de motu & loco, idem nunc de tempore monendum est ; non pertinere ad Logicam quid sit tempus philosophari, sed quo in genere argumenti ponendum sit, hic nempe in adjunctis. Huc etiam referuntur divitiae, paupertas, honor, infamia, vestitus, comitatus, & ejusmodi quicquid adesse, adjacere, circumstare, aut citra vim causæ antecedere, concomitari, sequi, ut suprà in subjecto diximus, dici potest, vel, ut Cic. in Top. Quicquid ante rem, cum re, post rem, dummodo non necessario, evenit.

Quo circumstantiae genere, *Dido venatum proficisciens, magnifice 4. Aeneid. depingitur :*

*Oceanum interea surgens aurora reliquit.*

*It portis, jubare exorto, delecta juventus :*

*Retia rara, plague, lato venabula ferro, &c.*

In hoc exemplo *Dido* est subjectum : cuius adjuncta adjacentia sive circumstantiae variæ hic enumerantur : 1. *Tempus, oceanum interea, &c.* 2. *Comitatus, nimirum delecta juventus, equites, principes Pœnorum.* 3. *Instrumenta ( quæ quatenus ad habentem referuntur ) adjuncta ; & hujus quidem modi sunt, retia, plague, venabula, canes, sonipes.* 4. *Habitus sive vestitus, Sidonia chlamys, purpurea vestis, &c.* Atque hæc de adjuncto recepto.

Quartus modus est adjuncti occupati. Et enim adjunctorum ad subjecta, quibus occupantur, usus item magnus.

Hoc argumento *Plato miseris civitates auguratur, quæ medicorum & judicium malitudine indigeant, quia multam quoque & intemperantiam & injustitiam in ea civitate versari necesse sit.* Quia nempe in effectis intemperantiae sanandis, medici ; in effectis injustitiae vindicandis, judices tanquam adjuncti occupati in subjecto suo occupante versantur.

Sed categoria sive locus argumentorum consentaneorum sic est, unde quidvis alteri consentaneum, vel idem vel unum dici possit ; omnésque modi unitatis & ( ut ita dicam ) identitatis buc sunt tanquam ad primos & simplices fontes referendi.

Ad explicandum consentaneorum in comparationibus usum hæc clausula adjecta est. Nämque ut confessionis omnis duorum in uno tertio, ita & unitatis modi hinc sunt petendi. Quot autem modis plura dicuntur inter se consentire, tot etiam modis dicuntur unum & idem : absolute scilicet aut modo quodam : absolute unum vel idem causâ & effecto ; modo quodam unum & idem subjecto & adjuncto. Causa vel efficiente vel materia vel forma vel fine. Sic plures statuae, efficiente sunt eadem, si ejusdem artificis : materia, si ex eadem, auro scilicet aut ebore ; forma si effigies ejusdem, *Alexandri* puta vel *Cesaris* ; fine, si ad eundem ornandum. Sic subjecto idem sunt adjuncta duo vel plura in eodem subjecto ; adjuncto idem sunt plura subjecta quibus idem adjungitur : ut duæ vel plures res albæ vel nigræ, albedine vel nigredine idem sunt.

## C A P. XII.

### De Diversis.

**A**Rgumentum consentaneum expositum est in causa & effecto, subjecto & adjuncto.

Altera species argumenti artificialis, primi, simplicis, dissentaneum, sequitur. Et sequi debet : ut enim affirmatio negatione, sic consensio prior est dissensione ; prior autem non natura solum, verum etiam usu & dignitate. Ab affirmatione enim & consensione, ut scientia omnis, ita ars omnis atque doctrina deducitur.

*Dissentium est quod dissentit à re quam arguit. Ab altero nempe sui generis ac nominis dissentaneo. Nem in hoc genere argumentorum, argumenta inter se affecta eodem nomine, id est que plurali numero enunciantur, eadēque definitione & doctrina explicitantur.*

*Sunt autem dissentanea inter se aquæ manifesta : alterumque ab altero equaliter arguitur ; tamen si sua dissensione clarus elucescat.*

Hæc duæ sunt proprietates dissentiorum communes. Primum n. in consentaneis cause effectis, subjecta adiunctis, priora, notiora, firmiora, præstantiora fuerunt : in dissentaneis alterum altero neque prius neque notius ; sed natura simul, in illa nempe dissensione, & aquæ nota, aquæ firma inter se sunt : id quod necesse est cum eodem nomine ac definitione tractentur.

Secunda quoque proprietas, quam aristoteles contrariis alligat, dissentiorum est omnium communis ; nempe sua dissensio et clarus elucescat. Quod nisi fieret, argumentum dissentiorum nullius usus esset. Debet enim omne argumentum affectum esse ad aliquid argendum & illustrandum. Quorum autem hæc est proprietas ut aquæ nota & ignota sint, eorum alterum ab altero argui aut illustrari non potest. Priori igitur proprietati secunda hæc subvenit : quamvis enim dissentanea sint inter se aquæ manifesta, ita ut unum ab altero tanquam notiori argui non queat, ex dissensione tamen sua, sive, ut alii loquuntur, juxta se posita, clarus elucescant. Sic bonæ valetudinis commoda adversæ valetudinis incommodis manifestiora sunt ; virtutum laudes contrariorum vituperatione viatorum illustrantur.

Utilis itaque sunt hi loci dissentiorum, teste etiam Aristotele, Top. 3, 4. non solum ad argendum & illustrandum, verum etiam ad impellendum ac refutandum : ut enim consentaneorum loci valent maximè ad argendum, probandum & confirmandum, sic loci dissentiorum ad redargendum, impellendum & refutandum : ut qui consentaneo argumento doceri non vult, dissentanei absurdæ consecutione eò redigatur, ut nolens etiam non possit veritati non assentiri. Hinc Aristot. Rhet. 3. 17. *refutantia demonstrativis anteponit.*

*Dissentanca sunt diversa vel opposita.*

*Diversa sunt dissentanea, quæ sola ratione dissentunt. Nomen hoc videtur aptissimum ad hanc levissimam dissensionem significandam : hac enim voce ea significantur quæ cum consensionem quandam inter se habere videantur, possintque per se suaque natura eidem subjecto simul convenire, tamen nec idem sunt, nec ei subjecto competit cuius ratione dissentire dicuntur : quæ autem dissentunt in eodem tertio, dissentunt etiam inter se.*

Sola igitur ratione dissentunt, quia non per se suaque natura dissentunt, sed solummodo ratione attributionis, i. e. ratione ac respectu alicujus subjecti, cui simul non attribuuntur. Distributio itaque dissentiorum pro ratione dissensionis rectè instituta est : nam ut consensio alia acrior est & absoluta, alia remissior & imperfecta (unde dissentanea divisa sunt in ea quæ absolute vel modo quodam consentanea) ita dissensio omnis vel remissior est, ut in distinctione sive discretione diversorum, vel acior, ut in disjunctione oppositorum : ergo dissentanea aut ratione & modo quodam dissentunt, ut diversa, aut re & absolute, ut opposita. Verum quod de consentaneis etiam objici potuit, speciebus aquæ communicandum est genus (has enim voces etiam communis usu citra artem vulgo intellectus, pace methodi nonnunquam anticipare fas sit) responderetur, quemadmodum dissentanea absolute & modo quodam erant aquæ consentanea, sed non aquæ contentiebant ; sic diversa & opposita aquæ dissentanea sunt, sed non aquæ dissentunt ; in diversis tam est dissensio quam in oppositis, sed non tanta : ut in re simili Cic. de Fin. 4. *aquæ contingit omnib. fidibus, ut incontentæ sint ; illud non continuo, ut aquæ incontentæ.* Diversa autem idcirco priore loco tractantur, quod propter levissimam dissensionem videntur affinitatem quandam cum consentaneis praese ferre. Quanquam autem diversorum doctrina ab omnibus praeter Ramum Logicis omisla est, constat tamen locum in argumentorum doctrina diversis etiam assignandum, cum ex arguendi varia affectione argumenta distinguenda sint, affectio autem dissensionis in diversis, ut diximus, levior sit, in oppositis acrior. Cur diversa Logici hactenus omiserint, videatur hoc esse ; quod ad unum syllogismum omnia referunt, in quo diversa locum non habent, ut l. 2. ostendetur.

Diversorum autem notae sunt frequentissimè non hoc, sed illud, quanquam, tamen: ut pro Pompeio & non victoriam, sed insignia victoria reportarunt. Victoria & victoriae insignia res admodum affines sunt; postulante ac debent eidem competere: ad Syllam autem & Muranam si spectas, qui non reportata victoria triumpharunt, dissentanea sunt. & distinguuntur, alteroque affirmato alterum negatur. Sic Ovid. 2. de Arte:

*Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses.*

*Et Virg. Aeneid. 2.*

*Hic Priamus quanquam in media jam morte tenetur,  
Non tamen abstinuit.*

Ut victoria & victoriae insignia respectu Sylla & Murana, sic formosum & facundum respectu Ulyssis, in media morte teneri non & abstinere à convitiis ratione Priami, diversa adeoque dissentanea sunt. Paulus fecus in Eunucho:

*Nam si ego digna hac contumelia  
Sum maxime: at tu indignus qui faceres tamen.*

Sed idem est ac si dictum esset, quanquam ego digna; tamen tu indignus qui mihi hanc contumeliam faceres. Dignam se quidem esse contumelia Thibis affirmat; à Charea tamen negat. Cic. 5. Tuscul. Quanquam sensu corporis judicantur, ad animum tamen referuntur. Hoc affirmato, negatum intelligitur non ad corpus.

Item illa aliusmodi. Pro Ligario: scelus tu illud vocas, Tubero? cur? isto nomine illa adhuc causa caruit: alii enim errorem appellant, alii timorem; qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam; qui gravissimè, temeritatem: scelus prater te adhuc nemo. In hoc genere exemplorum aliquid conceditur, ut aliud vicinum possit negari: cujusmodi & illud est; veritas premi potest, opprimi non potest; & similia.

Atque hi modi quidam diversorum sunt: in quibus plerunque accedit, ut quæ sua natura sunt opposita, ratione tamen certi alicujus subjecti sint tantum diversa; ut in exemplo superiore error, timor, spes, cupiditas, pertinacia, scelus. Sic aurum, argentum, æs opposita sunt, ut intrâ liquebit: ratione tamen attributionis huic vel illi subjecto, qui unum vel aliqua horum habet, alterum vel reliqua non habet, cum habere simul possit, diversa sunt.

## C A P. XIII.

### *De Disparatis.*

**O**pposita sunt dissentanea, que ratione & re dissentunt. Opposita respondent nomine quidem iis, qua ab Aristotele ἀντικείμενα dicuntur; sed re & significacione latius patent: nam ἀντικείμενα Aristotoli (qui disparata non attigit) nihil aliud quam contraria sunt. Possunt etiam repugnantia dici; siquidem repugnare ea dicuntur, quæ ejusmodi sunt, ut coliquerere nunquam possint; quod Cic. ait in Top. ejusmodi enim sunt opposita. Re autem & ratione, est non solum ratione certi alicujus subjecti, cui cum tribuuntur, simul non convenient, verum etiam re ipsa, i. e. per se & inter se, sua ipsorum natura dissentire, etiam subjecto cuivis non attributa; cui si attribuuntur, non solum non convenient, sed servata; quæ sequitur, oppositorum lege, convenire non possunt. Ea lex quæ ex ipsa definitione oritur, & est oppositorum omnium communis, non, ut docuit Aristoteles, contraiorum propria, hæc est, *Opposita eidem attribui, secundum idem, ad idem, & eodem tempore non possunt.* Eadem, i. e. eidem numero rei sive subjecto. Secundum idem, i. e. eadem parte. Ad idem, i. e. eodem respectu; ut, sol & major est terra & minor; sed non eodem respectu; in le quidem, major; ut nobis videtur, minor. Extra has tres conditiones possunt eidem subjecto attribui opposita. Sic Socrates, albus & ater non potest secundum idem, i. e. eadem parte esse; pater & filius ejusdem, sive ad eundem relatus; sanus & aeger eodem tempore: at albus esse potest alia parte, ater alia; pater hujus, filius illius; sanus hodie, cras aeger.

*Itaque ex altero affirmato alterum negatur.*

Ex quo facile apparet quid interfit inter diversa & opposita: in iis enim altero affirmato; in his, *ex altero affirmato* alterum negatur: i. e. ex affirmatione unius, necessariò sequitur negatio alterius. Ut, sumpto ex diversis exemplo, *nō victoriā, sed insignia victoriae reportarunt*: hic insignia victoriae affirmantur, Victoria negatur; non ex his affirmatis negatur illa: at in oppositis, dicta lege servata, *Socrates est homo, ergo non est equus: juxta illud; opposita se invicem tollunt.*

*Opposita autem sunt disparata aut contraria.*

*Disparata sunt opposita quorum unum multis pariter opponit.*

Disparatorum ergo remissior videtur esse oppositio, contrariorum aciòr. Disparata etiam à Boethio nominantur, quæ tantum à se diversa sunt, nulla contrarietate pugnantia, ut vestis, ignis. Apud Ciceronem tamen, Invent. I. & Fabi-um, l. 5. c. 10. *contradicentia* significant. Nos verborum inopiat coacti, Boethium sequimur. *Multis.* nempe sine ulla certa oppositionis lege aut numero: nam & infinitæ ferè res hoc modo opponi inter se possunt: & sic intelligendum est verbum opponit, juxta illud; *Vocabula in artibus facultatem significant*: ut vestis & ignis eti res duæ, inter se tamen disparata sunt, eò quod multis pariter opponi possunt. *Pariter:* i. e. æquè pari ratione, eodem dissensionis modo: ut enim disparata sint, non multis tantum, sed pariter opponi debent. Albedo opponit nigredini, flavedini, rubedini, ut unum pluribus; non autem singulis, ut disparatum quia non pariter: nigredini enim opponit ut contrarium, cæteris rebus omnibus ut disparatum. Viride, cineraceum, rubrum, media sunt inter album & nigrum, quæ singula extremis, & inter se disparata sunt. Sic liberalitas & avaritia inter se disparantur. Sic homo, arbor, lapis, & ejusmodi res infinitæ disparantur; nec eadem res potest esse homo, arbor, lapis. *Virgil.* I. *Aeneid.* hoc argumento disputat:

*O quam te memorem, virgo! namque haud tibi vultus*

*Mortalis; nec vox hominem sonat: o dea certè.*

## C A P. XIV.

### *De Relatis.*

**C**ontraria sunt opposita, quorum unum uni tantum opponit.

Intelligitur autem unum uni in eodem genere opponi contrariorum, ut relatorum unum uni tantum, & sic in reliquis: nam in diversis speciebus contrariorum, plura possunt ut contraria, uni eidēmque rei opponi; ut *videnti, non videnti, & cæci; motui, motus contrarius, & quies; servo, dominus & liber.*

Quæ Aristoteles ἀντιδιαλόγος & ἀντικείμενα, ea Cicero in Topicis (quem Ramus sequitur) *contraria* appellat: quas etiam in species quatuor Aristoteles ἀντιδιαλόγος, in easdem Cicero *contraria* distribuit.

Prius autem quād ad contrariorum distributionem in species accedimus, inferrenda est distinctio quædam non inutilis, & ad ea quæ diximus capite superiore clarius intelligenda, & ad eas, quæ secundo libro dicentur, disjunctiones necessarias à contingentibus dijudicandas. Dicitum est superiore capite, viride, cineraceum, rubrum, media esse inter album & nigrum, quæ singula extremis & inter se disparata sunt. Sciendum itaque est contraria, quasi extrema quædam habere, alia medium, alia medio carere: medium vel est negationis vel participationis; ex *Atistotele, Top. 4. 3. & Phil. V. 7.* Medium negationis est quicquid inter duo contraria dici potest, quod sit neutrum eorum: ut inter præceptorem & discipulum, is qui neque est præceptor neque discipulus. Medium participationis est, quod utriusque extremi naturam participat; ut viride inter album & nigrum, tepidum inter calidum & frigidum. Contrariorum igitur quæ medium habent, non est necesse alterutrum affirmari; potest enim affirmari medium: quæ autem medio carent, eorum alterum necesse est affirmari. Quænam autem contraria medium habeant aut non habeant, ex eo dignoscitur quod & *Gellius tradit* l. 16. Noct. Att. c. 8. Contraria quorum contradicentia, cùm attribuantur ei subjecto cui propriè possunt attribui, sunt etiam inter se contraria, ea medium non habent. Sanum & ægrum contraria sunt: eorum contradicentia, non sanum non ægrum, si animali attribuas cui soli possunt attribui, contraria etiam reperies: non sanum enim, est ægrum; non ægrum, sanum; sanum

ergo & ægrum medio carent: sic nox & dies, non nox & non dies, æquè sunt inter se contraria; non nox enim, est dies; non dies, nox; medio igitur carent: sic visu prædictum, & cæcum esse, si homini tribuis. Quorum vero contradicentia non sunt contraria, ea medium habent: ut præceptor & discipulus; non præceptor enim, non est discipulus; neque non discipulus, est præceptor; etenim potest alteruter aliquid esse tertium sive medium. Sic album & nigrum: namque non album & non nigrum de quovis colore medio dici possunt. Nunc ad distributionem contrariorum veniamus.

*Contraria sunt affirmantia aut negantia.*

*Affirmantia, quorum utrumque;* affirmat. Scilicet rem, sive veram sive fictam; vel quorum vox utraque rem certam ponit atque significat; quorumque unum alteri ut res rei opponitur; ut pater filio, calor frigori. Contraria itaque affirmantia, quod hic notandum est & distinguendum, sunt quorum utrumque affirmat rem, non affirmatur de re sive subjecto eodem, id enim supradictæ oppositorum regulæ, qua ex altero affirmato alterum negatur, planè repugnaret. Quæ igitur affirmat rem aut negat, topica affirmatio aut negatio dicitur; qua res de alio affirmatur aut negatur *axiomatica*, de qua lib. 2.

*Contraria affirmantia sunt relata aut adversa.*

*Relata sunt, quorum alterum constat ex mutua alterius affectione.*

Atque ita quidem ut ex eorum illa mutua affectione, contrarietas ipsa nascatur, ut infra demonstrabitur. Quid ergo; num idcirco relata nunc consentanea nunc dissentanea sunt? Nequaquam, ut relata quidem: sed ea tamen quæ relata sunt, aliis atque aliis argumentorum generibus possunt subjici; ipsa interiorum argumentorum genera inconfusa & distincta manent. Sic causa & effectum, quæ arguendo inter se relata sunt, adeoque dissentanea & æque manifesta, suam tamen vim propriam arguendi retinent, qua & consentanea sunt, & causa prior notiorque effecto. Relata esse contraria ex definitione & consecutiis contrariorum liquet; sunt enim opposita, quorum unum uni tantum opponitur, ut pater & filius. At, inquis, unus multis, pater filiis, frater fratribus, præceptor discipulis, herus famulis, opponi potest. Respondetur, opponi patrem filio ut relatum; neque aliud quicquam pati quām filium, neque filio quām patrem; & sic de ceteris: sed hunc patrem & hunc filium, hunc præceptorem & hunc discipulum, &c. Non esse relata, sed disparata: neque enim horum alter ex mutua alterius affectione constat; neque natura simul sunt, & alter sine altero existere potest. Itaque primæ substitutæ, sive individua & singularia, ut ait Aristoteles, Categor. 5. Non sunt relata. Et Categor. 6. ait multa genera relata esse, singularia vero nulla: Sed non video cur relata, quemadmodum & alia argumenta, etiam in singularibus considerari non possunt; singularia enim exempla sunt serè omnia. Nec magis video cur in uno relato singulari non poslit ad correlata multa esse multiplex relatio; dummodo relatio una numero inter binam tantummodo sit, totiisque consideretur quot sint correlata; patris nimurum toties quot sunt filii; filii quot sunt parentes, pater nempe & mater; fratris, quot sunt fratres & sorores: nam niti quicquid de relatis in genere dici solet, de singulis quoque relatis vere dicatur. Id ne toto quidem de genere vere dici possit. Si reponas ex Aristot. Philos. 5. Relata non significare existentiam, ne cetera quidem argumenta id significant sed mutuam tantummodo affectionem. Sunt affirmantia. i. e. ut duæ voces sunt, ita etiam duas sunt res inter se oppositæ; ut pater, filius. Constare autem alterum ex mutua alterius affectione, est nullam aliam habere essentiam, quatenus relata sunt, præter mutuam illam unius affectionem ad alterum & alterius ad illud. Atque inde nominata sunt relata, quod ad se invicem referuntur, totaque illorum natura in relatione consistit. Sic patrem esse, est habere filium; filium esse, est habere patrem. Hinc illud; Omnia relata convertuntur: ut pater est filii pater; filius est patris filius. Ihus mutua affectionis ratione relata sunt mutuae sibi causæ & mutui effectus, nam quod quis pater est, id habet à filio; quod filius, à patre: & tamen hujus mutuae affectionis vi ita sibi invicem opponuntur, ut neque unum de altero nec ambo de tertio dici possint; ut Aeneas est pater Ascanii, ergo non est Ascanii filius; Ascanius est filius Aeneas, ergo non est Aeneas pater. Sed quoniam relatorum unum constat ex mutua alterius affectione, mutuæque sibi, ut diximus, causæ atque effecta sunt, consecutarium hoc inde est quod sequitur.

*Relata simul sunt natura: ut qui alterum perfectè norit, norit & reliquum.*

Relata autem simul esse natura docuerunt & veteres Logici, Aristoteles, Damascenus,

*inascens*, & alii ; relatique se mutuò interre mutuòque tollere ; ut posito patre, ponatur filius ; sublito, itidem tollatur : etiamsi enim ille manet qui filius fuit, non tamen filius manet. Neque tolùm unum existere nequit sine altero, sed ne intelligi quidem. Necesse est igitur, quod & meminit Aristot. Top. 3. Ut alterum in alterius definitione comprehendatur ; utque alterum perfecte, i. e. definite, qui norit, norit continuò alterius definitionem ; quæ sicuti & essentia eorum, reciproca est. Supra itaque Ramus definivit subjectum, cui aliqd adjungitur ; non, quod alteri subjicitur, ut alii malebant ; etiamsi his verbis non modò essentia subjecti, sed etiam notatio contineri videatur : deinde adjunctum definivit, cui aliqd subjicitur, non quod alteri adjungitur, quia subjectum & adjunctum relata sunt ; & subjectum adjuncti, adjunctum subjecti, ex qua alterum alterius mutua affectione constat, ea erat definiendum, quæ ipsorum essentia est. Ad exempla nunc veniamus.

*Pro Marcello* : Ex quo profectò intelligis quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Hic dare & accipere relata sunt, quorum unius consequens ex consequente alterius intelligi ait Cicero. *Martialis in Sofibianum. l. 1.*

Cum servum scis te genitum, blandèque fateris ;  
Cum dicis dominum, Sofibiane, patrem.

Arguebat se servum esse genitum Sofibianus, dum negare videbatur, quia dominum vocabat patrem. Sic apud Quintilianum, l. 5. c. 10. Si portorium Rhodus locare honestum est, & Hermacreonti conducere. Quomodo & in Oratore perfecto Tullius : Num igitur est periculum, ait, ne quis putet in magna arte & gloriosa via esse dicens alios id quod ipsi fuerit honestum discere ? Apud Ovidium in ætatis ferrea descriptione, Metam. 1. Varia relatorum exempla afferuntur :

— Non hospes ab hospite tutus,  
Non sacer à genero : fratrum quoque gratia rara est.  
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti :  
Lurida terribiles miscent aconita noverce :  
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Atqui argumentum talis relationis contrarium nihil habet, immo arguit mutuas causas : ut sum tuus pater ; tu es igitur meus filius. At quem dico, sum tuus pater, non igitur sum tuus filius, cum contraria verè sunt ; atque ex ipsa quidem hac mutua relatione.

## C A P. XV.

### De Adversis.

**A**DVERSA sunt contraria affirmantia, quæ inter se velut è regione absolute adversantur.

Sic etiam à Cicerone appellantur in Topicis. Sunt contraria, quia eorum unum uni tantum opponitur ; ut honestum turpi : duo n. duntaxat possunt sibi invicem è regione adversari. Sunt affirmantia ; quia unum uni opponitur, ut res rei ; quod supra demonstratum est, & infra clarius patebit. His autem verbis è regione absolute adversantur, nihil aliud quam directa oppositio, adeoque maxima, intelligitur ; qualis est inter duo puncta diametri in eodem circulo. His etiam verbis distinguuntur adversa à suis mediis, quæ inter se & cum extremis disperantur. Absolute ; i. e. omnino, perfectè ; ut in Consentaneis, quæ absolute contentiebant. Ramus perpetuo dixerat : sed assentior aliis, qui absolute malunt : nam perpetuò opponi, omnib. oppositis etiam relatis, commune est, quatenus opposita sunt, i. e. ratione & re dissidentia. Absolute autem additur, ut hac particula distingui aduersa possint à relatis, in quibus consensio quædam est, quatenus alterum ex mutua constat alterius affectione, cuiusmodi hic omnino nulla est. Sic albor & nigror, claror & frigus opponuntur.

Aristoteles, contraria ( sic enim aduersa vocat Categ. 6.) definit, quæ plurimum inter se distant in eodem genere : & rursus Categ. 8. Contraria sunt vel in eadem specie, vel in eodem genere. Quem Cic. est secutus in Top. & Galen de Opt. secta.

Verùm adversa, ut docet idem Aristot. cap. de Contrariis, non in eodem solum genere plurimum differunt, ut album & nigrum, verum etiam in contrariis, ut iustitia & iniustitia; vel ipsa genera, ut bonum & malum, virtus & vitium. Quid quod in eodem genere differit, commune videtur adversis cum relatis: pro eodem igitur genere, rectius in definitione ponitur è regione, prout Cicero interpretatur.

*Aeneid. 11.*

*Nulla salus bello; pacem te poscimus omnes.*

*Libertas & servitus apud Tibullum, l. 2.*

*Sic miki servitum video, dominamque paratam;*

*Tu mibi libertas illa paterna vale.*

Sic consilium & casus; pro Marcello: nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. Et Parad. I. contra Epicureos: illud tamen arcte tenent accurateque defendant, voluptatem esse summum bonum: que quidem mihi vox pecudum videtur, non hominum, &c. Pecudem & hominem adversa Cicero opposuit: voluptas pecudis bonum est, non igitur hominis. Usus enim hujus argumenti non in qualitatibus duntaxat, ut vulgo putant, verum in substantiis etiam & quantitatibus, immo omnibus in rebus versatur: id quod Aristot. non diffitetur, cum ait Phil. x. 3. *Contraria etiam ad primas entis differentias referri: & rursus; in omni genere contrarietatem esse.* Contrarietas deinde argumentum esse Logicum ab omnibus agnoscitur: nihil ergo obstat quo minus ad quævis rerum genera pertineat. Quædam denique formæ vel maximè substantiae sunt: formæ autem specificas omnes sibi invicem adversas esse, apud omnes receptissimum est: immo vero major videtur esse formarum contra. itæ quam qualitatum; qualitates enim commisceri facile possunt, formæ vix unquam. Quod ergo idem Aristot. alibi docet, substantiae & quantitatæ nihil esse contrarium, id non ratione tantum, sed ipsius etiam testimonio supra citato refellitur; non substantiarum autem pugna etsi non Physica, Logica tamen est, dum ex altera substantia singulari affirmata, negatur altera.

## C A P. XVI.

### *De Contradicentibus.*

**C**ontraria negantia sunt, quorum alterum ait, alterum negat idem. Ab altero negante sic nominantur: in puris enim negantibus, ut loquuntur, nullus est rationis usus. Atq; hinc demum nunc clarissim patet, quænam essent contraria affirmantia: de quibus cum dictum est, de negantibus quoque est dictum quod satis sit.

*Ea sunt contradicentia aut privantia.*

*Contradicentia sunt contraria negantia, quorum alterum negat ubique: ut justus, non justus; animal, non animal; est, non est.*

*Contradicentia sunt contraria, quia una negatio uni affirmationi opponitur, & contraria; immo sine medio. Sic etiam Aristot. Post. I. 2. *Contradiccio est oppositio cuius nullum est medium per se.* Quorum alterum negat ubique; i. e. in re qualibet: negare enim ubique est de re qualibet dici, de qua affirmatum non dicitur: ut de quo videt non dicitur, de eo non videt dicitur. Unde illud vulgo dictum, *contradicentia sunt omnia:* & illud Aristot. I. Post. I. 2. *quodvis verè est vel affirmare vel negare: verè affirmare & negare simul, impossibile est.* & Top. 6. 3. *de qualibet re vel affirmatio vel negatio verè dicitur.* Alterum autem negare ubique dicitur, vel expresse vel implicitè. Expressè ut suprà, cum negandi particula: implicitè, cum re ipsa non minus contradicit & repugnat alteri, quam si verbo negaret; ut corpus infinitum, proprietas communis. Vulgo vocatur contradictione in adjecto; quia id subjecto adjungit quod subjectum planè tollit; atque ita contradictionem implicat. Atque hinc etiam est quod contradictionia medio carent non solum participationis verum etiam negationis, quia necesse est affirmare vel negare unum quodvis de altero. Sic etiam Boethius in Topicis: *inter affirmationem & negationem nulla est medietas.* Contradicentium porrò exempla hæc sunt. In defensione Murano contradicitur sententiis*

illis Catonis & Ciceronis; illius Stoici, hujus Academicorum. Dialogus est his verbis: *nihil ignoveris: immo aliquid, non omnia.* *Nihil gratiae causa feceris: immo ne risisti gratiae, cum officium & fides postulabit.* *Misericordia commotus ne sis;* etiam in dissolvenda severitate: sed tamen est aliqua laus humanitatis. In sententia permanentio: *enim vero nisi sententia alia vicerit melior.* In hoc exemplo quadruplex contradictionis est: *nihil ignoveris;* non *nihil ignoveris;* *nihil gratiae causa feceris;* non *nihil gratiae causa feceris,* &c. *Martial. l. 1.*

*Bella es; novimus; & puella; verum est:  
Et dives; quis enim potest negare?  
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,  
Nec dives, neque bella, nec puella es.*

Cicero in *Tusc.* cogit hoc argumento Atticum Epicureum fateri mortuos miseros non esse, si omnino non sint, ut Epicurei credebant. *Quem esse negas; eundem esse dicas: cum enim miserum esse dicas, tum eum qui non sit, esse dicas.* Sic Terentianus *Phaedria Dervi cuncti dicuntur elevat,* quod affirmasset prius, quæ post inficiatur: modo ait, modo negat.

Sunt qui contradictionem nullam esse statuunt, nisi axiomaticam; de qua lib. 2. Verum si affirmatio & negatio Topica datur, ut supra demonstravimus, necesse est dari quoque Topicam contradictionem: qualis est illa Rom. 9. *Vocabo non populum meum, populum meum; & non dilectam, dilectam.* In distinctionibus etiam frequentissimus est hujus contradictionis usus; præsertim ubi alterum distinctionis membrum apta voce exprimi non potest: ut Dialecticæ materia est ens, & non ens; lex est scripta, vel non scripta. Sic ad *Critonem Socrates;* videris opportune quidem non excitasse me. In his exemplis axiomatica contradictione nulla est: ut neque in illo quod supra in hoc capite ex *Martiale* allatum est: *Bella es; novimus, & puella, &c.* Non enim verbum est sive copulatio negatur, sed partes. *Fabulla est bella & puella & dives;* *Fabulla est & non bella, & non puella, & non dives.* Axiomatica enim contradictione hujusmodi fuisset: *Fabulla non est & bella & puella & dives:* quod lib. 2. clarius intelligetur.

## C A P. XVII.

### *De Privantibus.*

Privantia sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantum subjecto, in quo affirmatum scilicet natura inest. Atque hic affirmatum dicitur habitus, quo quis quid habet, negatum autem privatio, quæ quis ea re privatur aut caret: ut visus & cæcitas, motus & quies in iis rebus quæ motu conservantur. Sunt contraria, quod unum uni opponitur, habitus privationi; qua ex parte negantia quoque dicuntur: nam & hic rei alicuius affirmationi ejusdem negatio, i. e. enti non ens opponitur: privatio enim, ut inquit Aristot. *Phys. 2. 8.* per se est non ens: & Plut. de primo frigido; privatio est essentia negatio; habituique opponitur, non ut natura quadam aut essentia per se existens, sed ut ejus corruptio & ademtio. Quorum alterum negat in eo tantum subjecto, in quo, &c. His verbis forma privantium qua distinguuntur à contradicentibus, exprimitur. In contradicentibus enim negatio infinita est, affirmatum suum ubique, i. e. qualibet in re negans; ut quicquid non est justum, est non justum; in privantibus vero finita est negatio, atque in eo tantum subjecto affirmatum sive habitum negans, in quo affirmatum scilicet natura inest: aut inesse potest? ut etiam Aristot. in *Categor.* Sic cæcitas est negatio visus, non ubique & in re qualibet, sed in qua solum visus inesse natura debuit: nam privari aliquid rurum demum dicitur, cum eo caret quod natum est habere: non ergo quicquid non videt, propriè cæcum dicitur. Deinde in contradicentibus negatum contradicendo negat, & est pura negatio; ut videns, non videns: in privantibus negat privando; nec solum negatio est, sed privans negatio & extinctio habitus alicuius qui inesse natura subjecto debuit aut potuit; ut videns, cæcus. Hinc illæ privationis proprietates ex Plut. de primo frigido, non inutiles: *privatio iners & agendi impos est: non suscipit magis aut minus;* neque enim quis dixerit hunc illo cæciorem; aut tacenteim, magis minùsve tacere; aut defunctum, magis minùsve esse mortuum: habitus enim gradus esse possunt,

non entis non item : Illa autem Aristot. à privatione ad habitum non datur regressus, incertior est: cùm enim habitus quo quis habere quid dicitur duo modi sint, potentia & actus, à privatione potentiae vel facultatis, idque naturā duntaxat, regressus negatur. Contradicentia denique medio carent non solum participatio- nis, verū etiam negationis : privantia verò carent quidem medio participatio- nis, nulla enim est habitus cum privatione permixtio ; non carent autem medio negationis ; multa enim sunt, quae neque vident, neque cæca sunt ; ut lapis, ar- bōr, &c. nisi cùm ei subjecto attribuuntur, cui natura inesse debuerunt : tum enim negationis etiam medio carent ; quippe omnis homo aut videns est aut cæ- cus, gnarus aut ignarus. Exempla porrò privantium sunt dives & pauper : *Martial. l. 5.*

*Semper eris pauper, si pauper es, Æmiliane :*  
*Dantur opes nullis nunc, nisi divitibus.*

Vita & mors, ut in Miloniana : *hujus mortis sedetis ultores, cuius vitam, si putetis per vos restitui posse, nolitis.* Item loqui & tacere : *i Catil. quid expectas auctorita- tem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis.* Cætera exempla quæ Ramus attulit, minus quadrant : ut ebrius & sobrius, mortal is & immortal is, quæ potius adversa sunt. Neque enim in præpositio in compositis privationem semper, sed adversum habitum sepe significat ; unde nec peccatum privationem esse dixerim ; siquidem hoc vel illud peccatum sive vicium, privatio non est. Atque hæ quidem species contrariorum sunt. Sed queri hic solet, quænam earum sint maximè inter se contrariae. Aristoteles maximam contrarietatem nunc ad- versis triòuit, nunc contradictibus. Sed videtur maximam esse dissensionem inter privantia : deinde inter adversa ; minorem adhuc inter contradictia ; mi- nimam inter relata : nam relata propter illam mutuam affectionem, partim con- sentanea sunt : contradictia pure quidem contraria negantia sunt, sed tamen propter infinitam illam negationem, pro mediis & disparatis crebro accipiuntur, ut non calidum non tam opponitur calido quam frigidum ; quoniam non calidum potest tepidum esse ; sic non bonum, medium quiddam esse potest & adiapho- rum : non album de rubro dici aut intelligi potest : adversa è regione quidem aduersantur ; non ita tamen, quin commisceri queant : privantia verò mixtio- nem non admittunt ; & privatio ferè est habitus extinctio atque ereptio aut sal- tem deficiencia ; habitusque est ens, privatio non ens ; enti autem nihil, æquè ac non ens, contrarium est.

*Sed dissentaneorum categoria sic est, unde quidvis ab altero differre quolibet modo possit.*

Quanquam enim causa omnis essentialis differentiae, formæ primus est reli- quarum, argumenta reliqua consentanea, ut quot modis consentire totidem dis- sentire res dicantur, causa nempe vel effecto, subjecto vel adjuncto, modi tamen omnes, quib. res inter se differunt vel ratione scilicet vel re, non tractantur nisi in dissentaneis, vel si comparantur, in comparatis. Unde illud genere vel spe- cie differre, nihil aliud est quam communi vel propria forma, quarum illa sym- bola sunt, ut infra dicetur.

## C A P. XVIII.

### *De Paribus.*

**A**rgumenta simplicia ita fuerunt in consentaneis & dissentaneis.  
Comparata sunt argumenta prima, quæ inter se comparantur.

Simplex rerum affectio comparatione prius tractanda fuit : hanc enim si remo- ves, comparata omnia aut consentanea erunt aut dissentanea. Platonis dostrina & Xenophontis ante adjuncta utrique erat, quam comparata. Sunt argumenta pri- ma non orta, eo quod orta, ut patebit infra, eandem habent affectionem cum primis unde orta sunt ; comparata etsi simplicia prius fuere, simplicium tamen affectionem non habent. Inter se comparantur ; nimisrum quæ sunt ejusdem gene- ris : genera autem distributio mox docebit. Nunc proprietates comparatorum sunt dicendæ.

*Comparata etsi ipsa comparationis natura æque nota sunt ; attamen alterum altero alicui notius & illustrius esse debet.*

Ubi hoc advertendum, non sua sed comparationis natura dici æquè nota esse comparata. Ita sunt, inquis, & relata vi relationis; immo argumenta omnia quæ etiam relata sunt. At, inquam, relatio & comparatio non sunt idem; & reliqua argumenta, & si quatenus relata sunt notione Logica, æque nota sunt, suā tamen naturā, prout quæque est, vel æquè vel non æquæ sunt manifesta; dissentanea quidem æquæ, consentanea non æquæ, ut jam supra est dictum. Debet autem ei quicum disputamus comparatorum id quod arguit sua natura & priusquam comparatio instituitur, notius esse atque illustrius eo quod arguitur; æque enim obscurum nihil argueret. Unde in signis comparatorum usus elucet; quo sit ut inæqualis rerum notitia comparationis vi æqualis redditur. Sic consentanea ad probandum, dissentanea ad refellendum, comparata ad illustrandum ap-tissima sunt.

*Comparata autem saepe notis brevius indicantur; aliquando partibus plenius distin-guantur, quæ propositio redditioque nominantur.*

Duplex ergo est comparationis forma: altera contracta, altera explicata. Contracta est quæ uno verbo conciuditur, ut infra cap. 21. Explicata, quæ partibus distinguuntur; partesque istæ propositio & redditio nominantur. Proposi-tio præcedit saepe, & argumentum est: redditio saepe sequitur, estque id quod arguitur; si fecus occurrit, inversio est. Omnis autem forma comparationis contracta, suis partibus explicari potest.

*Atque omnino comparata etiam ficta arguunt fidemque faciunt.*

Arguunt scilicet rem veram; in quo cæteris argumentis præcellunt; quæ ficta si sunt, rem fictam duntaxat arguunt; ut materia ficta, fictam solis do-mum. At comparata etiam ficta, non sua quidem natura, sed comparationis vi, res veras arguunt fidemque faciunt.

*Comparatio est in quantitate vel qualitate.*

*Quantitas est qua res comparatae quantæ dicuntur.*

*Estque parium vel imparium.* Non hic loquimur de quantitate solum mathe-matica, quæ magnitudinis est aut numeri, sed de quantitate Logica, quæ ratio quælibet sive affectio est, qua res quæcunque inter se comparatæ quantæ, i. e. æquales vel inæquales, pares vel impares dici possunt.

*Paria sunt, quorum est una quantitas.*

Sic etiam definit Aristoteles, Phil. 8. 15. Quod idem valet acsi diceretur, quo-rum par ratio est. *Una*, i. e. eadem, æqualis: unde in plurali numero eodem nomine ac definitione explicantur.

*Argumentum igitur paris est, cum par illustratur à pari.*

Ad exempla veniamus; atque ad ea primùm quæ in forma, ut diximus, con-tracta notis brevius indicantur. Hæ autem notæ præcipue sunt *par*, *æquale*, *æqua-re*; ut in his: *Aeneid.* 2.

— *Par levibus ventis.*

*Ubi levitas Crenæ umbræ comparatur levitati ventorum.* *Aeneid.* 3.

*Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.*

*Aeneid.* 6.

*En hujus nate auspiciis, illa inclyta Roma*

*Imperium terris, animos æquabit Olimpo.*

His notis aliæ sunt affines, pariter, æquæ, æqualitas, æqualiter, perinde, acsi, & id genus alia.

Sequitur forma explicata; in qua propositio & redditio distinguuntur, quæ in contracta forma erant implicitæ. In hac autem forma explicata par quantitas vel notis aperte indicatur, vel sine notis mente & ratione concipitur: Notæ istæ sunt vel propriæ parium, vel negationes imparium: parium propriæ, *idem*, *quod*; *tam*, *quam*; *tanto*, *quinto*; *tot*, *quot*. In quibus singulis notarum paribus prior quæque redditioni inservit, posterior vero propositioni. *Catil.* 4. *Cujus res gestæ atque virtutes iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur.* *Aeneid.* 4.

*Tam ficti pravique tenax quam nuntia veri.*

*Tanò pessimus omnium poëta,*

*Quanto tu optimus omnium patronus.* *Catul.* 4.

*Ovid.* 4. *Trist.*

*Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores.*

*Quotque soporiferum grana papaver habet, &c.*

*Tot premor adversis* —————.

Negationes imparium sunt; vel majoris & minoris seorsim vel utriusque simul non magis, non minus. *Philippic.* 9. Neque enim ille magis *Jurisconsultus quam justitia fuit, &c.* Neque constituere litium actiones malebat, quam controversias tollere. *Ovid.* 2. de Arte.

*Non minor est virtus, quam querere, parta tueri.*

*Viriusque simul pro Muræna: Paria cognosco esse ista in L. Muræna, atque ita paria, ut neque ipse dignitate vinci potuerit, neque te dignitate superarit.* Observandum est autem negationem majoris vel minoris seorsim non semper esse notam parium: neque enim si servus non est major domino, ergo est æqualis; nec si dominus non est minor servo, ergo par.

Hactenus cum notis: nunc sine notis hæc quæ sequuntur. Atque in hoc potissimum genere exemplorum sine notis, appareat vis eadem arguendi in utramque partem; adeo ut si unum, alterum quoque sit; si non sit unum, neque alterum. Itaque ex uno eorum affirmato, alterum affirmatur; ex negato, negatur: 2 *Philip.* *Quorum facinus commune, cur non eorum præda communis?* Ter. in Adel.

*Quando ego non euro tuum, ne cara meum.*

*Hujus loci, parium nempe sine notis, sunt consecutaria illa è contrariis quidem orta, sed parium collatione tractata.* Ut ex adversis ista; *Cicero pro Sylla:* neque vero quid mihi irascare intelligere possum; si, quod eum defendeo quem tu accusas, cur tibi quoque ipse non succenso, qui accuses eum quem ego defendeo? *Inimicum, inquis, accuso meum: & amicum, inquam, ego defendeo meum.* Sic 5. *Tusc.* quod cùm fateantur, satis magnam vim esse in vitiis ad miserans vitam; nonne fatendum est eandem vim in virtute esse ad beatam vitam? *Contraria enim contrariorum sunt consequentia.*

Quæ tamen regula non est perpetuo vera primò nisi collatio sit verè parium: non ergo sequitur, mala opera damnant; ergo bona justificant. Mala n. opera omnino mala, bona imperfetè bona sunt; illa nostra, hæc non plane nostra. Secundæ, sed in iis cunctaxat paribus, contrariorum ex loco petitis, quorum parium propositio reciprocatur. Quod in relatis quidem fit frequentissime: ut apud *Martialem.*

*Tum servum scis te genitum, blandéque fateris,  
Cùm dicis dominum, Sosibiane, patrem.*

Pater est filii dominus, & filii dominus est pater: pariter ergo filius est patris servus. Sic ex adversis: bonum est appetendum; pariter ergo malum est fugiendum. Nempe quia propriæ adeoque reciprocæ, omne appetendum est bonum. Et ex privantibus: *Ovid.* 1. Fast.

*In pretio premium nunc est, dat census honores,  
Census amicitias: pauper ubique jacet.*

Dives est in pretio, & quisquis est in pretio, est dives; ergo omnis pauper jacet.

*Quoties autem collationis propositio non reciprocatur, vel quoties uni parium id quasi proprium tribuitur quod utriusque commune est, eorum consequentia contraria non sunt, sed sepe eadem.* Fallit ergo hoc ex relatis: pater est dives; ergo filius est pauper: quia propositio non est reciproca; omnis enim dives non est pater. Et hoc etiam ex adversis: homo est sensu præditus; bestia igitur sensu caret. *Homo mortalis; bestia igitur immortalis:* quippe nec sensu prædictum, nec mortale est homini proprium; sed utrique contrario commune, & homini & bestiae. Hoc etiam ex contradicentibus: homo est animal; ergo non homo est non animal. Hoc denique ex privantibus: videns vivit; ergo cæcus est mortuus: vivere enim & videnti & cæco commune est. Non enim idem non dici de contrariis, sed contraria de eodem dici non possunt: immo quod suscipit unum contrariorum, suscipit alterum; & quod unum non suscipit, neque alterum; ut, in quo est amor, in eo potest esse odium. *Quibus nullum est jus, iis nulla sit injuria.*

Est & aliis parium sine notis modus, quo interdum lacefitti, par pari reponimus. Qualis est *Virgil.* Ecl. 3. In illa pastorum alterna contentione repetitum illud; Dic quib. in terris, &c. Cujusmodi est & illud *Mat.* 21. 23, &c. Qua autoritate facis ista? &c. Interrogabo vos ego etiam quiddam: Baptisma Joannis unde erat? Affine est illud *Cic.* Off. 2. Cato, cùm ab eo quereretur, quid esset fœnerari? respondit, quid hominem occidere?

Paria verò facta quorum esse proprium suprà diximus rem veram arguere, sunt illa apud Ciceronem, Invent. 1. ex Eschine Socratis; ubi Aspasii cum Xenophontis uxore & Xenophonte ipso sic inducit locuta: dic mihi, quæso, Xenophontis uxor, si vicina tua melius habeat aurum quam tu habes, utrum illius an tuum malis? Illius, inquit. Et si vestem? Illius verò respondit. Age verò, si virum illa meliorem, an illius malis. Hic mulier erubuit. Comparatio sic se habet: si aurum, si vestem vicinæ meliorem habere malles quam tuam, malle etiam meliorem vicinæ virum argueris. Non dicit vicinam habere aurum aut vestem meliorem, sed fingit aut ponit, eamque si mallet Xenophontis uxor, arguitur malle virum quoque vicinæ si melior sit.

## C A P. XIX.

## De Majoribus.

**M**aria sunt, quorum quantitas non est una.

**N**on una, i. e. non eadem; quorum par ratio non est: contrariorum enim contraria ratio est.

*Impar est majus vel minus.*

*Majus est cuius quantitas excedit.*

Major autem vel minor quantitas aestimanda est ex rerum quæ comparantur, elatione vel summatione, ut inquit Cic. in Top. i. e. excessu vel defectu; quæ vel notis indicantur, vel, si defunt notæ aliis vocibus, quæ excessum vel defectum significant, intelliguntur. Ex eo autem quod suprà de Logica quantitate diximus, intelligendum est id Logicè majus quoque esse, cuius non solum magnitudo, mensura, aut numerus, sed etiam auctoritas, potentia, præstantia, probabilitas, difficultas, aut quid hujusmodi majus est; vel brevius, quod quavis ratione excessum habet, id majus est; idque non solum rei ipsius natura, sed vel opinione differentis. Majus igitur est cuius quantitas excedit id quod minus est: majus enim hinc adhibetur ad arguendum minus.

Quemadmodum autem parium, ita argumenti à majore, forma alia contracta est, quæ notis brevius indicatur; alia explicata, quæ partibus plenius distinguuntur.

Contractioris formæ notæ sunt vel nomina comparativa & superlativa suis casus regentia, vel verba quedam; & ea quidem utraque non solum quæ excessum significant, ut *major*, *melior*, *peior*; *præstare*, *superare*, *vincere*, *excedere*; *preferri*, cùm referuntur ad id quod arguit, verum etiam ea cùm nomina tum verba quæ defectum significant, ut *minor*, *inferior*, *posthabeo*, *cedo*, *vincor*, *superor*, si referuntur ad id quod arguitur.

Explicata autem forma nunc est cum notis, nunc sine notis. Notæ sunt non solum, sed etiam; non, tam, quam, & comparationes, verbaque, ut suprà, non modo elationem significantia cum particula quam, si ea particula tribuatur ei semper quod arguit, sed etiam ea quæ summationem significant, si modò particula quam referatur ad id quod arguit: ut, *minus est amicum pulsare, quam patrem*. Sed hoc exemplum arguit potius à minori quam grave scelus sit pulsare patrem, quam à majori non admodum grave esse pulsare amicum. Idem de cæteris hujusmodi est dicendum.

Exemplum primæ notæ: Cic. pro Murena: *Tollitur è medio non solum ista verbo-sa simulatio prudentiae, sed etiam illa domina rerum sapientia.* Spernitur orator non solum odiosus in dicendo aut loquax, verum etiam boniss. In hujusmodi exemplis sed etiam est propositio, &c. ut majus, arguit redditionem non solum, ut minus.

Huic nota affinis est *immo*, vel *immo* verò. Cujusmodi est illud apud Terent. *Thr. Magnas verò agere gratias Thais mibi?* *Gn. Ingentes.* *Thr. Ain tu? lata est?* *Gn. Non tam ipso quidem doro, quam abs te datum esse: id verò serio triumphat.* Hic facile intelligitur *immo ingentes* & *immo id serio triumphat*. Ingentes gratiæ arguunt magnas; & triumphare, lætam esse. Sic Catil. 1. *Hic tamen vivit, vivit? immo vero in senatum venit.* Et illud Ver. 3. *Non furem, sed raptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae, &c.*

Exemplum secundæ notæ, comparativorum scilicet & verborum cum particula quam, est ex Cic. pro Marcello: *Plus admirationis habitura, quam glorie.* Sed

ambiguum: aut enim plus admirationis arguit minus gloriae, & sic argumentum est à majori, aut minor gloria si magna sit, arguit maximam admirationem.

Verborum elationem significantium cum particula quām exemplum hoc erit; mendicare præstat, quām furari. Hic mendicare, quanquam in honestum, ut magis tamen & potius faciendum, arguit multo minus esse furandum.

Sic malo illud, scilicet quod arguit, quām hoc, scilicet quod arguitur: ut *Invenit. Satyra 8.* adversus gloriosum nobilem.

*Malo pater tibi sit Thersites, dummodo tu sis  
Æacida similis, Vulcaniāque arma capessas,  
Quām te Thersitæ similem producat Achilles.*

Quod malit ignobilem fortem, quod tamen non est ita optandum, ex eo arguit atque ostendit à majori sive à potiori quām minime velit nobilem ignavum. *Cæsar:* Malo modestiam in milite, quām virtutem. Modestia, judicio *Cæsaris*, præstantior & major, arguit virtutem sive fortitudinem in milite minus esse quam modestia requirendam: vel potius à minori exaggerat modestiae laudem in milite præ virtutis laude.

*Sequitur majorum tractatio sine notis.*

Atque in hoc solum genere id majus est cuius probabilitas aut difficultas est major. Hic etiam Logici regulas consequentiæ tradere solent non solum negando, ut vult *Aristot. Rhet. 2. 23.* verum etiam affirmando, pro quantitatis diversa vi & consideratione, in exemplis diversis: ejusdem enim exempli una tantum ratio est. Si majus est probabilis, duntaxat negando, in hunc modum: *quod non valet in majore, non valebit in minore.* Si majus est difficilis aut incredibilis, duntaxat affirmando: *quod in re majore valet, valet in minore*, ut inquit *Cic. in Top.* Hujus exemplum est *Æneid. I.*

*O socii (neque enim ignari sumus ante malorum)  
O passi graviora! dabit Deus his quoque finem.*

Si gravioribus malis dedit Deus finem, dabit his certè. Sic *Cic. pro Murana:* *Noli tam esse injustus, ut cùm tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere.*

*Filia etiam majora idem valent in suis consequentiis vel refutandis vel probandis.*  
*Refutandi exemplum est Terent. Heaut.*

— Satrapas si siet  
Amator, nunquam sufferre ejus sumtus queat:  
Nedum tu possis: quasi diceret, finge satrapam esse.  
Et *Æneid. 5.*

*Magnanime Ænea, non si mihi Jupiter auctor  
Spondeat, hoc sperem Italianam contingere cælo:  
Mutati transversa fremunt, &c.  
Nec nos obniti contrâ, nec tendere tantum  
Sufficimus: i. e. multo nunc minus Jove non spondente.*

## C A P. XX.

### De Minoribus.

**M**AJUS & minus inter se affecta & relata sunt: adeoque unius definitionem

Ut igitur majus est cuius quantitas excedit, ita minus est cuius quantitas exceditur. Quantitas autem ut majoris erat in qualibet rerum elatione sive excessu, ita nunc minoris est in qualibet rerum summatione sive defectu. Sententiarum enim minor probabilitas aut difficultas locum non habet, nisi in minorum forma explicata; quod ex majorum quoque explicata forma intelligi potest. Minus igitur est cuius quantitas exceditur à majore: argumentum itaque à minore est, cùm id quod minus est, adhibetur ad arguendum id quod est majus.

Minora etiam vel brevius indicantur notis, vel plenius distinguuntur partibus. Hujus utriusque formae vel propriae sunt minorum notæ, vel negationes parium.

Propriæ notæ contractioris formæ sunt primùm, voces comparativæ Grammaticæ, cùm nomina tum verba, elationem utraque significantia, si modò attribuantur ei quod arguitur. *Ovid. 2. de Trist. Sevir es tristi Busiride.* Hic minor sævitia *Busiridis* arguit majorem illius in quem poeta invehitur. *Præstat sapientia divitiis. Sevir & præstat elationem significant, & notæ sunt majoris;* sed quia tribuuntur ei quod arguitur, argumentum utrobique est à minori. Atque hoc sedulò advertendum est, ut argumentum majoris à minori dijudicare possit: *majora enim & minora, contractæ præsertim formæ, easdem plerumque notæ præ se ferunt;* idemque exemplum utramvis in partem vel à majori vel à minori arguere potest: *ut, sevir es tristi Busiride.* Hoc si ad sævitiam cuiusvis exaggerandam dicatur, ut hoc loco, à minori est: si ad *Busiridis* extenuandam, à majori. Si igitur illa quæ elationem significant, referantur ad id quod arguitur, sunt illa quidem notæ majoris, argumentum autem est à minori; quoniam majus, cuius illa notæ sunt, est id quod arguitur: sin illa quæ summisionem significant, referuntur ad id quod arguitur, sunt illa quidem notæ minoris, sed argumentum est à majori; quoniam id quod arguitur, minus est.

Secundò, comparationes Grammaticæ verbâque summisionem significantia, ut minor, inferior, &c. Posthabeo, postpono, cedo, vincor, superior, &c. Si modò ad id quod arguit, referatur: *ut cedant arma togæ.* Hic togæ dignitas arguit à minori armorum dignitate, quæ cedit.

Atque hæ sunt notæ affirmantes contractæ formæ: quibus annumerandæ sunt etiam istæ formulæ, quæ fiunt negatione parium. *Philip. 9. Omnes ex omni ætate, qui in hac civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum S. Sulpicio non sunt conferendi,* i. e. non æquandi, quæ nota parium fuit. Hactenus contracta forma.

Explicata forma vel cum notis est, vel sine notis. Propriæ notæ sunt primò, non modò non, sed ne. *Cic. 2 Catil. Nemo non modò Roma, sed ne illo in angulo totius Italie oppressus cre alieno fuit, quem non ad hoc incredibile sceleris fœdus asciverit.* Hic posterior nota sed ne, est propositionis, & nota minoris; arguitque non modo non, quæ redditionis est, & nota majoris, quod arguitur. Ne ullo in angulo Italiae non fecit, quod minus utile sibi erat, non modò non igitur vel multo magis Romæ fecit, quod majus erat, vel sibi magis utile. Pro *Fonteio: Non modò nullum facinus hujus protulerunt, sed ne dictum quidem aliquod reprehenderent.* Ne minus quidem fecerunt ut dictum aliquod reprehenderent, quæ propositio est & arguit non modò non majus, i. e. ergo non majus, ut facinus aliquod proferrent, quæ redditio est, & arguitur.

Verūm in hujus notæ exemplis propositionis nota sed ne, aliquando omittitur. *Ad Lent. Nullum meum minimum dictum, non modò factum pro Casare intercessit, i. e. nullum non modò factum, sed ne dictum quidem.* Huic notæ affinis est illa formula, *tantum abest ab hoc, ut ne illud quidem.* Pro *Marcello: Tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris.* Ne hoc quidem fecisti quod minus est, abes ergo longe ab illo quod est majus.

Secundæ notæ sunt comparationes Grammaticæ & verba quædam cum particula quam, quæ vel elationem significant, ut *potius hoc quam illud, malo hoc quam illud,* vel summisionem, ut minor, inferior, ita ut quam utrobique referatur ad id quod arguitur. *Catil. 1. Ut exul potius tentare, quam consul vexare remp. possit.* Quod potius erat *Ciceroni ut exul tentaret remp. quam consul vexaret,* illud ut minus malum arguit hoc esse majus. Hic comparatio Grammatica potius, ad id quod arguit, refertur, nempe ad minus malum; particula quam ad id refertur quod arguitur, nempe ad majus malum. *Sic maluit Metellus de repub. quam de sententia sua dimoveri.* Hic maluit, verbum elationis, refertur ad id quod arguit, nempe ad minus malum, iudicio *Metelli,* de rep. dimoveri; particula quam ad id refertur quod majus malum arguitur, dimoveri de sententia. Sic in iis notis quæ summisionem significant, particula quam refertur semper ad majus quod arguitur, non secus atque in iis quæ significant elationem: *ut, minus est accipere, quam dare;* *inferior est Caesar quam Scipio.*

His notis affinis est antequam, i. e. potius quam. Pro *Milone: Utinam Clodius dictator esset, antequam hoc spectaculum viderem.*

Tertia nota est cum tum: i Agr. quæ cum omnib. est difficultis & magna ratio, tum utro mihi præter cateros:

Sequuntur negationes parium in hac forma explicata. *Non tam, quam.* *Catilinam Massiliam ire dicitant, non tam haec queruntur, quam verentur.* Sic non tot, quo: pro *Murena;* *Quod enim fretum, quem Enripius tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum;* quantas perturbationes & quantos astus habet ratio comitiorum? In hoc exemplo interrogatio fortius negat paria.

Nunc ad exempla formæ sine notis explicatae veniamus. *Cic. Off. 1.* Ergo histrionem hoc videbit in scena, non videbit sapiens in vita. Atque hinc etiam consequentiae ducuntur non solum affirmando & probando, ut vult *Arist. Rhet. 2. 23.* & *Cic. in Top.* sed etiam negando & refutando: Si quidem hoc de exemplo non eodem intelligitur: si de eodem, tum quidem vel solum affirmando, vel solum negando rectè proceditur. Affirmandi exemplum est *Ovid. 1. de Remed.*

*Ut corpus redimas ferrum patieris & ignes, &c.*

*Ut valeas animo quicquam tolerare negabis?*

Si corporis causa, multo magis animi quidvis tolerabis; animus enim dignior. Item pro *Archia:* *Bestie sape immanes cantu flectuntur;* nos non poetarum voce moveamur? Sic illud *Mat. 6. 26.* *Passeres curat Deus;* multo magis ergo homines. At negando, nulla ex his consequentia deducitur: non ergo sequitur, si corporis causa quicquam non tolerabis, ergo nunc animi; & sic de cæteris. Rectè igitur, si hoc modo intelligitur Aristoteles, à minore ad majus affirmando solum proceditur. Verum exempla non desunt, in quib. à minore arguitur etiam solum negando: cuiusmodi est illud supra citatum, pro *Marcello;* *fundamenta nondum jecisti,* certè ergo non perfecisti. Nec tamen idem affirmando; *fundamenta jecisti,* ergo perfecisti. Hic modò cavendum est, ne ponatur negatio quæ affirmationi æquipolleat: ut, *Deus non negligit passeres,* idem est quod *curat.* Sic enim utriusque consequentiae idem exemplum prout sententia eadem vel affirmando vel negando variatur, dari posset: ut, *si fures plectendi, multo magis sacrilegi.* Si furib. non parcendum, multo minus sacrilegi. Hic plectere & non parcere idem est; & minus sit nota majoris: non igitur notæ, sed rerum elatio vel summissio maior vel minus efficit. Atque hæc de consequentiis minorum sine notis.

Verum eadem consequentiae ducuntur ab explicata forma, quæ etiam cum notis est, ut ex iis exemplis quæ supra ponuntur, intelligas licet. In hac forma explicata sine notis est ubi occurrit minorum quædam gradatio: ut *Ver. 7.* *Facinus est vincere civem Romanum;* *scelus verberare;* *prope parricidium necare:* quid dicam in crucem tollere?

*Finguntur etiam minora:* *Virgil. Ecl. 1.*

*Ante leves ergo pascentur in æthere cervi, &c.*

*Quam nostro illius labatur pectore vultus.*

*Philip. 2.* *Si inter coenans in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret?* In cœtu vero populi R. negotium publicum gerens, magister equitum, &c.

## C A P . XXI.

### De Similibus.

**H**Actenus comparatio in quantitate fuit. Sequitur comparatio in qualitate, quæ res comparatae quales dicuntur.

Qualitas enim Logica non solum est habitus, aut dispositio, aut potentia, vel impotentia naturalis, aut denique figura aut forma exterior, quæ Aristot. species qualitatis sunt, & in aliis artibus tractandæ, sed est affectio qualibet sive ratio, quæ res inter se comparatae quales, nempe similes aut dissimiles dicuntur. Nulle autem res est, quæ si alteri qualitate conferatur, non sit ei similis vel dissimilis.

*Similia sunt quorum eadem est qualitas.*

Sic enim definit Aristoteles, Phil. 8. 15. & Boethius, l. 2. in Cic. Top. similitudo, inquit, est unitas qualitatis. Argumentum igitur similitudinis est, quando simile explicatur à simili. Magna quidem est assinitas parium cum similibus; verum ut ex definitionibus eorum perspicere licet, in hoc maximè differunt, quod paria non admittunt elationem aut summisionem, similia admittunt: possunt enim etiam simillima majora esse vel minora; quod paria non possunt.

Similitudo proportio dicitur, Græcè ferè *analogia*; & similia proportionalia, Græcè *analogi*. Proportio autem nihil aliud est quam duarum rationum similitudo: ratio autem est duorum inter se terminorum sive rerum collatio. \* Mo-  
nendum autem est similia sive contractæ formæ sive explicatæ urgenda non esse ultra eam qualitatem quam in utrisque eandem esse propositum assimilanti erat ostendere: sic magistratus assimilatur cani, sola nimirum fidelitate custodiæ: unde illa in scholis, nullum simile est idem, simile non currit quatuor pedibus, omne simile claudicat.

Similia nunc notis brevius indicantur, nunc partibus plenius distinguuntur; hoc enim comparatis omnibus commune est. Notæ similitudinis contractæ quæ unu verbo concluditur, sunt vel similiū propriæ vel dissimiliū negationes. Propriæ similiū sunt vel nomina, ut *similes*, *effigies*, *imago*, *mores*, *ritus*, *instar*, *in modum*; vel adverbia, *tanquam*, *veluti*, *quasi*, *sicut*; vel verba, *imitari*, *referre*, &c. I. Aeneid. O: humerisque Deo similis. Philip. 9. Quanquam nullum monumētum clariss Servius Sulpitius relinquare potuit, quam effigiem morum suorum, virtutis, constantiae, pietatis, ingenii, filium. I. Trist.

Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,  
Solus Achilleo tollere more potest.

In Pis. Unus ille dies mihi quidem instar immortalitatis fuit, quo in patriam redii. Verr. I. Sed repente è vestigio ex homine, tanquam aliquo poenulo Circæo, factus est Verres. Pro lege Manil. Itaque omnes quidem nunc in his locis En. Pompeium, sicut aliquem, non ex hac urbe missum, sed de cœlo delapsum intuentur. Negationes dissimiliū sunt, hanc secus, non aliter, non absimilis, &c. Aeneid. 3. Haud secus ac jussi faciunt. Terent. in Phor. Ego isti nibilo sum aliter, ac fui.

Ad contractam similitudinis formam pertinet etiam metaphora: metaphora enim, ut docent Rhetores, est ad unum verbum contracta similitudo sine notis quidem, quæ tamen intelliguntur. Pro Seft. Cuius ego patrem Deum atque parentem status fortuna nominisque mei. i. e. tanquam Deum.

Similitudinis partes deinceps explicantur, & quidem disjuncte vel continuè.

Similitudo disjuncta est, quando termini sive res quatuor reipæ distinguntur. i. e. quando duo termini sive res distinctæ in propositione comparantur duobus terminis sive rebus distinctis in redditione. Occurrit autem hæc forma & cum notis & sine notis. Notæ sunt, *qualis*, *talis*; illa propositionis, hæc redditio-  
nis nota est. Item quemadmodum, ut, *sicut*, propositionis; quibus respondent, Sic, eodem modo, similiter, redditio-*nis*. Ecl. 5.

Tale tuum carmen nobis, divine poeta,  
Quale sopor fessis in gramine.

Carmen ad auditorem, ut sopor ad fessum, termini quatuor distincti sunt. Ad Frat. I. Quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic sapientissimi viri fortunæ impetum persæpe superare non possunt. His quatuor sunt item termini, ut gubernator ad tempestatem, sic sapiens ad fortunam. I. Trist.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,  
Tempore sic doro est inspicienda fides.

Cicero 2 Phil. Sed nimirum ut quidam morbo & sensus stupore suavitatem cibi non sentiunt; sic libidinosi, avari, facinorosi, vera landis gustum non habent. In vita Virgil.

Hos ego versiculos feci, tulit alter honores:  
Sic vos non vobis nidificatis aves:  
Sic vos non vobis mellificatis apes: &c.

In hoc exemplo redditio sine nota præcedit. Particula autem *Sic quæ nota solet esse redditionis, hīc propositioni attribuitur.*

*Aliquando nulla prorsus est nota.* Virgilii Ecloga 2.

*O formose puer, nimium ne crede colori.  
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.*

*Continua similitudo est, quando est ut primus terminus ad secundum, ita secundus ad tertium.* Leg. 3. *Vt magistris leges, ita populo præsunt magistratus.* Hic termini sunt tres; lex, magistratus, populus. Sed medius bis adhibetur, & in omni proportione continua continuatur; estque posterior terminus propositionis, prior redditionis. In omni enim proportione termini esse debent ad minimum quatuor. Ordo hujus sic est: ut leges magistris, ita magistratus populo præsunt.

Quanquam autem similia magis ad illustrandum quam ad probandum accommodata sunt, & Plato in *Phedone*, Ego, inquit, sermones qui ex similibus demonstrationes sumunt, probè novi ad ostentationem comparatos esse; & nisi quis caveat ab iis, facile imponunt, quod ad regulas tamen consequentiarum attinet, ex definitione similium perspicitur, similium similem esse rationem; valere igitur similia in utramque partem. *Vnde Aristot. Top. 24. Quod in aliquo simili valet, in aliis quoque similibus valebit;* & quod non in aliquo, nec in ceteris.

Quoniam autem similitudo non solum est propositionis & redditionis, sed terminorum etiam inter se. Idcirco si quædam similia sunt, inversè quoque similia erunt, & alternè. Et inversè quidem duobus modis; inversione scilicet vel propositionis & redditionis, quæ aliorum comparatorum communis est; vel terminorum, quæ videtur similium propria. Exempli gratia; ut gubernator ad tempestatem, sic sapiens ad fortunam: inversè ergo; ut sapiens ad fortunam, sic gubernator ad tempestatem. Hæc propositionis & redditionis inversio est. Rursus, ut tempestas ad gubernatorem, sic fortuna ad sapientem: hæc inversio est terminorum. Alternatio est quando antecedens propositionis antecedenti redditionis & consequens consequenti comparatur. Regula ergo hīc est; si quædam similia fuerint, alternè similia erunt. Ut gubernator ad tempestatem, sic sapiens ad fortunam: ergo, alternè; ut gubernator ad sapientem, sic tempestas ad fortunam. Inversionum hujusmodi & alternationum in Mathematicis proportionibus usus maximus est: sed proportio non Mathematica solum, verum etiam Logica est, ut supradiximus, rerum omnium communis; ejus ergo regulæ non erant hīc omitendas.

*Ficta similitudo parem vim habet superioribus illis, sed præcipue in hac explicata similitudine Aësopici apologi excellunt.*

### Horat. 1. Epist.

*Quod si me populus Romanus forte roget, cur  
Non ut porticibus, sic iudiciis fruar iisdem?  
Nec sequar aut fugiam quæ diligit ipse vel odit?  
Olim quod vulpes agroto canta leoni  
Respondit, referram; quia me vestigia terrent  
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.*

Huc etiam refertur parabola Socratica vulgo dicta; quæ est inductio similium interrogationib. ferè constans. Illa autem, inquit Fabius, hanc habuit vim; ut cum plura interrogasset Socrates, quæ fateri adversario necesse esset, novissime id, de quo quarebatur, inferret, cui simile adversarius concessisset. Vide pag. 269. ad \*

## C A P. XXII.

## De Similibus.

**H**Ae tenus similia, quorum qualitas est eadem. *Dissimilia sunt comparata, quorum qualitas est diversa.*

Contrariorum enim eadem scientia est. Et Cic. in *Top.* ejusdem est, inquit, *dissimile & simile invenire.* In hoc differunt dissimilia à diversis, quod dissimilitudo sit differentia comparata, & non eidem, eodem saltem tempore, sed diversis plerumque subjectis attribuatur. Itaque diversorum uno negotio, alterum affirmatur; dissimilia sive diversa sive opposita, simul affirmari aut negari possunt. Diversa autem qualitas est non eadem; sive diversa sit sive opposita: quasi dicas dissimilium dissimilis est ratio. Argumentum igitur dissimilitudinis est, quando dissimile arguitur à dissimili.

Contractæ dissimilitudinis notæ sunt *dissimile, dispar, differens, aliud, secus:* Pro *Planc.* *Dissimilis est debitio pecunia & gratia.* Ennius: *O domus antiqua, heu quis in dispari dominare domino.* *Dispar autem est non impar, sed dissimilis.* Cesar I. bell. Gal. *Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt.* 2<sup>a</sup> Agrar. *Alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur.* Cic. 2. Nat. *Quoniam cœpi secus agere, atque initio dixeram.*

*Dissimilitudinis notæ etiam sunt per negationem similium, ut non similis, non talis, non idem, non tanquam, &c.* 3 de Orat. *Non est Philosophia similis artium reliquarum.* 2 Aeneid.

*At non ille, satum quo te mentiris, Achilles,  
Talis in hoste fuit Priamo.—*

Horat. 1. Epist. *Non eadem est ætas, non mens.* 1. ad Frat. *Sit annulus tuus, non tanquam vas aliud, sed tanquam ipse tu.* Hoc argumento pastor ille errorem suum confitetur. Eclog. 1.

*Urbem ( quam dicunt Romam ) Melibœe, putavi,  
Stultus ego huic nostræ similem.—  
Et mox,  
Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos  
Noram, sic parvis componere magna solebam.*

Ut nec canibus catuli, nec matribus hædi, sic nec Mantua Romæ similis est. In hoc exemplo erroris confessio pro negatione similium est.

Explicata dissimilitudo itidem cum notis est vel sine notis. Notæ sunt hic etiam negationes similium. 3. Philip. *Certus dies non ut sacrificii sic consilii expectari solet.*

*Nota plerumque nulla est, cum dissimilitudo plenius explicatur.*

Quintil. 1. 5. c. 11. *Brutus occidit liberos proditionem molientes.* Manlius virtutem filii morte multavit. Catullus.

*Soles occidere & redire possunt :  
Nobis cùm semel occidit brevis lux,  
Nox est perpetua una dormienda.*

Dissimilitudo est diei & vitæ nostræ. Redditio est vitam semel amissam non restitui. Illustratur à dissimili, quæ propositio est, soles occidere & redire possunt.

## C A P. XXIII.

## De Conjugatis.

**H**Ae tenus prima argumenta sunt exposita: quorum tria genera fuere; consentanea, dissentanea, & comparata.

Sequuntur orta de primis, que ad id quod arguunt perinde sunt ut prima unde oriuntur: *ut conjugata & notatio, distributio & definitio.*

In se itaque habent vim arguendi ut argumenta artificialia, & eadem quidem cum iis unde oriuntur: non autem à se, quia non prima, ut in capite secundo jam dictum est. Definitionem autem vix aliam requirunt præter ipsum nomen quod naturam eorum satis per se explicat: unde illud conjectarium, *Orta argumenta perinde esse ad id quod argunt, ut sunt prima unde oriuntur.*

Quatuor hæ species ortorum, in duo genera, anonyma licet, distinguuntur, cùm propter dichotomiae studium, tum quia conjugata & notatio sub eisdem generi continentur, propter illam quæ inter ea intercedit communionem. *Cicero* itaque in *Top.* locum ex conjugatis notationi finitimum esse dixit. Et in multis exemplis conjugata à notatione & nomine nihil aut parum differunt. Communio autem illa duplex est: primò quod sunt argumenta nominalia sive à nomine petita. Sed in hoc differunt, ut etiam tradit *Boet.* l. 4. in *Top. Cic.* quod notatio expositione nominis, conjugatio similitudine vocabuli ac derivatione perficitur. Neque idcirco ad Grammaticam pertinent: ex vi enim nominum argumenta petere, Logici est, non Grammatici. Secunda communio est, quod sunt orta simplicia: neque enim ex pluribus primis simul conjunctis, sed ex uno aliquo argumento primo singulæ eorum exempla oriuntur, nisi in nominibus compositis: compositorum enim nominata composita interdum ex pluribus argumentis notatio est. Distributio autem & definitio sunt argumenta realia, i. e. in rerum explicatione versari solent, & composita, i. e. ex pluribus argumentis primis simul conjunctis originem suam trahunt. Si ergo ortorum genera, quæ anonyma esse diximus, nominibus distinguere lubet, orta erunt vel nominalia & simplicia, ut conjugata & notatio, vel realia & composita, ut distributio & definitio: nisi hoc forte excipiamus, quod definitio ex uno primo, i. e. ex sola forma non-nunquam constare potest. Ex his autem duobus generibus prius tractandum est illud cui conjugata & notatio subjiciuntur, quia ferè simplicius est. Atque in hoc genere conjugata priorem sibi locum vendicant, quod ex solis consentaneis oriantur, cùm notatio ex quovis argumento primo petatur. *Fabius* l. 5. c. 10. Conjugata nihili facit: *Aristoteles* autem & *Cicero* in *Topicis suis* aliter sentiunt: quorum ille, l. 3. c. 4. & l. 7. c. 2. locos ex dissentaneis, conjugatis & casibus plurimum ait valere; & ad plurima esse utiles.

*Conjugata sunt nomina ab eodem principio varie deducta.* Ut justitia, justus, justè. *Aristoteles* & *Cicero* conjugata, ille, nomina ejusdem conjugationis; hic, ejusdem generis esse definient: sed neque ille quasi jugum ipsum conjugatorum, neque hic genus, neque noster principium ipsum sive originem & thema conjugatorum numero excludit. Conjugata autem sunt omnia non solum nomina tam substantiva quam adjectiva, sed etiam verba, &, quæ *Aristoteles* *casus* vocat, adverbia, cùm paronuma, i. e. derivata, tum ipsa themata, servatis tamen istis conditionibus. 1. Si ut idem sonant, sic idem etiam significant. 2. Si in eadem significationis ratione sumantur. Nam si unum significat potentiam sive facultatem aut habitum, alterum verò actum & ex potentia sive habitu arguatur actus aut contra, captio est. 3. Si in iis symbolum sit consentaneorum argumentorum, i. e. si à consentaneis orta sunt: quorum vim & affectionem in arguendo aliis nominibus iisque conjugatis referant: quorum etiam ad inventionem nominalis hujuscem conjugationis indicio ducamus: unde elucet non contemnendus hujus loci usus, præsertim in definitionibus.

Sequuntur exempla; ut justitia, justus, justè. Cujusmodi in exemplis observandum est, abstractum quod vocant, causam esse concreti, & concretum adverbii. Ut justitia est causa, cur aliquis sit justus: & quia justus est, idcirco justè agit. Quod tamen non est ubique verum: tamum enim, i. e. quod efficit aut conservat sanitatem, causa est sanitatis, concretum scilicet abstracti, ut notat *Aristot. top.* 2. 3. *Propriet. lib.* 2.

*Libertas quoniam nulli jam restat amanti,  
Nullus liber erit, si quis amare velit.*

Hic libertas quæ causa est cur sis liber, quia non restat, ergo nullus, &c. *Cicero* 3. de *Nat. Deor.* cùm de *Dionysio* tyranno loquitur: *Nam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri, in quibus quod more veteris Gracie inscriptum esset bonorum deorum, uti eorum bonitate velle se dicebat: dii boni sunt: eorum igitur bonitate est utendum.* Hic ex effectis ad causas est disputatum; ut vult *Ramus*: ut mibi quidem videtur à causis ad affecta. *Terent.* *Homo sum, humani à me nihil alienum*

*puro.* Ex subjecto est ad adjunctum. In Pison. *Cum esset omnis illa causa consularis & senatoria, auxilio miki opus fuerat & consulis & senatus.* Ex adjunctis est ad subjectum. Phil. 2. *Non tractabo ut consulem, ne ille quidem me ut consularem.* Ex effecto est ad causam: nam esse consulem causa est ut quis postea sit consularis: unde sic arguitur; non agnoscit is in me effectum, non agnoscam ergo in eo causam. Notandum est nonnulla sensu duntaxat, non sano esse conjugata: *ut, somnis, dormiens, morbus, aeger.*

## C A P. XXIV.

## De Notatione.

**N**otatio est nominis interpretatio. i. e. reddita ratio cur quidvis ita nominatum sit. Definitio autem hæc est Boëthi, l. 1. in Cic. Top. Notatio inquit Cic. in Top. Gracis etymologia dicitur, i. e. verbum ex verbo veroloquium: *nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum nota.* Hæc ille. Ex iis igitur quæ supradicta sunt, intelligi potest, notationem esse argumentum ortum ad quæ symbolum alicujus primi; esse nominale, i. e. ut Cicero loquitur, argumentum ex vi nominis elicitem.

*Quippe nomina sunt nostra rerum & cuiuslibet nominis vel derivati vel compositi, siquidem notatione vera nomen inditrum fuit, ratio reddi potest ex aliquo argumento primo.*

*Ut homo ab humo.* Hæc à materia est notatio. Sed linguae, cùm prima illa quam Adamus in Edene, tum illæ variae atque à prima fortassis ortæ, quas conditores turris Babelicæ subito acceperunt, divinitus proculdubio datae sunt; unde vocum primitivarum ratio si ignoretur, mirum non est: quæ autem voces derivatae sunt aut compositæ, vel earum origines ex aliis linguis antiquis jamque obsoletis petendæ sunt, vel ipsæ vetustate aut infimæ plebis inquinata fere pronuntiatione ita immutata, mendose etiam scribendi consuetudine ita quasi obliteratae, ut vera vocum notatio raro admodum teneatur. Unde argumentum à notatione, nisi ea forte manifestissima sit, fallax admodum & saepè ludicum est.

Nunc reliqua exempla videamus. Ovid. 6. Fast.

*Stat vi terra sua; vi stando Vesta vocatur.*

Terra dicitur Vesta ab effecto suo naturali, propterea quod vi sua stat.

*At locus à flammis & quod fovet omnia dicitus.*

Ex effectis est notatio. Item Verr. 4. *O Verrea præclara!* Quò enim accessisti, quo non attuleris tecum istum diem? Etenim quam tu domum, quam urbem adiisti, quod famum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris? Quare appellantur sane ista Verrea, quæ non ex nomine, sed ex moribus naturaq; tua constituta esse videantur. Ex effectis item est notatio. Ovid. 1. Fast.

*Prima dies tibi, Carna, datur, dea cardinis hæc est.*

*Numine clausa aperit, claudit aperta suo.*

Notatio hæc è subjecto est, cardine scilicet, in quo versando dea illa exercebatur. Hinc illa cavillatio in Antonium generum: *Tua conjugis bona fæmine, locupletis quidem certè, Bambalio quidam pater, homo nullo numero, nihil illo contemptius;* qui propter hesitantium lingua stuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit. Ex adjunctis est notatio hæc Bambalonis, quia balbus & stupidus. E dislentaneis autem sunt illa apud Quintil. l. 1. c. 6. *Lucus, quia umbra opacus parum luceat;* & *Iudus, quia sit longissime à lusu:* & *Dis quia minimè dives.* Est etiam è comparatis notatio pyropi, quod ignis quandam speciem præbeat.

Atque hactenus de notatione: nunc aliquid de nomine adjiciendum est. *Est enim ut notationi ad suum nomen, sic nomini ad notationem sua affectio:* Hoc est, ut notatio arguit nomen, sic nomen vicissim arguit notationem. Ut animi plenus, ergo animosus; & contraria, animosus, ergo animi plenus. Nam & nomen quoque ortum argumentum est; ex quo autem fonte oriatur, notatio declarat. Hæc autem appendicula de nomine idcirco est adjecta, quia cum alia argumenta inter se affecta, quot quidem eodem nomine ac definitione non sunt comprehensa, sua seorsum capita sibi habuerint, & tantillum est quod de nomine dicendum erat, non videbatur caput novum ob id esse instituendum. In hoc igitur capite duo loci inventionis continentur, notationis & nominis: inter quos

si comparatio fiat, potior videtur nominis. Unde tota hæc categoria ab *Aristotele locis à nomine* dicitur. Sæpiusque & firmius à nomine quām à notatione argumentum ducitur; ut homo est, ergo ex humo; focus est, ergo sovet. At non eadem vi argumentum à notatione deducitur; ex humo est, homo igitur; sovet omnia, ergo focus est.

## C A P. XXV.

*De Distributione.*

**R** Eliquam est exortis aliunde argumentis argumentum distributionis & definitionis.

*In qua utraque affectio reciprocationis est, illic partium omnium cum toto, hic definitio nis cum definito.*

Reciprocatio autem hoc loco est qua prorsus idem, eadēque, ut ita dicam, essentia utrinque significatur: nam partes omnes simul sumptæ, i. e. rite compositæ, idem sunt quod totum, & definitio idem quod definitum; quod de nullo præterea genere argumentorum dici potest. Linde nascitur hæc regula utriusque argumento communis, ut in distributione ac definitione nequid deficit ne uid redundet: nam ubi reciprocatio, ibi quoque æqualitas requiritur. Hinc eximia illa distributionis & definitionis laus effluit; ex iis nempe artium institutiones maxima ex parte constare. Cū n. omnia artium præcepta constare debeant ex argumentis reciprocis, reciprocatio autem nusquam alibi reperiatur nisi inter formam (quæ ipsa in definitionibus comprehendendi solet) & formatum, inter subiectum & proprium & inctum; hinc factum est ut præcepta omnia vel definitiones sint vel distributiones vel regulæ quædam sive consecutaria, quæ proprietatum explicaciones dicuntur.

*Distributio est, cum totum in partes distribuitur.*

*Totum est, quod continet partes.*

*Pars est, quæ continetur à toto.*

Totum Logicè & gene: aliter dicitur, quicquid quocunque modo distribuitur & partes continent: pars, quæ quocunque modo continetur à toto.

*Atque ut distinctio totius in partes, distributio; sic collectio partium ad constituendum totum, inducitio dicitur.*

Inter hanc autem inductionem & distributionem nullum aliud discrimen est, nisi quod distributio à toto ad partes, hæc verò à partibus ad totum progrereditur. Quamobrem, ut supra, nomen ad notationem, ita hic induc̄tio ad distributionem referenda est; non ad syllogismos, ut plerique volunt; cùm non alio modo ab inductione argumentemur atque à distributione: siquidem eadem est via *Thebis Athenas* quæ *Athenis Thebas*. Inductionis autem auctorem *Aristoteles* agnoscit Socratem: ejusq; necessitatem tantam esse testatur, ut cùm scientia universalium sit, universalia cognoscere nequeamus nisi per inductionem. Inductionis ergo ope præcepta artium inventa sunt; ut in proœmio monuimus.

*Distributio sumitur ex argumentis toti quidem consentaneis, inter se autem dissentaneis.*

Sed dissensio illa non est distributionis dissensio (nunquam n. dissentaneum in dissentaneum distribuitur) sed partium distributarum.

*Itaque tanto accuratior erit distributio, quanto partium & cum toto consensio & inter se dissensio major fuerit.*

Hinc efficitur, eam distributionem accuratissimam esse, quæ in duas partes fit; & àque dichotomia dicitur: dissensio enim inter duo maxima est; & contrarium unum uni tantum opponitur. *Platonis* itaque regula est: *oportet in quām proximum fieri potest numerum semper dividere.* Quod si dichotomiam invenire non queamus, difficile n. est eam semper invenire, species bisbinas ponere interdum præstat, quasi sub duobus generibus, licet anonymis, quām quatuor sub uno. Hæc n. distributionis forma, licet non sit optima, est tamen optimæ proxima. Hac ratione suprà cap. 3. *Ramus* divisit causas, in duo genera anonyma nempe efficientem & materiam, aut formam & finem. Eff. Ubi autem dichotomia nullo modo commodè adhiberi potest, multis protinus differentiis res dividenda est, ut *Aristoteles* moner. Neque enim propter dichotomiar studium distributio vel mutilanda vel implicanda aut confundenda est.

## C A P. XXVI.

*De Distributione ex causis.*

**D**istributio prima est ex absolute consentaneis, causis nempe effectis. Distributio ex causis est, quando partes sunt causa totius.

Hic distributio integrum in sua membra praecipue laudatur.

Integrum est totum, cui partes sunt essentiales. i. e. quod ex partibus totam suam essentiam complectentibus constituitur; ideoque symbolum est effecti ex materia per formam existentes.

*Membrum est pars integrum.*

Nimirum integro suo essentialis. Sive ut Aristot. Phil. 8. 15. Membra sunt ex quibus integrum componitur. Et membra quidem symbola sunt causarum essentiarum, materiae nimirum & formae, in quibus tota integri essentia consistit: singula n. membra materiam continent; cuncta simul, ipsam quoque formam. Sic Grammatica in etymologiam & syntaxin; Rhetorica in elocutionem & actionem; Logica in inventionem & dispositionem argumentorum dividitur. Ab his n. partib. artes illae constituuntur; non tanquam ex causis, sed tanquam ex causarum symbolis. Cum enim essentia Dialecticæ partim communis sit materia scilicet, i. e. præcepta, & forma etiam nempe methodica illorum præceptorum dispositio; partim propria, quæ in bene differendo posita est, tota hæc Dialecticæ essentia in inventione & dispositione comprehenditur. Nec tamen partes istæ sunt ipsa materia, i. e. præcepta, nec ipsa forma communis, i. e. methodica præceptorum dispositio, nec propria, i. e. ipsa facultate differendi; sed ex præceptis methodicè dispositis conflatae sunt, & ipsa facultas differendi inventionis & dispositionis finibus continetur.

Quæ sequuntur apud authorem nostrum exempla duo, alterum ex Virgilio, Georg. 1. alterum ex Cicerone pro Murana, objectis utraque distinguuntur, non causis; ideoque ad cap. 28. ad distributionem nempe è subjectis, ad quam etiam præmissa illa annotatio de usu pertinet.

Quinetiam aliter tractatur hoc argumenti genus, vel à partibus ad totum, vel à toto ad partes.

Hac de re Aristoteles, Top. 6. 6. Regulas quasdam tradit. Primo à partibus: affirmatis partibus cunctis, affirmatur totum: & contrà; sublatis partibus cunctis, tolli totum. Item ab una parte: una parte sublata, totum tolli. Secundo à toto ad partes: toto affirmato, affirmantur partes. Verum hæc omnia ex illa reciprocationis regula superioris capitum initio tradita satis intelliguntur. Nam quæ reciprocantur, eorum alterum ex altero vicissim & necessariò affirmatè & negatè concluditur. Hoc verò, ut Aristoteles etiam notavit, non sequitur; sublato integro, partes tolluntur.

Utriusque generis (nempe affirmationis & negationis à partibus ad totum) exemplum habemus apud Catullum.

Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,  
Recta est: hæc ego sic singula confiteor:  
Totum illud, formosa, nego. Nam nulla venustas,  
Nulla in tam magno est corpore mica salis.  
Lesbia formosa est: quæ cum pulcherrima tota est,  
Tum omnibus una omnes surripuit veneres.

Est & alia distributio ex causis & meritò quidem imperfectior dicta, cùm non tam ipsius rei quām ejus causarum distributio sit: ut ab efficiente, testimonium est divinum vel humanum. Sic statuæ veteres aliæ factæ erant à Phyæia, aliæ à Polycleto, &c. Distributio hæc quædam est totius in partes; ubi tamen non tam partes ipsæ ponuntur quām pro iis earum efficientis, quibus inter se distinguuntur. Sic statuæ aliæ erant aureæ, aliæ argenteæ, aliæ æneæ, aliæ eburnæ, &c. Distributio est ex materia. Aliæ ad hominum, aliæ ad brutorum effigiem factæ; est distributio à forma externa. Aliæ factæ sunt ad usum religiosum, aliæ ad civilem; est distributio à fine.

## C A P. XXVII.

*De Distributione ex effectis, ubi de genere & specie.*

**D**istributione ex effectis est, quando partes sunt effecta.  
Distributione generis in species hic excellit.

Nonnulli ex Cicerone distributionem integri in membra partitionem vocant; generis in species divisionem. Nec de nihilo sanè: membra enim copulari, species disjungi solent.

*Genus est totum partibus essentiale.*

Id quo contrarium est integro: illic enim toti partes, hīc totum partibus est essentiale: unde constat, illam ex causis, hanc ex effectis distributionem rectē dici. *Genus autem est totum partibus essentiale*, quia illam essentiam nempe materiam & formam, quæ speciebus omnibus æquè communis est, significatione sua complectitur: vel brevius, quia symbolum est communis essentiae. Neque enim genus propriè essentiam speciebus communicat (cūm in se extra species revera nihil sit) sed earum duntaxat essentiam significet. Quod enim essentiale est & speciebus omnibus commune, ejus notio *genus* dicitur. Et idæa sāpē à *Grecis*, non separata quidem à rebus illa, ut velunt *Platonica*, quæ nugæ sunt, teste *Aristot. Phil.* 1. 7. & v. 5. Sed quod cogitatione & ratione unum & idem est specieb. multis commune in quibus re & natura est singulatum, ut *Plato* in *Menone*. *Stoici* etiam Idæas, ut refert *Plut. de Placit.* 1. 10, nostras notiones esse dixerunt.

*Species est pars generis.*

Sic etiam *Aristoteles*, *Phil.* 8. 25. Et *Cicero*, *Invent.* 1. *Pars quæ generi subest.* Ex definitione autem generis intelligimus speciem ejusmodi partem esse cuius essentia communis in generis significatione contineatur. Propriam autem essentiam species, per quam est id quod est, à propria forma habet, quæ generis significatione minime continetur. Sic etiam *Aristot. Phil.* 2. 12. *Genus non videtur particeps esse differentiarum: simul n. contrariorum idem particeps esset; differentia n. contrariae sunt.* Unde illud; Plus est in specie quam in genere: & illud *Porphyrii*; *differentia est qua species superat genus.* Tota igitur generis essentia singulis æqualiter inest speciebus; at tota essentia speciei non est in genere, nisi potentia, ut inquit *Porfirius*. Hinc ut species est pars generis, ita genus pars esse speciei quodammodo videtur: quod & *Plato* in *Politico* notavit. Sic animal genus hominis & bestiæ dicimus. Animal enim est totum, cuius essentia, nempe corporeæ, animata, sentiens, ad hominem & bestiam communiter attinet. Sic dicimus hominem & bestiam species animalis; quia partes sunt animali subjectæ, quæ animalis essentiam communem habent.

*Genus est generalissimum aut subalternum.*

*Species subalterna aut specialissima.*

*Genus generalissimum, cuius nullum est genus.*

Ut in Logica inventione argumentum est genus generalissimum artificialium & inartificialium.

*Subalternum genus, ut subalterna item species, quod species hujus, illius autem genus est.*

Id est, quod nunc genus est, nunc species: genus, si ad species sibi subjectas referatur; species, si ad suum genus.

Sic causa, genus est materiae & formæ; species, argumenti absolute consenteñi. Sic homo est genus subalternum, sive species subalterna: species quidem, si ad animal referas; genus, si ad singulos homines.

*Species specialissima est, quæ individua est in species alias.*

Ut materia & forma quæque singularis. Sic homines singuli sunt species specialissimæ hominis, & singuli leones leonis.

Logicorum quidem pars maxima hominem speciem specialissimam, singulos homines individua vocant, non species. Verùm ut animal est totum cuius essentia communis, nempe corporeæ, animata, sentiens, ad hominem & bestiam communiter attinet; sic homo est totum, cuius communis essentia rationalis communiter ad singulos attinet homines; atque ut homo & bestia species sunt animalis, quia partes sunt animali subjectæ, quæ animalis essentiam communem habent; ita singuli homines species sunt hominis, quia partes sunt homini subjectæ,

jeſtæ, quæ hominis eſſentiam communem habent: ergo homo non minus eſt ſingulorum hominum genus quam animal hominis; homines ſinguli non minus ſunt hominis species, quam homo animalis. Singuli enim hominae propria forma diſerunt: quæ autem forma diſerunt propria, diſerunt & ſpecie; telle Aristot. Phys. 1. 7. Deinde, quicquid diſert, aut genere diſert aut ſpecie; telle eodem Aristot. Phil. 10. 3. diſerter autem genere ſingulos homines nemo dixerit; diſerunt ergo ſpecie. Nam quod aiunt hominem eſte ſpeciem ſingulorum hominum, id planè absurdum eſt: ſpecies enim pars eſt ejus cuius eſt ſpecies; ut ex ejus definitione conſtat: genus porro & ſpecies cum relata ſint, genus utique erit ſpeciei genus; ſpecies, generis erit ſpecies. Si igitur homo, ut vulgo volunt, eſt ſpecies ſingulorum hominum; ſinguli homines eunt genus hominis; quod nimis abſurdum eſt. At inquiunt ſinguli homines numero tantum diſerunt, non forma. Verum quæ numero diſerunt, forma quoque diſerere, jam ſupra capite de Forma ſatis oſtendimus; etiā forma cuiusque propriæ diſerentia noni nomini per externa quædam effecta, & accidentia, quæ vocant, dignosci poterit. Deinde, ſinguli homines inter ſe diſparantur, ergo opponuntur: quæ autem inter ſe opponuntur, eodem eadem forma eſte non potest; forma ergo diſerunt non numero tantum. Itaque apud Laertium, in Zenone, Stoici docent, Socratem eſte, ſpeciem specialiſſimam. Immo Aristot. de Part. 1. 4. Socratem & Coriscum ſpecies infimas vocat. Sic jurisconsulti, hominem genus appellant; Stichum & Pamphilum ſpecies.

*Genus verò & ſpecies notæ ſunt cauſarum & effectorum.*

In animali n. eſt eſſentia corporis, quæ materia eſt ad ſpecies communiter attingens: tum facultas vitæ & ſenſus, quæ forma item communiter ad ſpecies ſpectat. Quare genus continent cauſas, qua communiter ad ipsius ſpecies attinent: contra itaque etiam ſpecies effecta generis ſui continent.

*Hinc universalis eſt inſigne ac praefabile: quia cauſam declarat.*

Idem ait Aristot. Poſter. 1. 24.

*Diſtributio generis in ſpecies valde quidem excellit, ſed diſſicilis eſt & rara invenit.*

Excellit quidem quia quicquid in artibus ex cauſis & effectis ſumitur, id totum ferè generis & ſpeciei notionibus comprehenditur: diſſicilis eſt, cum quia formæ, unde ſpecies oriuntur, diſſiciles iudicem invenit; tum etiam propter vocationem penuriam, quibus genera & ſpecies apte nominentur.

Attamen illustrationis & exempli gratia afferemus quod poterimus. Ovidius 1 Metam. diuidit animal in quinque ſpecies, ſtellæ, aves, bestias, pifces, homines: ſtellis animam tribuens, ut etiam quidam Philosophi tribuerunt.

*Nen regio foret illa ſuis animalibus crba,  
Afra tenet cœleſte ſolum formæ que deorum, &c.*

Sic Cic. Offic. 1. Virtutem diuidit in ſpecies quatuor, prudentiam, iuſtiſiam, fortitudinem, temperantiam; quæ tamen ipſæ non ponuntur in diſtributione, ſed, quod idem eſt, earum formæ. Sed omne quod honestum eſt, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri ſolertiāque versatur, aut in ſocietate hominum tuenda, tribuendōque ſuum unicuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore; aut in omnibus quæ fiunt, quæque dicuntur, ordine & modo, in quo ineſt modeſtia & temperantia.

Hæc quidem, ut dixi, eſt diſtributio generis in ſpecierum formæ; quæ perinde eſt ac fi in ipſa ſpecies eſſet; quia forma cum genere conſtituunt ſuas ſpecies.

*Genus & ſpecies non ſolum tractantur hac ſimplici diuſionis formula, ſed etiam ſepa-  
ratim alterum ex altero.*

Hoc eſt, quod de toto genere, id de omnibus etiam ſpeciebus recte affirmatur. Sic Cicero, pro Archia, poēticam cum eloquentia comparans, quæ ſunt ſpecies artis, cognatas eſſe ait inter ſe, quia idem de artibus in genere, humanioribus præſertim, affirmatur. Etenim omnes artes, que ad humanitatem pertinent, habent quoddam communē vinculum, & quaſi cognitione quadam inter ſe continentur.

*Contra genus tractatur per ſpecies.*

Hoc eſt, quod de omnibus ſpeciebus, id de genere quoque recte affirmatur. Sic Ovidius probat, virtutem in rebus adverſis clariorem eſſe, per inductionem ſpecierum: quoniam ſciūcet virtus militis, naute, medici, rebus adverſis ſpectatur, 4 Trift.

Hectora quis noſſet, felix ſi Troia fuifſet?  
 Publica virtuti per mala facta via eſt:  
 Ars tua, Tiphy, jacet, ſi non ſit in aequore fluctus:  
 Si valeant homines, ars tua, Phæbe, jacet.  
 Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus,  
 Apparet virtus arguiturque malis.

Cum itaque genus tractetur etiam per species, ut ſuperiore regula docemur, & exempla ſpecialia species eorum ſint, quorum exempla ſunt; hinc ſequitur, exempla ſpecialia ſuo generi accommodata, hujus eſſe loci; ſive unum ſolum, ſive per inductionem plura adhibeantur: ſpecialia inquam, exempla enim vel ſimilia ſunt, quæ ſimilia arguant; vel ſpecialia, quæ arguant ſuum genus; qualia fuerunt in ſingulis argumentorum captibus ex poëtis & oratoribus deſumpta. Exemplorum autem ſpecialium, non ſolum in artib. cum inveniendis tum tradendis uſus planè eſt neceſſarius (nam inductione exemplorum præcepta colliguntur, & eorum uſu iſtantur) verū etiam in omni ſermone, quoties res lucem deſiderat. Cujusmodi eſt illud Cic. ad Atticum: *Urbem tu relinquas?* Ergo idem ſi Galli venirent. Non eſt, inquit, in parietibus respub. at in aris & focis: fecit idem Themistocles: fluctum enim totius barbarie ferre urbs una non poterat. At idem Pericles non fecit, annum ferè poſt quinquagesimum, quum preter mania nihil teneret: nostri olim urbe reliqua capta, arcem tamen retinuerunt. Hic ab exemplo ſpeciali in utramque partem diſſeritur. Themistocles deſeruit Athenas; ergo urbem deſerere licet. Pericles non deſeruit Athenas; nec Romani Gallis venientibus Romam; ergo urbs non eſt deſerenda. Quod ſi hoc modo argumentaretur, Themistocles urbem reliquit, ergo mihi licet; argumentum eſſet à ſimili: nam exempla, cum ad alia ſpecialia accommodantur, ſimilia ſunt vel diſſimilia. Hujus autem loci ea demum ſunt, quæ generi ſuo accommodantur.

Eſt & alia imperfectior diſtributio ex effectis, quando partes non ſunt propriè effecta totius, ſed ipsarum partium. Ut Cic. de Senect. Nautarum ali malos ſcandunt, alii per foros curſitant, alii ſentinam exhausti; gubernator autem clavum tenet in puppi. In hoc exemplo totum eſt nauta, quod eſt ſingulorum nautarum genus; partes, malum ſcandere, curſitare, &c. Quæ tamen nautæ ut totius ſive generis partes ſive species non ſunt, ſed ſpecierum, i.e. ſingulorum nautarum effecta ſive officia, quibus ipſae species, i.e. ſinguli nautæ inter ſe diſtinguuntur. Verū quanto haec diſtributio imperfectior eſt, tanto eſt frequentior. Uſus autem illius præcipiuſ eſt, ut perfeſtioris raritatem ſuppleat; cum diſtributio generis in species, ut ſupradictum eſt, tam diſſicilis inventu ſit.

## C A P. XXVIII.

### *De Diſtributione è ſubjeſtis.*

**R** Eliqua diſtributio eſt modo quodam conſentaneorū, ut ſubjeſtorum & adjunctorum. Diſtributio è ſubjeſtis eſt, cum partes ſunt ſubjeſta. Id eſt quando verè partes intellecta ſubjeſtis diſtinguuntur vel adumbrantur.

Ut apud Catullum:

*Virginitas non tota tua eſt: ex parte parentum eſt.*  
*Tertia pars matri data, pars data tertia patri:*  
*Tertia ſola tua eſt: noli pugnare duobus,*  
*Qui genero ſua jura ſimul cum doce dederunt.*

Virginitas puellæ vel jus potius virginitatis in tres partes dividitur ſubjeſtis diſtinctas, matre, patre & ipſa puella. Alterum exemplum ex cap. 26. huic tranſertur, Virgil. 1. Georg. Ubi poëta exorditur opus ſuum à diſtione in quatuor partes, ſubjeſtis ſuis occupantibus diſtinctas, ſegetes, arbores, pecora, apes.

*Quid faciat letas ſegetes, quo ſidere terram  
 Vertere, Mæcenas, ulmisque adjungere vites  
 Conveniat: que cura boum, qui cultus habendo  
 Sui pecori, atque apibus quanta experientia parcis,  
 Hi'c canere incipiam.*

Tertiū

Tertium exemplum ex eodem etiam capite hoc transfertur. Cic. pro Mura:  
ha: Intelligo iudices, tres totius accusationis partes fuisse: & earum unam in reprehensione vita, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus esse versatam. Hic tota accusatio in tria membra distribuitur, subjectis suis occupantibus distincta: atque in his tribus exemplis totum est integrum. Quartum exemplum est generis in species ex Cic. 5. Tuscul. Sint sanè illa tria genera bonorum, dum corporis & externa jaceant humi, & tantummodo quia sumenda sunt, appellantur bona. Alia autem, divina illa, longè latèque se pandunt, cœliumque contingent. Hic Cicero bona in tres species, quas ille genera vocat, dividit, subjectis suis distinctas; nempe animi, corporis & fortunæ.

## C A P. XXIX.

## De Distributione ex Adjunctis.

**D**istributio ex adjunctis est, quando partes sunt adjuncta.

Ut hominum alii sani, alii ægri: alii divites, alii pauperes.

Sic Virgil. 1. Georg. mundum dividit in quinque partes; medium torridam, duas extremas frigidas, & reliquas duas temperatas:

Quinque tenent cœlum zone, quarum una torusco

Semper sole rubens, & torrida semper ab igni, &c.

Cæsar 1. Belli Galli. Gallia est omnis divisa in tres partes: quarum unam incolunt Belæ, aliam Aquitani, tertiam, qui, ipsorum lingua Celtae, nostra, Galli appellantur.

In distributionibus hujusmodi imperfectis advertendum est id quod videretur distribui. Nam si id totius rationem habet, integri vel generis, distributio est; si non habet rationem totius, sed simplex aliquod argumentum est, ut causa, effectum, subjectum, adjunctum, non est distributio sed enumeratio potius, vel causarum plurium ejusdem effecti, vel effectorum plurium ejusdem cause, vel subjectorum plurium ejusdem adjuncti, vel denique adjunctorum plurium ejusdem subjecti. Hoc genere distributionis imperfecto argumenta saepe quorum veræ species nullæ apparent, modis quibusdam distinguuntur, modos autem supra in adjunctis posuimus. Sic in causis, procreans & conservans, modi efficientis, non species, dicuntur: quia non differunt inter se ut species per differentias oppositas, sed ita ut uni & eidem efficienti convenire queant; quandoquidem quæ causa procreat, eadem ferè conservat; potestque efficere idem vel solus, vel cum aliis; nonnulla vel per se, vel per accidens.

## C A P. XXX.

## De Definitione.

**D**efinitio in tradendis artibus est usu quidem prior distributione (prius enim definitur unaquæque res quam distribuitur) natura tamen & inveniendi ordine est posterior: genus enim, quo non adhibito, si quod sit, nulla definitio constitui potest, à distributione, qui proprius generis est locus, mutuum accipit.

Definitio est, cum explicatur quid res sit.

Definitio vocatur, eo quod rei cuiusque essentiam definit, eamque suis quasi finibus circumscribit.

Atque ut definitio arguit sive explicat definitum, sic vicissim à definito argui potest. Quæ quanquam argumentorum omnium affectio communis est arguere inter se vicissim & argui, hic tamen eandem ob causam facta mentio est definiti, ob quam in capite notationis facta est nominis; ne argumentorum numero excludi videatur, cum neque ejusdem sit nominis cum definitione quam arguit. neque caput sibi peculiare obtineat; sicut alia argumentorum paria, quæ nominis ejusdem non sunt. Ad reciprocationem autem quod attinet, quæ definitioni cum distributione communis est, ea definitionis & definiti manifestissima est: Logica enim est ars bene ratiocinandi; & vicissim, ars bene ratiocinandi est Logica. Atque ad hunc modum omnis definitio, ut nonnulli rechè monuerunt, conversione examinanda est: unde Boëthius, Top. 5. omnis definitio rei, quam definir, ad-equatur.

Definitio

*Definitio est perfecta aut imperfecta: illa propriè definitio, hoc descriptio dicitur.*

*Definitio perfecta est, quæ constat è solis causis essentiam constituentibus. Redundat ergo in definitione perfecta quicquid præterea ponitur.*

*Causæ autem ille genere & forma comprehenduntur.*

Genus enim & forma (quæ sunt quasi corpus & anima definitionis) totam rei essentiam constituunt. Non ita tamen necessariò requiritur in definitione perfecta genus, ut perfecta non sit nisi genus habeat: primùm enim, summorum generum, ut argumenti in Logica inventione, genus nullum est; sed tota eorum essentia sub ipsa forma continetur; quæ etiam materiam iis convenientem complectitur; deinde fieri potest ut ipsæ causæ facilius occurrant quam earum symbolum genus. Itaque si ex ipsis causis definitio constat, perfecta erit; si ex genere, succinctior tantum. Genus autem proximum, non remotum, in definitione semper est ponendum: qui enim proximum ponit, remotiora etiam posuit: nisi proximum fortè anonymum sit; tum enim & quotiescumque generis, sive anonymum sit sive non, paulo ante facta mentio est, abesse genus in definitione, & rectè subintelligi potest: ut in hac ipsa definitionis definitione, genus remotum, nempe ortum argumentum; tum etiam proximum, nempe reale & compositum, subintelligitur. Quam autem hic formam in definitione appellamus, plerique differentiam vocant. Sed differentia formæ fructus est: & nisi in rerum collatione, quæ in definitione una est, non apparet; & forma ipsa est unde præcipua rerum explicatio sumitur; præcipuum ergo in definitione locum habet.

Atque hoc modo definitur homo, animal rationale: nempe genere, *animal*, intelligimus, ut dictum est, essentiam corpoream plenam vitæ & sensus, quæ materies hominis est, & pars formæ: cui si addas *rationale*, totam formam hominis comprehendes, vitæ, sensus, rationis facultate.

Itaque *perfecta definitio nihil aliud est, quam universale symbolum causarum essentiam rei & naturam constituentium.*

Tales definitiones sunt artium. Grammatica est ars bene loquendi. Rhetorica bene dicendi. Logica bene ratiocinandi. Arithmetica bene numerandi. Geometria bene metiendi. Nam genere *ars intelligimus præceptorum ordine dispositorum comprehensionem*, quæ materies est cujusque artis & pars formæ, sive forma communis, cui si addas formam cujusque artis propriam (quæ finem quoque sub se comprehendit, ut dictum est cap. 8.) habes totam artis essentiam explicatam, quæ perfecta definitio est.

Ad regulas consequentiæ quod attinet, nempe à definitione ad definitum; & contrà, affirmatè vel negate; hæc omnia reciprocatio, quæ distributionis quoque fuit, satis clarè suo loco exposuit.

## C A P. XXXI.

### *De Descriptione.*

**D**efinitiones perfectæ propter causarum & præsertim formarum obscuritatem, difficiles inventu sunt: ad supplendam igitur earum raritatem, *descriptio* inventa est.

*Descriptio est definitio imperfecta, ex aliis etiam argumentis rem definiens. Id est, ex quibusvis aliis rem quoquo modo explicans.*

Ubi itaque forma haberi non potest (nam genera ferè notiora sunt) proprietas loco formæ seu differentiæ accipienda est: ut, *angelus est substantia incorporeæ; equus est animal hinnibile, &c.* Adjuncta sive accidentia, quæ vocantur (quia substantiæ solæ, ut inquit *Aristot. l. 6. Metaph. c. 5.* Primario definiuntur, accidentia secundariò tantum) propria quidem genere, subjecto, causâque proxima vel efficiente, vel finali, vel utrâque definiuntur. Genere & subjecto solo; ut, *simitas est curvitas nasi: subjecto & efficiente; ut, tonitru est sonus fractæ nubis, ob ignem oppressum; quantitas continua est adjunctum corporis, ab extensiōne materiae: finali; ut, sensus est facultas naturalis in animali, ad judicandum de singularibus: vel utrâque; ut, respiratio est attractio & expulsio aëris reciproca à pulmonibus facta, ad cordis refrigerationem.* Omittitur enim tæpe subjectum in definitione priorum, quippe quòd ex genere vel ex causa intelligitur: ut, *memoria est sensus internus conservans imagines rerum cognitarum.* Non dicitur *sensus internus animalis, addito* nempe

nempe subiecto, quia id mentione sensis intelligitur. Potentiae naturales actione sua & causa efficiente definiuntur: ut, risibilitas est facultas ridendi, orta ab anima rationali. Habitus vel fine vel objecto quae saepe coincidunt definiuntur: fine; ut, Logica est ars bene ratiocinandi: objecto; ut, Physica est scientia rerum naturalium. Qualitates patibiles definiuntur subiecto & efficiente: ut, color est qualitas corporis mixti, orta ex contemplatione lucidi & opaci. Actiones ferè subiecto efficiente & fine definiuntur. Relationes relatis inter se & fundamento sive causa: ut, paternitas est relatio patris ad filiam, ex procreatione orta.

• Adjuncta communia objecto, efficiente, finali, vel ex his quot sunt ex usu, definiuntur: ut, albedo est color, ortus ex lucido opacum superante.

Illud modo generatim in descriptionib. cavendum, ne causa pro genere habeatur: ut cum dubitatio describitur, aequalitas rationum; sanitas, symmetria humorum; dolor, solutio continuæ, eclipsis lunæ, interpositio terræ: aut subiectum; ut, ventus est aer motus; justitia est voluntas constans; vulnus est pars carnis dilacerata; peccatum originis est natura corrupta, & similia.

Cæterum in his certæ regulæ dari non possunt. Aliquando enim ex remoto solum contrario fit descriptio: ut,

*Virtus est vitium fugere, & sapientia prima  
Stultitia caruisse.* — Aliquando planè arbitraria est.

Hinc etsi unica rei definitio, plures tamen descriptiones esse possunt.

Ut autem definitio definito, quod suprà monuimus, ita etiam descriptio descripto vicissim argui potest. Verum non affectio solum hæc mutua inter descriptionem & rem descriptam intercedit, sed etiam reciprocatio; juxta commune illam distributionis ac definitionis regulam, suprà, cap. 25. traditam; quæ descriptio quoque propria rei descriptæ & reciproca esse debet. Quamvis enī in descriptionibus, multa saepe congeruntur, quorum aliqua forte latius patent, quam id quod describitur, juncta tamen æquantur descripto, descriptionē inque propriam reddunt; sin minus, vitiosa atque inutilis descriptio censenda est. Ut, homo est animal mortale, capax discipline. Hic cum aliqua causa (materia scilicet & communi forma, quæ sub genere animal continetur) miscentur duæ circumstantiae sive adjunctæ, alterum commune, scilicet mortale, alterum proprium, capax discipline. At quorsum, inquis, illud mortale, cum nullum animal non sit mortale? Quia nempe Aristot. cuius hæc descriptio est, Top. 5. 1. animalia quædam ait esse immortalia, Top. 4. 2. & in eodem capite, Deum ipsum (ac & Deum vater, i.e. immortale animal vocat.

Sed hac succincta brevitas non est in hac specie perpetua; quæ saepe illustriorem & copiosiorem explicationem desiderat.

Succinctæ descriptiones quæ perfectas æmulantur definitiones, usum habent præcipue in artibus tradendis ac disputationibus. Prolixiores illæ, utpote ad aures vulgi magis accommodatae, apud oratores ac poëtas frequentius occurunt.

Sic gloria describitur in Miloniana: sed tamē ex omnibus præmiis virtutis, si esset habenda ratio præriorum, amplissimum esse præmium gloriam: hanc unam, quæ brevitatem vita posteritatis memoria consolaretur; quæ efficeret, ut absentes, adessemus; mortui, viveremus: hanc denique esse, cuius gradibus etiam homines in cœlum videantur ascendere. Descriptio hæc gloriae constat ex genere, præmio nempe virtutis; adjuncta amplitudine, eaque aucta à minore, quod sit omnium amplissima; quanto deinde effecta ejus adjiciuntur.

Sic 4. Eneid. fama describitur:

*Exemplo Lybiæ magnas it fama per urbæ,  
Fama malum; quo non aliud velocius ullum  
Mobilitate viget, virésque acquirit eundo, &c.*

Describitur fama, 1. à genere, malum: 2. ab adjuncta velocitate, quæ illustratur à majore negato, quo non aliud velocius: cum duplice effecto aliarum rerum dissimili, quod

*Mobilitate viget, virésque acquirit eundo;*

3. Ab adjuncta varietate, quæ ostenditur ex aliis adjunctis, quod sit primò parvus, idque arguitur causa, scilicet metu, & circumstantia temporis, primo nempe;

pe ; tum subitò grandior facta incremento exigui temporis incredibili, idque ostenditur trib. effectis, quæ singula subjectis suis illustrantur,

— *Mox sese attollit in auras :  
Ingriditurque solo, & caput inter nubila condit.*

4. A causa procreante, *illam terra parens*, — mater scilicet gigantum; & efficiendi modo, consilio nempe sive impetu naturali, *ira irritata deorum*, qui gigantes occiderant; causa autem procreans communis illustrata tempore adjuncto, & communi testimonio,

*Extremam, ut perhibent, Cæo Enceladōque sorores  
Progenuit. Rursus illustratam ab adjunctis,  
Pedibus celerem & perniciibus alis,  
Monstrum horrendum, ingens — .*

Deinde à partibus corporis & membris, iisque paribus,

— *Cui quot sunt corpore plume,  
Tot vigiles oculi subter, mirabile ditti,  
Tot lingua, totidem ora sonant, tot subigit aures.*

Tum ab effectis nocturnis, iisque partim affirmatis quæ subjectis locis illustrantur,

*Nocte volat cœli medio, terraque per umbram  
Stridens; partim negatis, nec dulci declinat lumina somno.*

Tum diurnis, eaque illustrantur & subjectis locis, & adjuncto situ sedendi,

*Luce sedet custos, aut summi culmine teetri,  
Turribus aut altis, & magnas territat urbes.*

Ab adjunctis denique paribus;

*Tam ficti pravique tenax quam nuntia veri.*

Tales sunt descriptiones plantarum, animalium in Physicis; item fluminum, montium, urbium apud Geographos & Historicos; perionarum denique apud Poëtas & Oratores.

## C A P. XXXII.

### *De Testimonio divino.*

**E**xposito artificiali arguento, sequitur inartificiale.  
*Argumentum inartificiale est quod non sua natura, sed assumpta artificialis alicujus argumenti vi arguit.*

*Id uno nomine Testimonium dicitur. Nempe, ut inquit Cic. in Top. quod ab aliqua externa re sumitur ad faciendam fidem.*

Inartificiale autem dicitur, non quod artis ope & auxilio non inveniatur (siquidem de eo inveniendo, ut inquit Cicero, Partit. in arte præcipitur) sed quod ex se suaque natura artis hujus & facultatis arguendi expers sit. Potest etiam assumptum dici, quod assumpta vi arguit, non sua. Argumentum enim inartificiale naturam rei non attingit, nedum arguit, ut artificiale solet, neque rei affectio, sicut artificiale, est; sed est nuda cujuspam aliqua de re attestatio, sive attestantis affirmatio aut negatio. Res autem neque propter affirmationem sunt, neque propter negationem non sunt: testimonium igitur ex se iuâque natura non arguit; sed assumpta artificialis alicujus argumenti vi. Vis aut in hac est testantis auctoritas, à qua omnis testimoniī fides pendet. Auctoritas autem variis in argumentis consistit, sed in effectis testantis & in adjunctis præcipue cernitur.

*Itaque cum exquisita rerum veritas sive natura subtilius exquiritur, per exiguum probationis vim testimonium habet.*

Hinc

Hinc Cic. i. de Nat. Non tam auctores, inquit, in disputando, quam rationum menta querenda sunt.

In civilibus autem & humanis rebus, ubi de facto queritur, plerumque hoc argumentum pricipiam fidem è moribus arguentis efficit, si prudentia, probitas & benevolentia affuerint.

Horum unum aliquod si deest, vel per imprudentiam testis, vel propter improbitatem, vel inimicitarum denique aut nimiae gratiæ causa, falsum sœpe pro testimonio dicitur.

*Testimonium est divinum vel humanum.*

Et recte quidem in species efficientibus suis causis distinctas dividitur. Ab efficientibus enim maximè testimonium suas vires asumit. Effectum itaque est, si ad testem spectas; testimonium, si ad rem testatam. Perexiguam autem vim probationis in exquisita veritate & natura rerum pervestiganda communiter tribui testimonio quod tam ad divinum quam ad humanum pertinere videatur, id cur quempiam offendat, non video: testimonium enim sive divinum sit sive humanum, peraque vim omnem ab authore, nullam in se habet. Ecce divinum quidem testimonium affirmat vel negat rem ita esse, facitque ut credam; non probat, non docet, non facit ut sciam aut intelligam cur ita sit, nisi rationes quoque adhibeat.

*Testimonium divinum est quod Deum habet authorem.*

*In divinis testimoniosis numerantur non solum oracula, sed etiam responsa vatum & fatidicorum.*

Vera haec sint an ficta, veri numinis an falsi, Logicus non laborat, sed quam modò vim arguendi unumquodque habeat. Itaque in civilib. etiam & humanis rebus testimonium divinum perinde vim probationis habet, ut ejus author verus est aut falsus Deus.

Hujusmodi sunt ista Catilin. 3. Nam ut illa omittam, visas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremque cœli; ut fulminum jactus, ut terre motus, ceteraque, quæ ita multa, nobis consulibus, facta sunt, ut haec, quæ nunc sunt, canere dii immortales videbentur.

### C A P. XXXIII.

#### *De Testimoniis humano.*

**T**estimonium humanum est, quod authorem habet hominem.

*Est que commune aut proprium.*

Distributio hec proponitur, non ut accurata aliqua divisio (neque enim testimonio propria est) sed ut distinctio qualiscunque subalternarum specierum, ad quas inferiores species testimonii & exempla possint revocari. Atque, ut superior illa distinctio in divinum & humanum, ab efficiente quoque sumitur, qui sit persona publica sive communis, aut propria sive privata.

*Testimonium commune est; ut lex & illastris sententia.*

Hæc enim duo exempla sunt potius quam species: quibus adjungi potest *Fama*; quam Cic. in Top. quoddam multitudinis testimonium appellat; alii, consensum civitatis & publicum testimonium vocant.

Legis autem & non scriptæ & scriptæ testimonium est pro Milone: *Est enim, judices, non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; veram ex natura ipsa arripimus, hancimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus: ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela, aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis.* Et ibidem, *Quod si duodecim tabula nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt, quis est, qui, &c.*

Restat illastris sententia; cuius generis sunt proverbia. Ut pares cum partibus facilime congregantur. Spartam naetus es, hanc exorna. Tum dicta sapientum: *ut, Nolce te ipsum.* Ne quid nimis. Sponde, præsto est detrimentum. Quanquam enim haec dicta singula à singulis fortasse auctoribus ora sunt, tamen quia omnium in ore versantur, quasi omnium sunt, & ad communem testimonium recte referuntur.

Proprium testimonium est: *ut Platonis illud, 1 ad Q. fratrem;* Atque ille quidem princeps ingenii & doctrine, Plato, tum denique fore beatas respub. putavit; si autem docti

docti & sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.

Talia sunt in poetis. Aeneid. 6.

Discite justitiam, moniti ; & non temnere divos.

Sic Homericis illis versibus.

Αἴας δὲ οὐ Σαλαμῖνος ἔχει δυνατέρες νησίς.

Στήσος δὲ ἄγων ἐν Αθηναῖσιν ἵσαντο φάλαγγας.

Ajax autem ex Salamine duxit duodecim naves.

Constituit verò ducens, ubi Atheniensium stabant phalanges.

Victi sunt in judicio Megarenses, quo contenderunt cum Atheniensibus de Salamine insula, utrique fortè civitati æquè vicina.

Atque hæc veterum fuere & absentium testimonia, & ferè mortuorum ; quæ de jure potissimum afferuntur.

Viventium & præsentium, quæ de facto plerunque testantur, non tantum sunt cùm queritur de fundo aut cæde & ejusmodi negotio aliquo, sed etiam obligationis, confessionis, jurisjurandi testimonia sunt.

Obligationis exemplum est Philipp. 5. Promitto, recipio, spondeo. P. C. Cæsarem talem semper fore civem, qualis hodie sit, qualémque eum maximè velle & optare debemus.

Pignus etiam obligatio quædam est :

Ut apud Virgil. Ecl. 3.

Vis ergo inter nos quid possit uterque vicissim

Experiāmur ? Ego hanc vitulam (ne forte recuses,

Bis venit ad multoram, binos alit ubere fatus)

Depono : tu dic, mecum quo pignore certes.

Confessio est vel libera, in qua cuiusvis testimonium pro se levissimum contra se gravissimum censetur. Vel est expressa tormentis, quæ propriè quæstio dicitur.

Tale fuit argumentum contra Milonem, quòd à Cicerone deridetur : quia cruciatus non sæpius veritatem quam mendacium exprimit atque extorquet. Age verò, quæ erat aut qualis quæstio ? Heus, ubi Ruscio ? ubi Casca ? Clodius insidias fecit Miloni ? Fecit ; certa crux. Nullas fecit. Sperata libertas.

Huc etiam referri potest argumentum, quo utinur cùm affirmationis nostræ approbationem & experientiam adversario proponimus.

Ver. 4. Ecquis Volcatio, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset ? veniat nunc, experiatur : tecto recipiet nemo.

Terent. Eunuch.

Fac periculum in literis,

Fac in palestra, in musicis ; quæ liberum

Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.

Ovid. 3. Trist.

Quod magis ut liqueat, neve hoc ego fingere credar,

Ipse velim pœnas experiare meus.

Jurandum etiam testimonium est.

Quale est Aeneid. 9.

Per superos, & squa fides tellure sub ima est,

Invitus, regina, tuo de littore cessi.

Quamvis autem in juramentis divinum quodammodo testimonium invocetur, juramenti tamen fides authoritate & moribus jurantis nititur.

Reciprocatio hæc obscurior est ad rem testatam, quod est hæc alterum argumentum affectum ; ut quia testatum verum sit, testis sit etiam verax.

Ut autem non sua vi testimonium, sed auctoritas testis arguit rem testatam ; ita vicissim res testata non arguit ipsum testimonium, sed authoritatem testis.

# ARTIS LOGICÆ

Ad Petri Rami methodum concinnatæ,

Liber Secundus.

De Argumentorum dispositione.

## C A P. I.

*Quid sit argumentorum dispositio?*

**A**Dhuc prima artis Logicæ pars fuit in argumentorum inventione: pars altera sequitur in eorum dispositione.

Quemadmodum Grammaticæ pars prima est de singulis vocibus, secunda de syntaxi earum; sic Logicæ pars prima de argumentis inveniendis fuit, secunda est de disponendis, i. e. quæ doceat argumenta rectè disponere: ita dispositio quasi syntaxis quædam argumentorum est; non tamen ad bene judicandum duntaxat, ut vult *Ramus*, quod nimis angustum est, sed ad bene ratiocinandum, qui finis est Logicæ generalis, ad quem unum finem omnia artis præcepta referenda sunt. Iis itaque non assentior, qui judicium secundam esse partem Logicæ volunt: cùm ipsorum sententia judicium sit secundæ hujus partis nempe dispositionis finis & fructus: non potest autem res eadem esse finis & id cuius est finis, fructus quod effectum est & ejus fructus causa, quæ dispositio est. At inquit, judicium ut doctrina est pars Logicæ; finis est ut habitus bene judicandi. Immo vero inquam, dispositionis doctrina suam operam confert non solum ad bene judicandum, sed ad bene ratiocinandum; judicium autem & dispositionem pro eodem non dixerim cum *Ramo*: si enim certa, ut ipse *Ramus* ait, dispositio regula unumquodque judicatur, dispositio utique ac judicium si idem erunt, idem erit & regula, & id cuius regula est: doctrina deinde judicij docet nihil aliud quam bene judicare; doctrina dispositionis pro sua disponendi parte, etiam bene ratiocinari: sive id sit intelligere, sive judicare, sive disputatione, sive meminisse. Certa enim dispositio regula unumquodque munus ratiocinandi excusat.

Cum itaque simplicem argumentorum inter se affectionem aliquid per se conferre ad judicium rectumque ratiocinium initio proposuerim, nunc eorum dispositionem aliquanto plus, adeoque clarius ad idem conducere propono.

Prius autem quam ad partes dispositionis accedimus, generalis quædam dispositionis affectio, quæ *Crypsis* dicitur, attingenda est; ut quæ ad omnes species dispositionis communiter pertineat. *Crypsis* autem sive occultatio ista, est triplex; dispositarum scilicet partium vel defectus, vel redundantia, vel inversio. Quod itaque semel hic monendum est, siqua propter has crypses dubitatio contingit, explenda quæ desunt, amputanda quæ supersunt, & pars quæque in suum restituenda est locum.

## C A P. II.

De Axiomatis affirmatione & negatione.

**D**ispositio est axiomatica vel dianoetica.

*Axioma est dispositio argumenti cum arguento, qua esse aliquid aut non esse indicatur.*

Axioma saepe *Aristotelei* significat propositionem sive sententiam ita claram, ut quasi digna sit cui propter te fides habeatur. Alias axioma & propositionem sive sententiam quamlibet pro eodem habet: & rectè quidem: ut enim sententia

tentia à sentio, i. e. existimo vel arbitror, ita axioma à verbo *Graco* quod idem significat, derivatur. Atque hujus vocis generalem hanc significationem apud veteres Dialecticos receptam fuisse, ex Cicerone, Plutarcho, Laertio, Gellio, Galeno lib. 16. c. 8. constat.

Latinè enuntiatum, enuntiatio; pronuntiatum, pronuntiatio; effatum Varroni profatum, & proloquium, apud Gellium lib. 16. id est sententia in qua nihil delideratur: Ex *Graco* etiam oratio & propositio dicitur.

Cur ergo, inquis, Græcanica, & hæc præ aliis, vox placita est? Quia, inquam, commodissima. Nam oratio & sententia voces latiores sunt; ideoque Græci qui λόγον sive rationem vocant, addunt ferè primum, brevissimum aut enuntiativum. Deinde propositio ambigua vox est; significat enim nunc priorem partem plenæ comparationis, nunc primam partem syllogismi. Latina autem illa, enuntiatum, enuntiatio, &c. orationis exterioris videntur magis quam rationis interioris esse: cum dispositio hæc Logica rationis omnino sit tam mente conceptæ quam ore prolatæ; utque voces symbola sunt & notæ simplicium notiorum, ita enuntiatum videtur esse symbolum axiomatis mente concepti. Sic tamen retineri possunt voces Latinæ enuntiatum, enuntiatio, &c. si distinguimus cum Aristotele sermonem in exteriorem, qui ore profertur; & interiorem, qui mente solum concipitur.

Genus autem axiomatis rectè statuitur dispositio, non judicium, quod ut supra retuli, dispositionis effectum est, & hic quidem specialiter quo aliquid esse aut non esse judicatur.

Argumentum autem cum arguento est id quod arguit cum eo quod arguitur.

Finis dispositionis est, ut per eam esse aliquid aut non esse indicetur, sive ut aliquid de aliquo dicatur aut non dicatur. Hinc illud Aristot. Phil. 9. 10. esse est componi, & unum esse; non esse autem est non componi, sed plura esse. Et simplicia quidem argumenta per se considerata significant aliquid; non autem esse, aut non esse aliquid, nisi disposita. Solo autem modo indicativo esse aliquid aut non esse indicatur; non reliquis, nisi ad indicativum reductis: ut, abi, i. e. jubeo te abiare. Fiat voluntas tua, i. e. precamur ut fiat. Utinam dissolverer, i. e. cupio disselvi. Quid est Dialectica, i. e. quæro quid sit.

Cum autem in axiomate argumentum cum arguento disponatur, horumque unum necesse sit antecedere, alterum sequi; hinc partes axiomatis (Aristot. terminos vocat) duæ sunt, antecedens & consequens: illa vulgo minor terminus, sive subjectum, hæc terminus major seu prædicatum nominatur; quia id continet, quod de subiecto prædicatur sive dicitur. Verum hæc nomina angustiora sunt, quam illa, ut infra patebit.

Axiomatis affectio communis est cryptsis illa triplex, de qua deque ejus triplici medela capite superiore diximus: defectus, cum pars aliqua deest; ut, excessus, erupit, evasit; Catilina scilicet vel quis alias; pluit, tonat; Deus nempe vel coelum. Redundantia, quæ & amplificatio dicitur, est, cum argumentum ejusque synonymum ponitur; aut ad id illustrandum quidvis aliud: prioris exemplum est, Logica sive Dialectica est ars bene ratiocinandi: posterioris est hoc,

*Livor iners vitium mores non exit in altos.*

Inversio est, cum antecedentis loco ponitur consequens: ut, *questus magnus* est pietas cum animo sua forte contento, i. e. pietas cum animo sua forte contento est magnus questus.

Duæ sunt reliquæ axiomatis affectiones; quarum altera ex dispositione oritur, altera ad judicium pertinet. Nam intellectus cum disponit argumenta, vel componit ea inter se, vel dividit: compositio autem illa & divisio nihil aliud sunt quam affirmatio & negatio. Cum vero de dispositione illa judicium fert, judicat eam vel veram esse vel falsam. Quemadmodum autem dispositio est prior judicio, sic esse & non esse prius quiddam est & simplicius quam affirmare & negare, & utrumque hoc quam verum aut falsum judicare.

*Axioma igitur est affirmatum aut negatum.*

Duplex est hic modus enuntiandi, non duæ sunt species enuntiati sive axiomatis: contradictione enim idem axioma affirmatur & negatur: sed affirmatio & negatio enuntiationis, i. e. enuntiandi species sunt, non enuntiati; nam & affirmatio & negatio dici potest enuntiatio, enuntiatum verò nequaquam; axiomatis igitur utraque est affectio, non axioma.

*Axioma*

*Axioma affirmatum est quando vinculum ejus affirmatur : negatum, quando negatur.* Vinculum n. axiomatis forma est ; vinculi vi axiomatis materia disponitur & quasi animatur ; vinculo affirmato aut negato, axioma ipsum affirmatur aut negatur : affirmatio itaque & negatio sunt vinculi affectiones, adeoque axiomatis ejusque specierum. Vinculum autem est vel verbum vel grammatica conjunctio, ut postmodum patebit, cum axioma in species dividetur.

Affirmatio autem haec & negatio nihil aliud est, ut suprà diximus, quam compositio & divisio : affirmatur enim axioma, cum ejus consequens per affirmationem vinculi cum antecedente componitur ; negatur, cum negato vinculo, consequens ab antecedente dividitur. Negatio igitur axiomatica non est, quemadmodum erat topica non ens, sed entis tantummodo ab ente divisio.

*Hinc nascitur axiomatum contradic̄tio, quando idem axioma affirmatur & negatur.*

### C A P. III.

#### *De vero & falso.*

**A**xioma deinde est verum aut falsum.

Hoc scilicet ex affirmatione & negatione fit judicium : cum enim affirmantur quæ affirmanda sunt, & negantur quæ neganda, axiomata judicantur vera ; & contraria. Unde Arist. de Interpret. I. in compositione & divisione est verum, aut falsum. Falsum autem non docetur hoc modo in arte, sed judicatur : nam enuntiatio falsa non minus axioma est, quam vera, eadem enim utrobique dispositio est : non idem de syllogismo ac methodo dici poterit.

*Axioma verum est, quando pronuntiat uti res est : falsum, contraria.*

Sic enim Plato, in Cratilo. Ad judicium itaque faciendum, non modo artis documenta, sed etiam rerum ipsarum cognitio requiritur ; quia res ipsa veritatis norma & mensura est.

*Axioma verum est contingens aut necessarium. Contingens, quando sic verum est, ut aliquando falsum esse possit. Ut, audentes fortuna juvat.*

Itaque veritatis hujus contingens judicium, opinio dicitur. Quæ præteriorum & præsentium homini certa esse potest, futurorum per naturam non admodum potest. Deo autem etsi tempora omnia præsentia non sunt, ut vulgo receptum est, præsentia enim mutare potest, præterita non item ; opinio tamen in Deum non cadit, quia per causas æque omnia cognoscit.

De contingentibus autem, præteritis etiam, & præsentibus humanum judicium certa quidem opinio dicitur, non tamen scientia : ea enim ex argumentis, quorum est immutabilis affectio, oritur ; cuiusmodi in contingenti axiomate non disponuntur. Neque ideo non est opinio præteriorum & præsentium, quod manifesta sunt, immo tum maximè opinari contingentia dicimur ; nam dubia si sunt, sive contingentia sive necessaria, ne opinamur quidem, sed dubitamus : & necessaria tametli sunt atque certissima, si causam nescimus, etiam ea duntaxat opinamur.

At, inquires, præterita & præsentia non sunt contingentia, sed necessaria, quia sunt immutabilia ; nam neque factum intectum fieri potest ; & quicquid est, quandiu est, necesse est esse. Respondendum, necesse quidem esse, ut quod fuit, fuerit, & quod jam est, sit ; nec tamen sequi, ut quod fuit vel est, sit propriè necessarium. In axiomate enim contingenti, præterito, vel præsenti quæ videtur esse necessitas, absoluta non est, neque ex rerum dispositarum natura, sed ex conditione duntaxat & lege contradictionis pendet : dum enim aliquid est, non esse non potest ; neque dum verum est, esse falsum : & tamen quod nunc verum est, fieri potest ut aliquando falsum fuerit, aut futurum sit. Idem de futuris dicendum ; siquid futurum certò est, id necesse est fore quidem verum (omne n. axioma verum est aut falsum ) non tamen necessarium. Id nisi tenetur, omne contingens futurum erit necessarium, quod implicat contradictionem. Hoc etiam monendum, futura quidem ipsa neque vera esse neque falsa, neque contingentia, neque necessaria, nondum n. sunt, sed affirmatio solùm de iis aut negatio in futurum, deque præteritis eodem modo sentiendum.

*Axioma est necessarium, quando semper verum est, nec falsum potest esse.*

Nec supervacua posterior haec clausula est : semper n. esse verum etiam contingens potest, necessarium autem non modò semper est verum, sed falsum esse non potest. Sic etiam Aristot. Post. I. 26.

Cor-

*Contrà, quod semper falsum est, nec verum potest esse, axioma impossibile dicitur.*  
Sic etiam Aristot. Phil. 8. 12.

Hæc autem immutabilitas veritatis in necessario, & falsitatis in impossibili, ab argumentorum quæ in iis disponuntur vel summa consensione, vel infesta semper dissensione pendet. Pari ratione mutabilitas veri aut falsi in contingenti & possibili ex levi argumentorum in iis dispositorum consensione aut dissidio perspicitur.

Ex quo doctrina illa quatuor formularum modalium, *necessæ est, impossibile est, possibile est, contingens est*, quam inutiliter ab Aristot. introducta sit, facile apparet: ut, *necessæ est hominem esse animal*; *impossibile est hominem esse equum*; *possibile est Socratem esse divitem*; *contingens est Socratem esse doctum*. Hæc quatuor modales dispositionem puraum enuntiationum quodammodo afficiunt: pura est, *omnis homo est animal*; modalis, *necessæ est omnem hominem esse animal*: hic *omnem hominem esse animal*, licet inverso ordine, subjectum est enuntiationis modalis, modus *necessæ est* prædicatum. Verùm quid attinet quomodo partes axiomatis inter se affectæ sint, signis aut modis exprimere, cùm id ex argumentis ipsis in eo dispositis possit rectius judicari, & ad hos modos alii complures, *facile, difficile, honestum, turpe, &c.* Non inutilius possint adjungi?

Evidem secundarias, quas vocant modales, primariis hisce potiores existimem: quibus vulgò dividuntur enuntiationes in *exclusivas*, quarum notæ sunt *situs, tantum, dūtaxat, &c.* ut, *sola fides justificat: exceptivas*, quarum notæ sunt *præter, præterquam, nisi, &c.* Ut, *nemo præter te sapit: & restrictivas*, quarum notæ sunt *qua, quatenus, quoad, secundum, quid, &c.* Ut, *homo qua animal, sensit.* Et exclusiva quidem est vel subjecti vel prædicati: subjecti, quæ notâ exclusivâ præpositâ, excludit omnia subjecta alia à prædicato. Sed si ufra hanc regulam ratio dictarit, si Logicis quibusdam modernis, & nominatim Keckermanno licebit, eam statim, conflato ad id ipsum canone, funditus evertere. *Exclusiva*, inquit, *subjecti non excludit concomitantia*: ut, *situs pater est verus Deus. Hic inquit, non excluditur concomitans, filius, & spiritus sanctus.* At quis non videt subornatum hunc canonem, ad locum illum luculentissimum Joan. 17. 3. ludificandum? Haud paulò utilior est canon ille restrictivæ enuntiationis, quem tradit I. 2. c. 4. (*restrictiva autem est quæ ostendit quatenus subjectum prædicato convenit*) *prædicatum, inquit, contradictorium nulla limitatione subjecto conciliatur*; ex Aristot. 2. Top. c. ult. sect. 4. Quid evidentius dici potuit? & tamen reperti sunt qui interpositis quibusdam distinctiunculis, *accidens posse existere sine subjecto* (*quod repugnat*) in cœn. Domini contendant: deinde, qui similib. distinctiunculis, *humanam naturam Christi adeoque corpus insinutum esse* disputantes, parem contradictionem committant. Sed omissis Theologorum paradoxis, ad præcepta Lögica redeamus.

*Axioma necessarium affirmatum appellatur κατὰ πάντες de omni.*

Id est, cum consequens sive prædicatum, ut vocant, axiomatis, de omni & toto antecedente sive subjecto semper verum est. Sic etiam Aristot. 1. prior. 1. & post. 1. 4. & hoc etiam nonnunquam κατὰ πᾶν, i. e. de toto, vocat, Post. 2. 13.

*Axiomata artium sic κατὰ πάντες esse debent,*

Nempe de omnia & de toto vera, non falsa; necessaria, non fortuita, alioqui non scientiam pariunt, sed opinionem; affirmata denique, non negata: affirmatum enim est firmum, certum, brevissimum; negatum vero est vagum, incertum, infinitum, nihilque docet: ut si quis definiret Logicam, non esse artem bene loquendi, non doceret quid Logica sit, sed quid non sit; eaque definitio omnib. artibus præter Grammaticam æque ac Logicæ conveniret. Nonnulli addunt ex hac lege, axiomata artium debere etiam esse generalia. Verùm hæc regula non tantum de omni est, sed de toto: & multa in artibus præcepta specialibus de rebus occurunt, ut in Theologia, de Christo; in Astronomia de sole & luna reliquisque planetis: in aliis artibus hujusmodi alia, in quibus, cùm sint specialia, eti κατὰ πάντες dici non possunt, κατὰ πᾶν tamen possunt, quod satis est. Quod si quis objicit, ne in generalibus quidem præcepta artium κατὰ πάντες esse posse, propter exceptionum multitudinem, ut in Grammatica vide re est; respondendum est, anomalium analogiae conjunctam, κατὰ πάντες in star esse.

*Sed præcepta artium homogenea etiam & reciproca esse debent.*

*Axioma homogeneum est, quando partes sunt essentiales inter se.*

i. e. Vel absolute, ut forma formato, genus speciei, membra integro, definitio definito; vel modo quodam, ut subiectum proprio adjuncto.

*Id appellatur ηγδ' αὐτὸν per se.*

Idcirco etiam partes axiomatis essentiales inter se esse debent, ut præceptum artis esse scientificum possit: accidentis enim, ut testatur Aristoteles, nulla est scientia; nulla nisi per essentiam & causam: idem, τὰ ηγδ' αὐτόν, & τὰ συμερεῖτα. Enarratio, i. e. accidentia, opponit, Post. 1. 4. Itaque non satis est, partes esse inter se consentaneas, sed essentiales: quod cum ex argumentorum inter se summa consensione oriatur, ex qua necessarium quoque axioma esse ortum supradiximus, non video quid per hanc regulam ζετεῖσθαι ad superiorem illam κατατάσθαι quod magni sit momenti, accedit; cum nullum axioma necessarium esse queat, quin ejus partes inter se sint etiam essentiales. Neque vero pudentem hic præcipi, ne quid heterogeneum sive alienum in arte doceatur; neque enim hoc pertinet dispositio præcepti cum præcepto, sed argumenti solùm cum arguento, quæ axiomatis doctrina est, & ex homogenei definitione ipsa ejusque exemplis perspicitur.

*Axioma reciprocum est, quando consequens semper verum est de antecedente, non solùm omni & per se, sed etiam reciproce.*

Ut homo est animal rationale: numerus est par vel impar. Lopus est natus ad ululandum. Id appellatur καθόλες τελῶται, de toto primum. Nempe quia de nullo prius dicitur; ideoque proximum est & immediatum, proprium & æquale; unóque verbo, reciprocum: ut risibile de homine: omnis enim homo est risibilis; & reciproce, omne risibile est homo. Hæc regula nisi observetur, vitari tautologia in artibus non potest. Tum enim non reciprocatur axioma, cum antecedens consequenti non est æquale, aut contra; sed vel speciale alicui generi, vel generale alicui speciei attribuitur: generale autem de specie non dicitur primò; prius enim dicitur de genere. Cum autem iā quod generis est, speciei attribuitur, idem in reliquis speciebus necessario est repetendum, quod in genere semel dictum oportuit. Ad hanc itaque regulam vertinet præceptum artis illud nobile Ρητορικῆς, generalia generaliter & semel docenda sunt. Hæc lex breviti, brevitas autem intelligentiae & memoriae consulit.

Atque hæc tres sunt leges documentorum artium propriorum. Prima ζετατή, lex veritatis; propterea quid necessariam affirmati axiomatis veritatem ex consentanea partium affectione postulat. Secunda καστία, lex justitiae; quia justitiam requirit in essentiali partium cognitione. Peccant ergo in hanc legem, qui Rhetoricam in inventionem, dispositionem, memoriam, &c. distibuerunt, cum Rheticæ partes attribuant, quæ Dialecticæ proprie sunt. Tertia καθίλες πεντη, lex sapientiae meritò dici possit; cum quia ejus judicium verissima scientia est, ut postea dicetur, tum quia virtus sapientiæ contraria prohibet, inæqualitatem sive inconvenientiam antecedentis cum consequente & tautologiam.

Dices, duas illas priores leges comprehendi sub hac tertia: & hoc satendum quidem est: veruntamen ut trigonum tetragonus & tetragonum pentagonus comprehendit, neque idcirco tamen distinctæ figuræ non sunt; ita hæc leges etiam si posterior quæquam priorem comprehendit, erant tamen perspicuitatis causa distinguendæ.

Atque hujusmodi axiomatum ita reciprorum judicium verissima & prima scientia est. Prima quia principiorum est, quæ per se indemonstrabilia, suaque luce manifestissima sunt, neque syllogismi aut ullius argumenti clarioris lucem ad scientiam faciendam desiderant: quæ inde verissima quoque sic necesse est.

## C A P. I V.

## De Axiomate simplici.

**A**Tque hac de communibus axiomatis affectionibus; species sequuntur.  
Axioma est simplex aut compositum.

Sic etiam Aristor. de interpret. 1. 5. Vulgo proposicio dividitur in categoriam & hypotheticam, eodem sensu. Sed categorica affirmatam duntaxat propositionem simplicem comprehendit, quæ felicitate subjecto *etiam*, i. e. prædicatur.

*Axioma simplex est, quod verbi vinculo continetur.*

Cum enim vinculum, ut supradiximus, axiomatis forma & quasi anima sit, hinc efficitur, quemadmodum duæ sunt species vinculorum, verbum & conjunction, illud simplicis axiomatis, hoc compositi, ut axioma quoque ex ista distributione vinculi, in oppositas formas five species dividatur. Vinculum autem simplicis axiomatis, non solum est verbum substantivum, quod dicitur, sed quodvis verbum actionem aut passionem significans, vinculi, in se vim inclusam habet; & vel totum consequens vel pars consequentis est; ut, *Socrates* scribit. Nam quod nonnulli putant, verbum omne in substantivum & participium resolvi oportere, ut ea ratione verbum substantivum esse vinculum appareat, scilicet, *Socrates* est scribens; id saepè ineptissimum esse reperietur. Ut si quis hoc, *Socrates* docetur, sic solvat, *Socrates* est doctus: hoc enim aliud longe est. Quidquid etiam verbum substantivum nonaunquam & vinculum & totum consequens includit; ut, *Socrates* est; Mortui non sunt, i. e. non existunt. Quodsi in uno simplici axiome plura verba occurruunt, ut, Imparia sunt comparata, quorum quantitas non est una, sciendum est illud verbum axiomatis vinculum esse, quod Grammatici vocant principale.

*Id si affirmatur, axioma simplex est affirmatum; si negatur, negatum.*

Negatur autem, si negationis nota verbum illud præcedit: Nam si sequitur, negatum non est, sed affirmatum: ut *Socrates* est leo non nec ssario, affirmatum est, quia negationis nota sequitur verbum; nec totum consequens negatur, sed modus.

Negationis autem notæ non solum sunt adverbia negandi, sed etiam particulae exclusivæ (cujusmodi sunt *unicus* & *solus*) & verba disensionem vel differentiam significantia; ut, *differre*, *opponi*, &c.

Exempla nunc videamus. Ignis urit; ignis est calidus; ignis est non aqua. Hic *ignis* est antecedens, *urit* consequens.

Atque hic est prima inventarum rerum dispositio, causa cum effecto, ut in primo exemplo; subjecti cum adjuncto, ut in secundo; dissentanei cum dissentaneo, ut in tertio.

*Quo modo argumenta qualibet inter se affecta enuntiari possunt, consentanea quidem affirmando, dissentanea negando.* Exceptis plenis comparisonibus, in quibus duo planè distincta axiomata sunt, propositio, & redditio. Nam distributiones, quas etiam excipit Ramus, ut, Argumentum est artificiale aut inartificiale, axiomate simplici enuntiari possunt, ut infra docetur: possunt & diversa, quæ excipiunt alii, si sic enuntias. Aliquis facundus non est formosus: & contraria; ut, virtus non est vitium, &c.

*Axioma simplex est generale aut speciale.*

Hæc distributio est simplicis axiomatis ex adjuncta quantitate, quæ modos, non species constituit. In axiome autem composito, quantitatis nulla ratio habetur, sed tantum vinculi, ut infra dicemus.

*Axioma generale est, quando commune consequens attribuitur generaliter communi antecedenti.*

Vulgò etiam vocatur *universale*. Generaliter autem consequens antecedenti attribuitur, quando omni totique five universo antecedenti attribuitur, omnibusque iis, quæ sub ejus significatione continentur. Ad axioma *unum* generale, tria hæc requiruntur; consequens, & antecedens generale, & generalis attributio. Neque enim ex nota five signo universali definiendum fuit axioma generale; cum & sapissime non adsit nota, & cum adeat, non crasi sed signum tantummodo sit axioma esse generale. Indefinita igitur, quæ vulgò vocant, eti notam non habent generalem, generalia tamen sunt; ut definitiones & reliqua artium præcepta, quæ nemo generalia esse insciabitur; nec nec tam tamen generalem

ralem præfixam habent. Notæ axiomatis generalis tam affirmati quam negati hæ sunt: *omnis, nullus; semper, nunquam; ubique, nusquam, &c.*

Atque hæc contradic̄tio non semper dividit verum & falsum; sed contingentium utraque pars falsa potest esse: ut,

*Omnis in urbe locus bajis prælucet amoenis.*

*Nullus in urbe locus bajis prælucet amoenis.*

Item non contingentium.

Ut, omne animal est rationale; nullum animal est rationale. Hæc enim non contingentia sunt, sed potius absurdia; quia consequens speciale antecedenti generali generaliter attribuitur. Falsa igitur pars utraque generalis contradictionis esse potest, vera esse non potest; falsitas quippe multiplex, veritas una est.

*Axioma speciale est, quando consequens non omni antecedenti attribuitur.*

Speciale dicitur, quia de specie aliqua enuntiatur. Atque ut in generali axiome consequens generaliter, sive omni & universo antecedenti; ita in speciali specialiter, sive non omni attribuitur.

*In hoc axiome contradictione semper dividit verum à falso.*

Id est specialis contradictionis pars una semper vera, pars altera semper est falsa.

*Axioma speciale est particularare aut proprium.*

*Particularare, quando consequens commune antecedenti particulariter attribuitur.*

Ex axioma speciale quia de specie aliqua, licet ea quidem incerta & indefinita, enuntiatur: particulariter autem consequens attribuitur, quando non universo antecedenti, sed ejus alicui parti attribuitur. Attributionis autem particularis notæ sive signa sunt, *quidam, aliquis, aliquando, alicubi;* & negationes generalium, *nonnulli, nonnunquam, non semper, non omnis, &c.* quæ particulari æquipollent. Commune autem consequens debet esse; ex illa regula, Consequens nunquam minus est antecedente, sed semper vel majus eo vel saltus aequale. Unde Aristoteles, prior. I. 28. negat singulare de alio praedicari.

Sequitur nunc contradictione particularium.

*Huic autem axiomi generaliter contradic̄t.*

*Aliquid ignoscendum est; nihil ignoscendum est: aliqua clementia non est laudanda; omnis clementia est laudanda.* Hæc particulari affirmato, generale negatum; & particulari negato, generale affirmatum opponitur. Quodsi utraque pars particularis est, non modo nulla est axiomati contradictione, sed ne oppositio quidem. Ut, Quidam homo est doctus, quidam homo non est doctus. Non enim eidem subjecto attribuuntur, quæ lex est oppositorum. Pars igitur utraque vera esse potest; sicuti etiam cum utraque affirmata est vel negata: ut, *Omnis homo est rationalis, quidam homo est rationalis: nullus homo est irrationalis, quidam homo non est irrationalis.* In his non modo contradictione nulla, sed consensio summa est, generis nempe & speciei.

*Axioma proprium (quod alii singulare vocant) est, quando consequens antecedenti proprio attribuitur.* Antecedens autem Logicè proprium dicitur quando rem vel personam singularem designat; sive proprio nomine exprimatur, sive non: qualia sunt etiam demonstrativa; ut, *hic homo.* Secundò, quæ per synecdochen generis dicuntur; ut Poëta pro Homero aut Virgilio, Philosophus pro Aristotele aut Platone & similia. Ad consequens autem hujus axiomatis quod attinet, id vel commune esse potest vel proprium.

Proprii contradictione est quando utraque pars est propria: in quo discrepat à particulari, cuius pars altera duntaxat particularis esse debet; consentit cum generali, cuius pars utraque generalis; ut, *Fabulla est bella:* cuius negatio & contradictione est, *Fabulla non est bella.* Atque hæc de axiome simplici.

## A P P E N D I X

**A**D hanc axiomatis simplicis affectiones addunt Aristotelici æquipollentiam & conversionem.

Æquipollentia definitur, enuntiationum verbis discrepantium convenientia re atque sensu: sic *aliquis homo est doctus, &c, non omnis homo est doctus,* idem valent, & similis, ut supra in notis est dictum. Æquipollentia itaque cum in verbis duntaxat, non in rebus, polita sit, ad Grammaticam vel ad Rheticam & verborum copiam remittenda est.

Conversio est prædicati unius enuntiationis in locum subjecti transpositio ad probandam alteram enuntiationem, quæ ex ea transpositione sive conversione efficitur. Ea triplices affertur; simplex, per accidens, & per contrapositionem. Simplex, quæ fit manente eadem enuntiationis & quantitate & qualitate: fitque etiam tripliciter; in universalis negante; ut, *nullus homo est lapis*, ergo *nullus lapis est homo*: in particulari affirmante; ut, *aliquis homo est albus*, ergo *aliquid album est homo*: in affirmante denique universalis & necessaria; ut, *omnis homo est risibilis*, ergo *omne risibile est homo*. Et hæc est una omnium conversionum verissima, quæ & reciprocatio dicitur, proprii scilicet cum suo subjecto, definiti cum sua definitione.

Conversio per accidens mutat enuntiationis quantitatem; universalis scilicet affirmantem in particularem: ut, *omnis homo est animal*, ergo *quoddam animal est homo*. Per accidens hanc dici volunt, quia aliud prius sequitur, nempe, *quidam homo est animal*, ex quo hoc deinde, simplici conversione, *ergo quoddam animal est homo*.

Conversio per contrapositionem mutat enuntiationis qualitatem; universalis scilicet affirmantem in negantem: vel, in qua loco subjecti & prædicati, ponitur utriusque conversi contradic̄tio: ut, *omnis homo est rationalis*; ergo *quodcunque non est rationale, non est homo*: *omne mortale est genitum*; ergo *quod non est genitum, non est mortale*; vel, *quod est non genitum, est non mortale*: *admittendi ad sacramenta, habent paenitentiam & fidem*; ergo *qui haec non habent, non sunt admittendi*. Tres hosce modos conversionum ex Aristot. petunt: duos priores ex 1. Prior. c. 2. tertium ex 2. Top. c. 1. syllogisticae reductionis gratia, cuius inutiliter infra ostendetur, ab ipso inventos.

Conversione autem hac ne decipiāmur fortè, neque enim fidissima est, cautiones quædam adhiberi solent: prima, ne termini sint figurati; ut, *panis est corpus Christi*. Secunda, ne quid mutiletur; ut, *quidam cernit cæcum*, ergo *cæcū cernit quendam*: totum enim prædicatum non est *cæcum*, sed *cernit cæcum*; ut etiam in hac; *omnis senex fuit puer*, ergo *quidem puer fuit senex*; non enim *puer*, sed *fuit puer* totum prædicatum est; convertendum ergo, *quidam qui fuit puer, est senex*. Tertia, ut casus obliqui à conversione facti, reddantur recti; ut, *aliqua arbor est in agro*; ergo *aliquid quod est in agro, est arbor*, non sic, *ergo aliquis ager est in arbore*.

Sed, omissis istis cautionibus, expeditior via est, conversionem omnem si dubia sit, tanquam sophisma petitionis principii rejicere; ut quæ sine medio termino probare rem dubiam conetur: de quo sophismate infra monebimus.

## C A P . V.

### *De Axiomate copulato.*

**A**xioma compositum est quod vinculo conjunctionis continetur. Hoc genus axiomatis Aristoteles totum prætermisit. Vulgo propositione hypothetica vocatur; i. e. conditionalis; angustè nimis; cum ea vox compositis non omnibus conveniat, ut suo loco patebit. Compositum autem dicitur, quia sententia est multiplex, quæ in plures resolvi simplices potest: nec tamen dicendum est, ex simplicib. axiomatis componi, sed ex argumentis, quæ conjunctionis vinculo composita, multiplicem sententiam efficiunt: idcirco autem axioma componitur, quia argumenta in eo conjuncta consentiunt & compositionem appetunt. Nulla autem hīc ratio habetur quantitatis, generale sit an speciale, sed tantum compositionis. Ut autem verbum fuit vinculum simplicis, ita conjunctione est axiomatis compositi, ejusque proinde forma & quasi anima est.

Itaque à conjunctione affirmata vel negata, affirmatur vel negatur. Conjunctione non negata, negatum axioma non erit, etiam si partes omnes erunt negatae.

Contradic̄tionisque pars vera est, pars falsa. De qua vulgus Logicorum filet.

Enunciatum compositum est pro sua conjunctione congregativum aut segregativum.

*Congregativum est cuius partes tanquam simul veræ, conjunctione sui congregantur.* Conjunctione videlicet non solum illa Grammatica verum etiam sententiarum quavis relatione. Cùm autem relatio ista, sive Grammatica sive Logica, multiplex sit, essentiæ, consequentiæ sive causæ, quantitatis, qualitatis, temporis, loci, relatio quidem essentiæ (cujus notæ sunt *is qui, id quod*) & loci (cujus notæ sunt *ubi, ibi*) ad simplicia axiomata referenda est; de reliquis suo loco.

*Congregativum enuntiat omnia consentanea affirmando, omnia dissentanea negando.* Hoc est, si unum consentaneorum subjecto attribuatur, alterum quoque attribuitur; & contrà, uno negato, alterum negatur: si unum dissentaneorum de subjecto affirmatur, alterum negatur; & contrà. Ita semper consentanea simul hinc affirmando vel negandæ sunt, dissentanea non simul.

*Congregativum verò est copulatum aut connexum.* *Copulatum, cuius conjunctione est copulativa.* Ut Æneid. I.

*Una Eurisque Notisque ruunt, crebérque procellis  
Africus.*

Hic igitur negatio erit & contradictione, negatæ conjunctione; non unà Eurisque Notisque ruunt, &c. *Socrates & doctus erat & formosus: Socrates non & doctus erat & formosus.* Quòd si hoc modo negaretur, *Socrates nec doctus erat nec formosus* (qui modus contradictionis est adhibendus cùm omnes partes sunt falsæ) contradictione non esset axiomatica; non enim vinculum negaretur, sed partes: copulatio enim significat utrumque simul verum esset, ejus negatio non utrumque; at hæc negatio neutrum: ac si dictum esse, *Socrates & non doctus & non formosus erat*: deinde, in axiomate compescito contradictionis pars una vera, altera est falsa; hic autem utraque: hoc ergo axioma, *Socrates nec doctus erat nec formosus*, est potius axioma copulatum affirmatum, cujus partes negantur. Copulati autem negatio per axioma etiam discretum fieri potest, cùm partes non omnes falsæ sunt; ut infra intelligitur. Conjunctione denique hinc saepe non adest, sed intelligitur.

Verum autem enuntiati copulati judicium pendet ex omnium partium veritate; falsum, ex una saltem parte falsa. Hoc est axioma copulatum judicatur esse verum, si omnes partes simul veræ sunt; falsum, si vel una pars erit falsa. Idem tradit Gellius, l. 16. c. 8. In copulato enim axiomate, verias omnium partium spectatur, quia partes omnes absolute enuntiantur tanquam simul veræ.

*Huic generi affine est enuntiatum relata qualitatis, cuius conjunctione Logica potius est quam Grammatica, nempe ipsa relatio.*

Relata autem qualitas est plena similitudo: ut notæ ipsæ testantur; *qualis, talis, quemadmodum, sic.* Eclog. 3.

*Tale tuum carmen nobis, divine poëta,  
Quale sopor fessis in gramine.—*

Hic copulatum judicium est tanquam diceretur; Sopor est fessis gratus, & sic tuum carmen nobis gratum est: cuius negatio, Non tale tuum carmen, quale sopor, &c.

Ad hunc etiam locum pertinet relatio quantitatis in plenis comparationibus: quarum notæ sunt, cùm à pari, *idem quod, tam quam, tanto quanto, tot quot*, eò quòd; cùm à majori, *non solum, sed etiam*; tum à minori, *non modo non, sed ne* (quæ nota est copulati axiomatis affirmati, cujus partes negantur) cùm tum. Relatio autem hæc & qualitatis & quantitatis, si hypotheticè non absolute enuntiatur, ad connexum potius referenda est.

Relationes autem loci ad axioma simplex rectius referuntur, ut supra est dictum. Neque enim in hujusmodi exemplo, *ubi amici ibi opes*, est copulatum judicium, sed simplex & quidem generale; scilicet, omnem divitem amicos habere.

## C A P. VI.

## De Axiomate connexo.

**A**xiomate connexum est congregativum, cuius conjunctio est connexiva.  
Ut, si, nisi affirmativa. Idem enim valet nisi, quod si non: quo non totum axioma, sed antecedens tantum negatur: ut *Aeneid.* 2.

— — — Si miserum fortuna Sinonem  
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Cujus negatio est, negata conjunctione, Non si miserum fortuna Sinonem finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Conjunctio etiam hec interdum negatur apertius, negando consequentiam. Ut, non continuo, non illico, non idcirco, non ideo: his enim formulis non consequens axiomatis, id n. contradictionem non efficeret, sed ipsa partium consequentia quæ Logica conjunctio est apertius negatur: ut pro Amer. Non continuo, si me in sicariorum gregem contuli, sicarius sum. De Fato: Nec si omne enuntiatum verum est aut falsum, sequitur illico causas esse immutabiles.

Affirmatio enim significat, si sit antecedens, etiam consequens esse. Negatio itaque & contradictione statuit, si sit antecedens, non ideo consequens esse.

Potest & connexo per axioma discretum contradicere: ut, quamvis omne enuntiatum sit verum aut falsum, non tamen causæ sunt immutabiles; quod sequente capite liquebit.

Sed cum judicabis connexum absolute, i. e. per se suaque natura verum esse, necessarium quoque judicabis: & intelliges hanc necessitatem ex necessaria partium connexione oriri, que ipsa potest esse vel in falsis partibus.

Ut, si homo est leo, est etiam quadrupes, necessarium connexum est; quia argumentorum, quæ hic connectuntur, leonis scilicet & quadrupedis, connexio est necessaria, speciei scilicet cum genere. Unde efficitur axioma generaliter verum ac proinde necessarium; omnis leo est quadrupes: quod in connexo indicium est absolutæ veritatis. Sic, si Socrates est homo, est etiam animal, absolutè verum est & necessarium, quia omnis homo est animal: hujusque connexi consequens falsum esse non potest, nisi antecedens quoque falsum sit, quod aliud signum est absolutæ veritatis.

Quod si consequens falsum fuerit, falsum item est antecedens. Si illud, hoc: si non hoc, ne illud quidem. Atque ita, ut jam demonstravimus. si connexio absolute vera est, erit quoque necessaria: sive ex conditione & pacto, sive quo connexum per se suaque natura verum non esset, erit tantummodo contingens.

Quod si connexio sit contingens, & pro sua tantum probabilitate ponatur, judicium ejus tantum opinio fuerit.

Ut Terent. Andr.

Pamphile, si id facis, hodie postremum me vides.

Hoc est, si Philumenum uxorem ducis, ego hodie moriar: quod nemo sequi existimaverit, nisi hoc posito, Charinum, qui hoc dicit, Philumenam perditissime amare. Per se enim nulla est connexionis necessitas inter nuptias Pamphili & interitum Charini. Qui autem ex amoris vehementia sic existimabit, ejus judicium non erit scientia, sed opinio.

Ut autem judicare possimus, quæ connexio sit absolutè vera, quæ non, spectanda argumenta sunt, quæ in axiomate connectuntur, consentiant inter se nec ne, & quæ modo. Ut si dies est, lux est, connexum est necessarium, quia dies sive sol ortus est causa lucis. Si dies est, Dio ambnat, connexum est falso aut contingens; quia nulla est affectio absolute consentanea inter diem & Dionem.

Connexo axiomati affinis est ista consequentia relatio: quæ à nonnullis, relatio causæ dicitur; & axioma efficit, quod Stoici causale nominant; Laert. in Zenone: quia nempe antecedens est causa consequentis, adeoque vinculum ejus conjunctio causalis cum, quia, quoniam; quibus respondet ideo vel etiam: ut, cum Tullius sit orator, est etiam peritus boni dicendi. Quanquam autem relata ista connexis affinia sunt, non nihil tamen discrepant: in antecedente enim connexi quedam conditio est, in hoc relato nulla: connexum potest ex falsis partibus verum esse, relatum hoc

hoc sive causale non potest esse verum, nisi antecedens verum fuerit: ut, quia dies est, solum supra horizontem.

Affinis est & relatio temporis axiomati connexo, ut ait ipse Ramus infra c. 13.

Relatio autem temporis has habet notas, tum cum, donec dum, quandin tandem: ut apud Ovid. in epist.

*Cum Paris Oenone poterit spirare relicta  
Ad fontem Xanthi versa recurret aqua.*

Sic, Donec eris felix, multos numerabis amicos.

Potest etiam connexum enuntiari sine ulla modò relationis, verum etiam connexionis nota: ut, posita causa, ponitur effectum. Fac hoc, & vives. Ovid. in epist. sume fidem & pharetrum, fies manifestus Apolio. Nonnunquam etiam duob. negativis: Cic. pro Milone, non hoc fragile corpus humanum mente regitur, & non regitur mente universum mundi corpus.

## C A P. VII.

### De Axiomate discreto.

**A**xioma segregativum est, cuius conjunctio est segregativa. Ideoque argumenta dissentanea enuntiat.

Enuntiatum segregativum est discretum aut disjunctum.

Discretum, cuius conjunctio est discretiva. Discretum dicitur, quod conjunctio illa segregativa discernuntur & segregantur, ea potissimum quae leviter & ratione tantum dissentient.

Itaque è dissentaneis præcipue diversa enuntiat.

Præcipue, quia diversorum notar, non hoc, sed illud, ut superiore libro dictum est, in diversis nonnunquam solent oppositis inservire. Ut autem diversorum ita etiam discreti axiomatis doctrina distinctionib. duntaxat, non conclusionibus, idonea est; & à reliquis propterea Dialeticis, qui omnia ad syllogismum referunt, omissa. Sed rationis usus quicunque in Logica prætermittendus non erat. Exempli gratia: Tuscul. 5. Quanquam sensu corporis judicentur, ad animum referri tamen. Cujus negatio & contradic̄tio est, non quanquam corporis sensu judicentur, tamen ad animum referri: vel, quanquam sensu corporis judicentur, non tamen ad animum referri. Nam tamen est hic conjunctio præcipua. Quemadmodum autem copulati & connexi axiomatis negatio & contradic̄tio discretum esse potest, ita vicissim copulatum vel connexum discreti: ut, quanquam culpa vacat, non tamen suspicione caret: cuius per copulatum contradic̄tio est, & culpa vacat, & suspicione caret; vel per connexum, si culpa vacat, etiam suspicione caret.

Discretum enuntiatum judicatur esse verum & legitimum, si partes non solum vere, sed etiam discretæ sint; falsum vel ridiculum contra.

Ut, quanquam Ulysses formosus erat, tamen non erat infacundus, falsum est, quia antecedens est falsum. Sed si consequens modò verum est, axioma verum erit, etiam si antecedens verum esse tantummodo concedatur. Hoc autem, quinquam Menelaus formosus erat, tamen erat facundus, non est discretum, sed ne segregativum quidem: omnis enim segregativi axiomatis partes tanquam non simul veræ segregantur, hic verò tanquam simul veræ congregantur. Quanquam Ulysses facundus erat, non tamen erat indisertus, est ridiculum, quia partes non sunt discretæ sed oppositæ.

## C A P. VIII.

### De Axiomate disjuncto.

**A**xioma disjunctum est axioma segregativum, cuius conjunctio est disjunctiva.

Ut, aut dies est, aut nox est. Aut vera est hæc enunciatio aut falsa. Nam ut ex Cicerone citatur hoc exemplum, omnis enunciatio vera est aut falsa, videtur esse distributio potius quam disjunctio. Distributio autem quatenus de toto dividit partes enuntiantur, axioma simplex & generale est, adeoque non compositum

tum necum disjunctum. Neque enim distributionis partes, quamvis inter se oppositae, oppositionem vel disjunctionem ullam faciunt, sed eidem toti subjiciuntur, & in ejusdem simplicis axiomatis consequente verbi vinculo cum toto, quod antecedens est, consentiunt; at extra distributionem, ubi non de toto, sed de aliqua eis parte vel specie enuntiantur, tum deinde axioma disjunctum efficiunt; ut, quod supra posuimus, *hac enuntiatio aut vera est aut falsa.*

*Hic significatur è disjunctis unicum verum esse.*

Nempe quia opposita hic sola disponi debent. Atque id semper à differente significatur, iametsi aliquando accidit, ut disjunctorum vel plura uno, vel nullum omnino verum sit. Negatio igitur & contradictione erit, non aut dies aut nox est.

*Et contradictione significatur, non necessario alterutrum verum esse.*

*Nam si disjunctio absolute vera est, est etiam necessaria; partesque disjunctae sunt oppositis sine ullo medio. De quibus vide superioris libri caput de contradictoribus.*

*Veruntamen quamvis absolute vera disjunctio, necessaria quoque sit; tamen nihil necessere est partes separatim necessarias esse.*

Ut, cras aut pluet aut non pluet, disjunctio est necessaria, quia ex contradicentibus constat, quae sunt contraria sine medio: & tamen, cras pluet & cras non pluet, utrumque contingens axioma est. Sic, homo aut bonus est aut non bonus, &c.

*Nam disjunctionis necessitas pendet è necessaria partium oppositione & disjunctione, non ex earum necessaria veritate.*

Hinc argumentum illud dissolvitur Chrysippi Stoici aliorūque veterum, apud Ciceronem de Fato; quo probare suat conati, futura omnia esse necessaria & quasi fatalia, eo quod necessarie sit ea aut vera esse aut falsa. Disjunctio quidem, ut diximus, necessaria est; pars tamen disjunctionis alterutra talis erit, qualis causa ejus est; sive necessaria, sive contingens, i. e. vel libera vel fortuita.

Atque hæc de necessaria disjunctione, cuius judicium scientia est.

*Disjunctio autem saxe est ex conditione.*

*Vt si queratur utrum Cleon venerit an Socrates, quia ita pactum sit alterutrum tantum venturum esse.*

*Itaque si disjunctio sit contingens (contingens autem est, si partes medium habent) non est absolute vera, sed tantum opinabilis.*

Qualis est frequenter in hominum usu. Ut Cæsar ad matrem: *hodie me aut pontificem videbis, aut exulam.* Ovid. in epistola Leandri.

*Aut mihi continget felix audacia salvo,  
Aut mors solliciti finis amoris erit.*

## C A P. IX.

### De Syllogismo & ejus partibus.

**A**TQUE ejusmodi dispositio est axiomatica sive noëtica axiomatis per se manifesti: sequitur dianoëtica.

*Dianoëtica est cùm aliud axioma ex alio deducitur.*

Vox Græca διένοια, mentis & rationis discursum significat; qui tum sit maximè cùm sententia alia ex alia ratiocinando deducitur.

*Dispositio dianoëtica est syllogismus aut methodus.*

*Syllogismus est dispositio dianoëtica qua questio cum arguento ita disponitur, ut posito antecedente, necessario concludatur.*

Est dianoia: est ergo discursus mentis ac rationis quo aliud ex alio ratiocinando colligitur: eam ratiocinantis quasi collectionem vox ipsa syllogismi significat: quæ quidem collectio sive deductio ab intellectu humani imbecillitate profecta est: quæ cùm rerum veritatem & falsitatem primo intuitu perspicere in axiome non potest, ad syllogismum se consert, in quo de consequentia & inconsequentia earum judicare possit.

*Cum itaque axioma dubium est, questio efficitur, & ad ejus fidem tertio arguento est opus cum questione collocato.*

Questionis partes vulgo termini appellantur; & antecedens quidem minor terminus, consequens major terminus dicitur; quia antecedente latius serè est consequens. Tertium autem argumentum ab Aristot. medium & medius terminus dicitur.

dicitur. Non quo semper medius inter duos quæstionis terminos in syllogismo collocetur, sed eò quòd quasi arbiter de consensu eorum inter se aut dissensu, discepit & judicat. Atque hæc sunt tria illa argumenta, ex quibus solis omnis syllogismus conficitur ; duo scilicet quæstionis, & tertium argumentum ; quæ vulgò tres termini dicuntur. Termini autem isti non semper simplices sunt voces, sed orationes nonnunquam longiusculæ ; nec semper casibus rectis, sed obliquis interdum efferuntur.

*Partes syllogismi duas sunt ; antecedens & consequens. Antecedens syllogismi pars est, in qua quæstio cum argumeto disponitur.*

*Syllogismi antecedens partes duas habet, propositionem & assumptionem : quæ vulgò præmissæ nominantur.*

*Propositio est prior pars antecedentis, quæ quæstionis saltem consequens cum argumeto disponitur.*

*Saltem ; quia nonnunquam tota quæstio cum argumeto in propositione disponitur, ut infra patebit.*

Propositio vulgò *major* dicitur ; vel quia majorem vim habet (est enim argumentationis quasi basis & fundamentum) vel quia major terminus, i. e. consequens quæstionis in propositione collocatur.

*Assumptio est secunda pars antecedentis, quæ assumitur è propositione.*

Assumitur enim inde vel tertium argumentum vel tota assumptio, ut infra perspicietur. Hinc itaque argumentum tertium, sive medius terminus, dignoscitur, quòd bis ponitur ante conclusionem. Assumptio vulgo *minor propositio* dicitur, vel quia minorem vim obtinet, ex propositione videlicet deductam ; vel quia minor terminus, i. e. antecedens quæstionis, in ea sæpe disponi soleat, non semper, ut infra intelligemus.

*Syllogismi autem pars consequens est, quæ complectitur partes quæstionis, eamque concludit. Unde complexio & conclusio dicitur.*

Hinc sequitur, conclusionem & verbis & terminorum ordine, eandem planè esse cum proposita quæstione oportere ; alioqui syllogismi fidem claudicare, & quasi depositum non reddere. Secundo hinc intelligitur illa regula, *tertium argumentum sive medius terminus nunquam ingreditur conclusionem.* Ratio est, quia medium non est id quòd concluditur, neque de quo quicquam ; sed id, quo adhibito, quæstio concluditur, vel duo ejus termini inter se consentire aut dissentire judicantur. Medius itaque terminus aut ulla pars ejus in conclusione si sit, syllogismum vitiosum facit ; id facillime deprehenditur, si non solum quæstio proposita, sed præterea aliquid quod bis erat in præmissis repetitum, conclusionem intrat.

Cùm autem in omni syllogismo, ut ex ejus definitione constat, quæstio cum argumeto ita disponatur, ut posito antecedente, i. e. concessis præmissis, necessariò concludatur : quæ necessitas non consequentis, sed consequentiæ, non materiae, sed formæ est, hinc intelligitur, nullam in syllogismi forma differentiam esse contingentis & necessarii, sed syllogismum omnem necessario concludere, teste etiam *Aristot.* Prior. I. 33. eamque necessitatem ex legitima dispositione quæstionis cum tertio argumeto, non ex necessaria partium in antecedente dispositarum veritate pendere. Unde & illi redarguuntur, qui vulgò dividunt syllogismum in dialecticum & apodicticum, probabilem scilicet & demonstrativum, sive necessarium, cùm & illa distinzione axiomatum sit, & syllogismi consequentia tam in contingentibus, immo in falso necessaria sit, quam in verò & necessario ; immo ex falsis præmissis conclusio nunc vera nunc falsa necessariò sequatur : ut, *omnis leo est quadrupes : Socrates est leo ; ergo Socrates est quadrupes.* In quo simile quiddam habet syllogismus axiomati connexo, & fortasse originem ab eo dicit : nam ut connexum necessarium esse potest ex falsis partibus, modò ipsa connexio sit vera ; ut, *si leo est quadrupes, & Socrates leo, Socrates necessario est quadrupes* ; sic syllogismus necessariò concludit ex veris quidem partibus nil nisi verum, ex falsis & falso & verum, modò ipsa dispositio sit legitima.

Quòd autem Aristotelici syllogismum dividunt in verum & falso sive apparentem ; verum, cuius materia vera est ; in dialecticum sive probabilem, cuius materia contingens est ; & apodicticum sive demonstrativum ac necessarium, eumque vel perfectum, quæ vocatur *διότι* sive à priori, quo accidens de subjecto per causam vel efficientem vel finalem positam quidem affirmatur, remotam verò negatur ; & in imperfectum quæ vocatur *τούτο διότι* sive à posteriori, quo accidens

cidens de subiecto per effectum probatur; hæc quidem divisio, qualisunque est, cùm axiomatis propria sit, & vel ad formam syllogismi ut in dialektico & apodictico, vel omnino ad artem, ut in falso sive sophistico, nihil pertineat, melius rejicitur.

*APPENDIX de Parologismis qui hac generali doctrina syllogismi redarguntur.*

**A**Tque hæc syllogismi doctrina generalis fuit. Et rectum quidem index est sui & obliqui, & veritatis doctrina rectè tradita, errorem omnem ipsa per se indicat atque etiam redarguit. Verùm cùm non sit ea cujusque hominis perspicacia aut ingenii felicitas, ut vel omnes technas adversarii animadvertere ex ipsis regulis, vel omnes artis regulas memoria tenere semper queat, alienum non erit de præcipuis captionibus quæ committere in hanc generalem syllogismi doctrinam solent, seorsim hic aliquid monere.

Cùm itaque syllogismi doct: ina generali doceamus, tria dontaxat argumenta sive tres terminos in syllogismo disponi oportere, hinc facile perspicuum est, peccare omnem syllogismum in hanc doctrinam generalem, in quo termini vel plures termini disponantur, vel pauciores: termini autem non tam sunt verba, quæ verborum sensus & significationes.

Peccatur autem terminis pluribus, vel apertius vel tectius. Apertius (ut puerilia de accentu, figurâ dictionis, plurium, quæ dicitur interrogationum, & similia omittam) cùm tres termini distinctè numerantur in propositione: ut, *qui est bonus & dialecticus, is est bonus dialecticus*; *Cleanthes est bonus & dialecticus*; *ergo, est bonus dialecticus*. Hæc fallacia compositionis dicitur; quia divisa male componit. Contra; *qui est bonus dialecticus, is est bonus & dialecticus*; *Cleanthes, &c.* Hæc fallacia est divisionis; quia composita male dividit; vel quia composita proponit, divisa concludit. Idem committitur etiam sine conjunctione: ut, *bonus citharædus est bonus*; *Nero est bonus citharædus*; *ergo, bonus*. Bonus duplice significacione cum citharædo disponitur, in propositione; quatuor ergo termini. Sic etiam cùm non iisdem verbis aliud planè proponitur, aliud assumitur: ut, *dextera Dei est ubique*; *humanitas Christi sedet ad dextram Dei*; *ergo, humanitas Christi est ubique*.

Tectius verò peccatur, vel *homonymia*, vel *amphibolia*.

*Homonymia* sive æquivocatio est, primò, cum simplicis vocis seu termini unius, significatio duplex ponitur: ut, *leo est bestia*; *leo est Papa*; *ergo, Papa est bestia*. Secundò, cùm argumentum in una parte propriè, in altera tropicè ponitur; vel in una parte pro re ipsa, in altera pro artificiali aliqua notione rei. Hujusmodi sunt artium vocabula: ut, *potens est participium*; *rex est potens*; *ergo, rex est participium*. *Animal est genus*; *homo est animal*; *ergo, homo est genus*.

*Amphibolia* sive ambiguitas vel in syntaxis est, vel in ipsa re. In syntaxis; ut, *pecunia quæ est Cæsaris, possidetur à Cæsare*; *hæc pecunia est Cæsaris*; *ergo, possidetur à Cæsare*. Ambiguitas in ipsa re, quæ & *prava expositio* vocatur, fit, cùm affectio rei non eadem assumitur quæ proponitur; mutata autem affectione, mutatur argumentum; ut, *quas carnes emisti, comedisti*; *crudas emisti*; *ergo, crudas comedisti*. Hic propositio & de carnibus & de substantia carnium loquitur; assumptio, de qualitate earum: dicendum ergo erat, *quales carnes emisti*, &c. Eadem est fallacia cum id quod in abstracto, quod aiunt, proponitur, in concreto assumitur: ut, *candidum est disaggregativum visus*: *paries est candidus*; *ergo, paries est disaggregativum visus*. Etiam cùm in ipsa copula quartus terminus later: ut, *fortitudo non est clementia*; *principis est fortitudo*; *ergo, principis non est clementia*. Hic verbum est in majore esse, in minore habere significat; casuūmque mutationem rectorum in obliquos inducit; qui quatuor esse terminos declarant. *Nullus puer diu vixit*; *Nestor fuit puer*; *ergo, Nestor non diu vixit*. Hic major de eo qui est, minor de eo qui fuit puer loquitur; qui duo termini sunt. Quatuor denique sunt termini cùm plus est in conclusione quæm in præmissis.

Pauciores autem termini sunt ternis, cùm tertium argumentum deest. Hoc fit quoties vel idem sensu vel æque obscurum pro argumento sumitur; (idem enim non est tertium; æque obscurum non est argumentum) quæ *petitio principii*, vel, ejus quod erat in principio nominatur; quia postulatur ipsa quætitio ut

gratis, i. e. sine argumento concedatur: ut, *ensis est acutus; gladius est exs;* ergo, *gladius est acutus.* Vel, quod omnis homo est, id singuli homines sunt; omnis homo est justus; ergo, singuli homines sunt justi. Huc reter jaetatum illud, Quæ non amisisti habes, cornua non amisisti, ergo cornua habes. Habere & amittere privantia sunt & quidem sine medio quatenus talia, ergo non amittere & habere sunt idem, nullus itaque hic est medius terminus, sed perinde ac si diceres; Quæ habes, habes, cornua habes, ergo habes. Hujus generis est, cum tertium argumentum non integrum è propositione assumitur: ut, *omnes apostoli sunt duodecim; Petrus & Joannes sunt apostoli; ergo, Petrus & Joannes sunt duodecim.* Hic omnes collective sumptum, pars est tertii argumenti, quod totum erat in assumptione assumendum. Ad hoc sophisma referenda sunt denique omnes conversiones enuntiationum; quoties rem dubiam non arguento sive medio termino, sed conversione sola probare contendunt: de qua suprà monuimus. Atque his serè modis in formam syllogismi generalem peccatur.

Materia syllogismi vitiola est, quoties antecedentis pars vel altera vel utraque est falsa: id sit tot modis, quo sunt argumentorum genera. Quorum cum veritas tum falsitas quanquam in axiomate judicatur, propterea tamen quod argumenta ipsa in syllogismo disponuntur, qui modi præcipue nominantur à Dialecticis vel materia solo, vel partim materia, partim forma vitiosi, eos hic breviter attingemus.

Primus est materiæ solius; diciturque *non causa ut causa.* Cause autem nomen hic usurpatum pro quovis arguento, etiam non effecti ut effecti, non subjecti ut subjecti, & sic deinceps. Hanc captionem singulorum argumentorum definitiones facile refellunt.

Secundus est quæ vocatur fallacia *accidentis*, sive, quod idem est, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: vel contrà, à dicto simpliciter ad dictum secundum quid; quoties id quod adjuncti est, subiecto attribuitur; aut contrà quod subiecti, adjuncto: ut, *qua non restituenda sunt domino furioso, non restituenda sunt domino; arma non restituenda sunt domino furioso; ergo, non domino:* vel contra: *qua restituenda sunt domino, etiam domino furioso; arma domino; ergo, domino furioso.* In his propositio semper falsa est.

Tertius est ignoratio elenchi; (elenchus autem est redargutio quælibet sive vera sive falsa) cum leges oppositionis non observantur eidem numero, secundum idem, ad idem, & eodem tempore: ut *caci* vident; qui carent visu, sunt *caci;* ergo, qui carent visu, vident. Propositio distinguenda est; nempe, qui fuerunt cæci, nunc vident. Sic; *is qui non videt, cacus est; dormiens non videt; est ergo cacus.* Ad idem non est: propositio enim de potentia, assumptio de actu videnti loquitur; vel quatuor sunt termini, & prava expositio dici potest. Aliis ignoratio elenchi est, cum vel planè mutatur & torquetur status controvertiarum, vel conclusio adversarii non directè opponitur nostræ thesi secundum canones legitimæ oppositionis.

Quartus est fallacia *consequentis*, sive comparatorium, quæ è contrariis quidem sunt orta, sed parium collatione tractata, cum disputatur contraria esse contrariorum consequentia: quam regulam esse fallacem, l. i. c. 18. copiose ostenditur: ut, *qua eidem aequalia, inter se aequalia; ergo qua eidem sunt inaequalia, inter se sunt inaequalia.* Ut, 2. et 2. sunt inaequales ad 5; ergo sunt inter se inaequales. Duo latera quadrati symmetra non sunt diagono; ergo non sunt inter se.

## C A P . X.

## De Syllogismo simplici contracto.

**S**yllogismus est simplex aut compositus.

Simplex, ubi pars consequens questionis disponitur in propositione, pars antecedens in assumptione.

Ut syllogismi forma generalis erat dispositio questionis cum arguento, ita specialis quæque dispositio questionis cum arguento cuiusque speciei forma est. Ex. gr. *homo est animal: Socrates est homo; ergo Socrates est animal.* Hinc facile perspicitur, si questionis terminus major non disponatur in propositione majore, minor in minore, syllogismus non esse legitimum. Quod si aliquando usum venit, ut antecedens questionis in propositione & consequens in assumptione disponi

disponi videatur, intelligere debemus syllogismi partes inverti: ut, *Socrates est homo: homo est animal; ergo Socrates est animal.*

Sequitur jam syllogismi simplicis distinctio in adjunctos modos, qui ex partium, i. e. axiomatum affectione oriuntur.

*Syllogismus simplex est affirmatus è partib. omnib. affirmatis. Negatus ex negata antecedentis parte altera cum complexione. Non ex omnib. negatis, ut affirmatus ex omnibus affirmatis; nisi enim argumentum tertium cum altera parte quæstionis consentiat, nihil probat.*

Ut autem syllogismorum tota ratio intelligatur (quod hoc loco fieri commodissimum posse arbitror) sciendum est eam duab. præcipue legibus fundari; altera parium, altera generis ex loco petita. Ex parium loco; quæ conveniunt in uno aliquo tertio, conveniunt inter se; & contrà, quæ non in uno tertio non inter se. Ex loco generis; quod generi generaliter attribuitur, id omnib. etiam attribuitur specibus que sub eo genere continentur. Hæc regula vocatur in scholis, *dictum de omni & nullo.* Illa à Geometris primum sensu præeunte facilius inventa est; & præcipitur Aristot. 1. Prior. c. 1. Ut enim illic norma, si duob. lineis æque-conveniat, eas lineas demonstrat convenire inter se sive esse æquales; eodem planè modo medius terminus si duob. conclusionis terminis conveniat, velut norma demonstrat, convenire duos illos inter se, & contrà. Itaque si quæstio affirmanda est, quærendum est per omnes inventiones locos argumentum quod utriusque parti quæstionis conveniat: si neganda est, quærendum quod uni parti conveniat, ab altera dissentiat; nam si ab utraque parte dissentit, tertium argumentum esse non poterit, nihil n. probabit. Ex. gr. quæritur an *Socrates sit animal?* Si affirmanda est hæc quæstio, ad illa duo argumenta quæ in quæstione sunt, *Socrates & animal*, quærendum aliquod tertium argumentum est, quod cum utraque parte quæstionis consentiat. Eiusmodi autem est *homo*: nam *homo* convenit cum *animali*, ut species cum suo genere; cum *Socrate*, ut genus cum sua specie; ergo *Socrates & animal* convenienter inter se; adeoque *Socrates est animal*. Sin neganda est quæstio, ut, *Socrates non est bestia*, quærendum est argumentum tertium, quod ab altera tantum parte dissentiat. Hujusmodi autem est *homo: homo n. non est bestia*, at *Socrates est homo*; ergo *Socrates non est bestia*. Sin medius cum neutrō quæstionis termino conveniat, neutrius norma esse potest; neque ostendit, inter se convenient, necne; neque de omni dicit neque de nullo; adeoque nec probat quicquam nec refellit. Unde illa regula; *ex utraque premissa negata nihil concluditur: Aristot. 1. prior. c. 24. ut, nullus lapis est animal; nullus homo est lapis, nullus igitur homo est animal.* Excipitur tamen ab hac regula, si medius terminus sit negatus, vel duplex negatio sit in majore: ut, *quod non sentit, non est animal: planta non sentit; ergo planta non est animal.* Hic enim major, quæ videtur esse negata, æquipollit affirmata; eadēmque est acsi diceret, *omne quod sentit est animal: negationēsque istæ topicæ potius & infinitæ, quām axiomaticæ sunt, partiumque negationis non totius axiomatis, hoc potius modo enuntiandi, quod est non sentiens, est non animal: & hoc affirmatum planè axioma est.* Sed hac de re plura dicemus infra cap. 12. ad secundam speciem explicati. Cur autem complexio, negata antecedentis parte altera, negata quoque esse debet, ratio est, trita illa regula, *conclusio sequitur partem debiliorē: negatiūque debilius est affirmato, particulare generali, contingens necessario.* Regulæ autem ratio est, quia conclusio est præmissarum quasi effectum: nullum autem effectum est toto genere dignius aut fortius sua causa. Fallit ergo hic paralogismus: *qui non differt à bruto differt à Sophronisci filio: Socrates non differt à Sophronisci filio; ergo non à bruto.* Hæc conclusio non sequitur, uti debuit, assumptionem negatam, sed propositionem affirmatam: & enim *non differt à bruto* non propositionis totius, sed antecedentis duntaxat ejus est negatio: idemque valet, acsi affirmatum sic esset; *qui idem est cum bruto.* Sequitur autem conclusio sive consequens partem antecedentis negatam non affirmatam, quia si partes conclusionis non consentiunt in arguento tertio, non consentiunt inter se: sequitur partem specialem, non generalem, quia genus concludit speciem, non species genus; juxta illud superius dictum *de omni & nullo.*

*Syllogismus simplex (nimirum qui ex simplicibus axiomatis constat) est vel generalis, vel specialis, vel proprius.*

*Generalis è propositione & assumptione generalibus.*

*Non ex generali etiam conclusione, ut patebit infra.*

*Specialis est ex altera tantum generali.*

Hic

Hic enim regula firmissima quoque est, ex utraque præmissa particulari nihil concluditur. Exi it enim dictum de omni & nullo partem antecedentis unam saltem generalem: nec non in duabus particularibus quatuor sunt termini: cùm enim individua, quæ vocant, *vaga*, particulares propositiones faciunt, sic ut de alio subiecto major, de alio minor ferè loquatur: ut, *quoddam animal est homo: quoddam animal est brutum; ergo quoddam brutum est homo.* *Quidam sunt divites: quidam sunt docti; ergo quidam docti sunt divites.*

*Proprius est ex utraque propria.*

Cur autem ex utraque propria cùm non ex utraque particulari, quia nempe hæc certa sunt & de eodem dicta, illa vaga, *ut supra.*

Hinc liquet, cur ut axioma, ita syllogismus specialis in particularem & proprium dividì non potuerit, cùm syllogismus proprius non sit species syllogismi specialis. Quare autem partes omnes non sint propriæ, i. e. axiomata propria, infra etiam apparebit. Et syllogismus quidem proprius, et si ab Aristotele neglegetus, ab aliis rejectus sit, usum tamen frequentissimum habet.

*Simplex syllogismus est contractus partibus, vel explicatus.*

Aristoteles in tres figuræ dividit syllogismum; primam, secundam, & tertiam. Verum hanc Rami dichotomiam esse commodiorem & naturæ ordini aptius respondere, res ipsa demonstrabit.

*Contractus syllogismus est, cùm exemplum pro argumento ita subjicitur particulari questioni, ut utramque ejus partem antecedere & assumptione affirmatum esse intelligatur.*

Exempli gratia: *quædam confidentia est virtus, ut constantia. Quædam confidentia non est virtus, ut audacia.*

In his, ut cernimus, primò quæstio particularis duntaxat proponitur; generale enim, ut inquit Aristot. pr. I. 6. & 2. 7. in hac specie, quæ tertia nimirum Arist. figura est, concludere non licet: addo etiam, neque proprium; quæ ratio est, cur syllogismus generalis non ex omnibus generalibus & proprium non ex omnibus propriis definitur, cùm in hac specie consequens sive conclusio debat semper esse particularis, etiamsi utraque pars antecedentis generalis aut propria fuerit: unde sequitur, particulares duntaxat quæstiones in hac specie concludi. Deinde exemplum speciale pro argumento subjicitur sive subjungitur, ut *constantia.*

Hujus autem syllogismi dispositio specialis hæc esse intelligitur, si contractum explicamus (tametsi nunquam ferè nisi contractus in usu occurrit) ut exemplum sive argumentum tertium, primò utramque partem quæstionis in præmissis, quod aiunt, antecedat, sive præmissæ utriusque subiectum sit.

*Hic autem argumentum sive exemplum utramque partem quæstionis antecedere intelligitur*, quia quæstionis pars utraque argumento sive exemplo attribuitur, i. e. de eo vel affirmatur vel negatur; perinde quasi explicatè diceretur, *constantiam esse virtutem, & esse confidentiam; ergo quandam confidentiam esse virtutem.* Item, *audaciam non esse virtutem, & tamen esse confidentiam; ideoque quandam confidentiam non esse virtutem.* Exemplum ergo sive argumentum tertium in contracto, et si quæstioni subjicitur, tamen si contractum explicas, & propositionis & assumptionis antecedens sive subiectum esse reperitur. Est autem contractus enthymematis quædam species, quæ, cùm explicatur, in peculiarem quandam syllogismi formam resolvitur, ideoque erat specialiter docenda. Secundò, postulat hujus syllogismi dispositio, ut assumptio semper affirmetur. Cùm enim tertium argumentum speciale exemplum sit, adeoque species antecedentis sive minoris termini quæstionis qui in assumptione semper disponitur, atque ita antecedens sit tertii argumenti genus; necesse est, genus de specie semper affirmari.

*Atque ista expositio quæstionis per exemplum quod subjicitur, principium syllogismi partibus explicati ab Aristot. I. pr. 6. &c. efficitur, tanquam per se pleno syllogismi iudicic clarius & illustrior.*

Prior ergo est ordine syllogismus contractus explicato, cùm quia clarius, tum quia simplicior: est autem ita clarus, ut mens eum, sicuti est contractus, ante percipiat, quædam partibus explicari possit; ideoque usus differendi contracta hac forma contentus, formam explicatam rarissime solet adhibere. Claritas autem ejus eximia vel hinc perspicitur; quod cùm duo duntaxat hujus speciei sint sophismata, eorum inanitatem contracta hujus syllogismi forma facilius detegit quædam explicata, *ut infra ostendetur.*

Ad tollendum itaque dubitationem, non hic supplendæ syllogismi partes, ut in enthymemate, sed contrahendæ; contractum quippe explicato hic est explicato.

catius, & ab judicio syllogismi ad axiomatis clarius judicium h̄c est quasi provocandum & regrediendum.

Quod ad modos attinet hujus speciei, si contractam tantummodo formam spectamus, pluribus non est opus quām duobus; uno affirmato, altero negato: quia non refert, utrum exemplum subalterna sit species an specialissima. Si explicatam hanc speciem spectamus, plures habet modos quām species reliquæ: quatuor autem sunt affirmati, totidem negati; quorum duo sunt generales quatuor speciales, duo proprii: quatuor autem sunt in hac specie speciales modi, cūm in reliquis bini tantum sint; quia in hac specie propositio potest esse vel generalis vel particularis, in reliquis verò nunquam particularis est. Exempla hæc sunt.

Primus modus est affirmatus generalis: ut, *constantia est virtus: constantia est confidentia;* ergo quedam *confidentia est virtus.*

Secundus est negatus generalis: ut, *audacia non est virtus: audacia est confidentia;* ergo quedam *confidentia non est virtus.*

Affirmatus specialis duplex est; tertius & quartus. Tertius, cuius propositio est particularis: ut, *quidam sapiens est dives: omnis sapiens est laudabilis;* ergo *quidam laudabilis est dives.*

Quartus, cuius propositio est generalis: ut, *omnis sapiens est laudabilis, quidam sapiens est pauper;* ergo *quidam pauper est laudabilis.*

Negatus item specialis est duplex; quintus & sextus. Quintus, cuius propositio est particularis: ut, *quidam stultus non est fortunatus: omnis stultus est contemptus;* ergo *quidam contemptus non est fortunatus.*

Sextus, cuius propositio est generalis: ut, *stultus non est beatus: quidam stultus est fortunatus;* ergo *quidam fortunatus non est beatus.*

Reliqui duo proprii sunt, cūm exemplum est species specialissima sive individuum. Affirmatus est, *Socrates est Philosophus: Socrates est homo;* ergo *quidam homo est Philosophus.* Negatus est, *Therites non est Philosophus: Therites est homo;* ergo *quidam homo non est Philosophus.*

Contracti syllogismi duo vitia sive sophismata sunt, quæ definitione præcaventur. Unum, si quæstio sive conclusio particularis non sit: ut, *omnis homo est rationalis: omnis homo est animal;* ergo *omne animal est rationale, ratio est;* quia id quod non generaliter attribuitur in assumptione (non enim omne animal est homo) non potest esse generale subjectum conclusionis. Alterum est, cūm assumptione est negata: ut, *homo est animal: homo non est bestia;* ergo *bestia non est animal.* Quæ duo sophismata in contracta hujus syllogismi forma, facilius, ut supra dixi, deteguntur, & primo statim intuitu ridentur: ut, *omne animal est rationale, ut homo: quædam bestia non est animal, ut homo.*

## C A P. XI.

### *De Prima specie syllogismi simplicis explicati.*

**S**YLOGISMUS explicatus præter ipsum nomen aliam definitionem non desiderat. Dicitur *explicatus*, non quod semper omnibus occurrat partibus explicatus, sic enim vix millesimus quisque syllogismus occurrit, sed quod partes non modo in forma integra, verū etiam in enthymemate semper distinctas haberet.

*In syllogismo explicato propositio est generalis aut propria; & conclusio similis antecedenti aut parti debiliiori.*

*Similis*, nempe & qualitate & quantitate: *antecedenti, utrique scilicet ejus parti, propositioni & assumptioni, si ipsi inter se similes sunt sive affirmatae sive generales sive propriæ; si dissimiles, parti debiliori, ut supra.*

*Syllogismi explicati species due sunt. Prima ubi argumentum semper sequitur, negatum in altera parte.*

Hæc prima species explicati, figura secunda ab Aristotele dicitur. Prior autem hæc species efficitur, quia dispositio ejus est simplicior, ut ex altera specie collata comperiemus. Sequitur autem semper argumentum partem utramque quæstionis, consequentem in propositione, antecedentem in assumptione: unde ab Aristot. pr. i. 5. *prædicatum de ambabus* dicitur. Negatum autem dicitur argumentum in altera parte, quia pars altera vel propositio nempe vel assumptione semper est negata. Unde cūm negata etiam conclusio semper necessario sit, sequitur

quitur hujus speciei modos omnes negatos esse, & negatas duntaxat quæstiones, hac specie concludi, quæ omnis in refutationibus est posita.

Modi hujus syllogismi sex sunt; & omnes quidem, ut diximus, negati; duo generales, duo speciales, duo proprii.

Generalis primus, cuius propositio negatur: *Turbatus non bene utitur ratione: sapiens bene utitur ratione; sapiens igitur non est turbatus.* Hoc exemplum in sua crypsi sic apud Ciceronem est 3 *Tuscul.* Quemadmodum oculus conturbatus non est probè affectus ad suum manus fungendum, & relique partes totiusque corporis à statu cùm est motum, deest officio suo ac muneris; sic conturbatus animus non est probè affectus ad exequendum manus suum. Minus autem animi est ratione uti: & sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optimè utatur; nunquam igitur est perturbatus. Crypsi hic unica redundantia est: nam ordo partium rectus est, nec ulla pars deest: prosyllogismus unus est propositionis; illustratur enim propositio similitudine plena, cuius redditio est ipsius propositionis sententia.

Generalis secundus, cuius assumptio negatur res mortalis est composita: *animus non est compositus; animus igitur non est mortalis.* Hic syllogismus crypsi involutus est apud Cic. I. *Tuscul.* quo is judicat animum immortalem esse. In animi autem cognitione, inquit, dubitare non possumus, nisi forte in physicis plumbei sumus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cùm ita sit, certè nec secerni, nec dividii, nec discripi, nec distracti potest; nec interire igitur: est enim interitus quasi discessus & secretio ac diremptus earum partium que ante interitum junctione aliqua tenebantur. In hoc exemplo partium ordo invertitur: nam postremo in loco propositionis sententia ponitur, interitum esse scilicet rerum compositarum: assumptio occurrit prima, in animi autem cognitione, &c. Et ornatur synonymis: conclusio media est atque à causa illustratur, ergo nec secerni &c. nec interire igitur.

Specialis primus est, cuius propositio negatur: *lividus non est magnanimus, maximus est: Maximus igitur non est lividus.* Hoc judicio Ovidius 3. de pont. eleg. 3. concludit.

*Livor, iners vitium, mores non exit in altos;*  
*Utque latens ima vipera serpit humo.*  
*Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum.*  
*Grandius ingenio nec tibi nomen inest.*  
*Ergo, alii noceant, miseris, optentque timeri,*  
*Tinctaque mordaci spicula felle gerant.*  
*At tua supplicibus domus est assueta iuvandis;*  
*In quorum numero me precor esse velis.*

Hujus etiam exempli crypsi redundantia sola est: propositio suos habet prosyllogismos, & livor pro livido ponitur, adjunctum pro subiecto; & illustratur à contrario abjecto; isque à simili, *vipera*: assumptio, i. e. *Maximi magnanimitas*, illustratur partim à minori totius generis magnanimitate, partim à notatione nominis ejus, i. e. *Maximi*; cuius parem esse animi magnitudinem demonstrat: conclusio negat *Maximum* esse lividum, partim quia dissimilis sic lividorum, quos describit ab effectis, ergo alii noceant &c. partim, quia ipse faciat quæ magnanimus consuevit, qui disparatus à livido est; at tua supplicibus &c.

Specialis secundus est, cuius assumptio negatur: *Saltator est luxuriosus: Muræna non est luxuriosus; Muræna igitur non est saltator.* Cic. pro Muræn. Nemo enim ferè saltat sobrius, nisi forte insanet: neque in solitudine neque in convivio moderato atque honesto. Intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio. Tu mibi arripis id quod necesse est omnium vitiorum esse postremum: relinquis illa quibus remotis, hoc vitium omnino esse non potest: nullum turpe convivium, non amor, non commissatio, non libido, non sumptus ostenditur: & cùm ea non reperiantur qua voluptatis nomen habent quæque vitiosa sunt, in quo ipsam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuria reperturum putas? Hujus etiam syllogismi partes prosyllogismis exornantur. Propositionis sententia his verbis continetur, *intempestivi convivii &c.* quam prosyllogismus præcedens illustrat à contrariis, *nemo ferè saltat sobrius &c.* assumptio per partes explicatur, *nullum turpe convivium, &c.* & à minoribus quibuldam illustratur: cuius etiam prosyllogismus præcedit, reprehensio nempe *Catonis*, quod postularet consequens, non probato antecedente: postremo loca ponitur conclusio, quæ negat *Muranam* esse saltatorem repetendo quædam quæ in assumptione præcesserant; & interrogatione fortius negando.

Hoc

Hoc judicii modo *Ovidius* i. Trist. eleg. i. tripliciter concludit dum carminum suorum excusationem exponit :

*Carmina proveniunt animo deducta sereno ;  
Nubila sunt subitis tempora nostra malis.  
Carmina secessum scribentis & otia querunt.  
Me mare, me venti, me fera jaetat hyems.  
Carminibus metus omnis abest ; ego perditus ensem  
Hesurum jugulo jam puto jamque meo.  
Hec quoque quæ facio, iudex mirabitur æquus ;  
Scriptaque cum venia qualiacunque leger.*

Tres hic syllogismi sunt qui in unum sic reduci possunt : *Vt quis possit carmina bona scribere, oportet is latus sit, otiosus, securus : ego nec latus sum, nec otiosus, nec securus ; ergo bona carmina non scribo.* Pro assumptionibus prosyllogismi à dissentaneis & impedientibus causis ponuntur. Deinde conclusio sequitur, non ipsa quidem sed ejus consequarium ; mirum esse si bona sunt ; sed potius cum venia esse legenda, quia non sunt bona.

Proprius primus est, cuius propositio negatur : ut, *Agesilaus non est pictus ab Apelle : Alexander est pictus ab Apelle ; Alexander igitur non est Agesilaus.*

Proprius secundus est, cuius assumptionio negatur : ut, *Cæsar opprescit patriam : Tullius non opprescit patriam ; ergo Tullius non est Cæsar.*

Sophismata hic duo sunt ; quorum unum utrique explicati specie commune est, alterum primæ speciei proprium. Commune est, cùm propositio est particularis ; quæ ex communi explicatorum regula generalis aut propria esse debuit.

Sophisma prima speciei proprium est, cùm argumentum tertium in altera parte antecedentis non negatur, ut definitio primæ speciei præcipit : unde illud vulgo dictum, Ex duabus affirmatis in secunda figura, nihil concluditur. Excipendum tamen est, si propositio forte axiomam reciprocum sit : ut, *homo est animal rationale : Socrates est animal rationale ; ergo Socrates est homo.* Verum hic potius inversio partium propositionis intelligenda est ; *animal rationale est homo* : atque ita ad sequentem speciem syllogismi referetur.

## C A P. XII.

### De Secunda specie Syllogismi simplicis explicati.

**S**ecunda species explicata syllogismi est, quando argumentum antecedit in propositione, sequitur affirmatum in assumptione.

Hæc species ab Aristotle, prima figura dicitur ; sed naturæ ordine est postrema. Cum enim in reliquis speciebus dispositio questionis cum arguento tertio simplex & uniusmodi sit, in hac specie duplex est ; in propositione enim arguento antecedit questionis consequentem, utpote specialius ; in assumptione sequitur questionis antecedentem, utpote generalius ; unde forte medius terminus in hac solùm figura proprie dicitur. Quod autem propositio nunquam particularis, conclusio semper antecedenti similis aut parti debiliori est, id habet commune cum explicata specie priore ; hoc etiam cum contracta, affirmatum esse in assumptione ; nisi in contracta, questionis antecedens ut generalius de arguento ; in hac, arguento de antecedente questionis affirmatur.

Hæc maxime figura fundatur dicto illo *de omni & nullo* : antecedens enim sive subjectum propositionis continet genus, adeoque est semper generalis, subjectum assumptionis continet speciem quæ de illo genere affirmatur. Assumptio itaque semper esse debet affirmata. Ex quo sequitur, quicquid de genere in propositione dicitur, id de eo quod in assumptione species esse illius generis affirmatur, in conclusione rectissimè concludi. Quod si genus illud subjectum scil. propositionis termino infinito negante, seu topicè contradictorio exprimitur, non negata continuò censenda erit assumptio quamvis esse videatur ; assumit n. tantummodo genus ex propositione termino illo topicè duntaxat contradictorio expressum, ipsa nihil axiomaticè negat : ut, *quisquis non credit, damnatur : aliquis Iudeus non credit ; ergo aliquis Iudeus damnatur.* Hic propositionis subjectum est genus

nus quisquis non credit, i. e. omnis non credens sive infidelis: *Judicus est ex numero sive specie non credentium, id quod assumptio non negat, sed affirmat & quae acsi sic diceret, aliquis Iudicus est non credens.*

Ex hac autem affirmatione sequitur, nullum argumentum ab antecedente questionis dissentaneum, in hac secunda specie locum habere. De cætero, hæc species neque ad particulares questiones, ut contracta, neque ad negatas, ut prior species explicati, restringitur; sed ad omnia questionum genera concludenda rectè adhibetur.

Restant hujus speciei modi; qui quanquam partim affirmati sunt partim negati, plures tamen non sunt quām in altera specie, ubi omnes erant solum negati. Aequalitatis ratio est quòd assumptionis affirmatio, & solius inde propositionis negatio negatorum numerum minuit. Modi igitur hujus speciei sex itidem sunt; tres affirmati, tres item negati; utrique rursus sunt generales speciales & proprii.

Primus est affirmatus generalis: ut, *omne justum est utile; omne honestum est justum, omne igitur honestum est utile.* Quod Cic. 2. Off. ita concludit: *quicquid justum sit, id etiam utile esse censem: item quod honestum, idem justum: ex quo efficitur, ut quicquid honestum sit, idem sit utile.* Propositionis prosyllogismus à testimonio Stoïcorum primo in loco ponitur, deinde omnes partes ordine sequuntur. Partes hujus syllogismi sunt axiomata relatae essentiæ quæ simplicium axiomatum vim habent.

Secundus modus est negatus generalis: *Timidus non est liber: avarus est timidus; avarus itaq; non est liber.* Hoc ita concluditur & judicatur ab Horatio, epist. l. 1. 16.

*Quò melior servo, quò liberior sit avarus,  
In triviis fixum, cùm se demittit ob assem,  
Non video. Nam qui cupiet, metuet quoque: porro  
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.*

In hoc exemplo duplex est crypsis, inversio partium & prosyllogismus. Primo in loco ponitur conclusio, eaque duabus prosyllogismis illustratur; primò à pari, quod *avarus non sit liberior servo:* secundò ab effectis, quod *se demittit ob assem.* Tum ponitur assumptionis *qui cupiet, metuet quoque.* Propositio postremo in loco ponitur,

*Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam.*

Sic Terent. in *Eunuch.* concludit & judicat: *consilii expers, consilio regi non potest: amor est consilii expers; consilio itaque regi non potest.* Syllogismus his verbis sequitur:

*Here, quæ res in se neque consilium neque modum  
babet ullum, eam consilio regere non potes.  
In amore hac omnia insunt vitia; injuria,  
suspiciones, inimicitia, inducia,  
bellum, pax rursus: incerta hac si tu postules  
ratione certà facere, nihil plus agas,  
quām si des operam, ut cum ratione insanias.*

In hoc exemplo propositio suo loco est *quæ res in se &c.* Pro assumptione ponitur ejus prosyllogismus variorum amoris adjunctorum quæ consilium impedit; amor consilii expers est, *quia in amore hac insunt vitia, &c.* Conclusio sequitur *incerta hac, &c.* Cujus sententia comparatione parium comprehenditur, ergo si amorem consilio regere vis, *nihilo plus, &c.*

Tertius modus est affirmatus specialis: *Consules propter virtutem facti, studiosè remp. tueri debent: Cicero est propter virtutem factus consul; Cicero igitur studiosè remp. tueri debet.* Sic orator diligentiam suam, Agr. 2. concludit & judicat: *Nam cùm omnium consulum, ait, gravis in repub. custodienda, cura ac diligentia debet esse, tum eorum maxime, qui non in incunabulis, sed in campo sunt consules facti. Nulli populo Rom. pro me majores nostri spes ponderunt mihi creditum est: à me petere quod debeo, me ipsum appellare debetis.* *Quemadmodum cùm petebam, nulli me autiores generis mei vobis commendarunt: sc̄ si quid delinquero, nulla sunt imagines, quæ me à vobis deprecentur.* Quare modo ut vita suppetat (quanquam ego sum is qui eam possim ab istorum sceleris insidiisque defendere) polliceor vobis, *Quirites, bona fide, remp. vigilanti homini, non timido, diligenti, non ignavo, commisisti.* Partes hujus syllogismi prosyllogismis ornantur. Propositio à minori illustratur: cujus sententia est comparatio-

nis redditio, diversis illustrata ; nam cùm omnium consulum gravis, &c. tum eorum maxime : diversa sunt, non in incunabulis, sed in campo. Assumptio sequitur, nulli populo Rom. &c. quæ iisdem rursus diversis illustratur, & à simili ; meis, non majorum meritis ; in campo, non in incunabulis : similitudo his verbis continetur ; quemadmodum cùm petebam, &c. Tandem conclusionis sententia sequitur illustrata, primum testimonio promissi, obligationis vim habentis, pollicor, &c. Deinde diverso & disparato ; quare modo, &c. Ergo Cicero erit vigilans, non timidus ; diligens, non ignavus.

Aliud exemplum : quod optatum redierit, gratum est : *Lesbia Catullo optata rediit ; grata igitur est.*

*Si quicquam cupidoque optantique obtigit unquam &  
Insuperanti, hoc gratum est animo propriè.  
Quare hoc est gratum, nobis quoque charius auro,  
Quod te restitus, Lesbia, mi cupido.  
Restitus cupido atque insuperanti ipsa referst  
Nobis ; ô lucem candidiore nota !  
Quis me uno vivit felicior, aut magis hac quid  
Optandum vita dicere quis poterit ?*

In hoc exemplo propositio videtur esse composita, simplex tamen est, & syllogismus simplex ; quia simplex est dispositio argumenti cum partibus quæstionis. Duplex hic crypsis est, inversio & redundantia. Primo loco est propositio si quicquam cupido, &c. i. e. quicquid cupido ; si enim non semper conexi nota est. Assumptio est in quarto & quinto versu, *Lesbia Catullo optata rediit.* Conclusio est versu tertio illustrata à minori, quare hoc est gratum & auro charius. Tribus postremis versibus iteratur sententia conclusionis, primum ab adjuncto tempore, ô lucem : deinde à pari, nemo me felicior, aut magis hac quid, &c.

Quartus modus est negatus specialis : *deceptor amantis puella non est laudandus :* Demophoon est deceptor amantis puella ; *Demophoon igitur non est laudandus.* Phyllis apud Ovidium ita judicat Demophoontem laudandum non esse.

*Fallerè credentem non est operosa puellam  
Gloria : simplicitas digna favore fuit.  
Sum decepta tuis & amans & fœmina verbis ;  
Dii faciant laudis summa sit ista tua.*

Propositio suum obtinet locum cum prosyllogismo adjunctæ simplicitatis, ut cause cur deceptor non sit laudandus. Assumptio sequitur, sum decepta tuis, &c. Conclusionis sententia imprecatione continetur, dui faciant, &c.

Quintus modus est affirmatus proprius : ut, *Ostavius est hæres Cæsaris : ego sum Ostavius ; sum igitur hæres Cæsaris.*

Sextus modus est negatus proprius : ut, *Antonius non est filius Cæsaris : tu es Antonius ; non es igitur filius Cæsaris.*

Hujus itaque speciei laus est præ cæteris, quod omnia quæstionum genera concludat ; nempe generales, speciales vel proprias, easque vel affirmatas vel negatas ; & præsertim generales affirmatas : ob quam potissimum causam Aristoteles speciem hanc & reliquis anteposuit, quod primus ejus modus nempe affirmatus generalis sit maximè scientificus, post l. 11. cùm præcepta artium solus demonstret, & reductionem reliquarum ad hanc figuram sive speciem laboriosè & subtiliter excogitavit, verum non sic præstat hæc species cæteris duabus, ut earum idcirco ad hanc reducuntur cum tanta ut sit, alphabæti vexatione elaboranda fuerit, quandoquidem & reliqua species non imperfectæ sunt, nec minus necessariò concludunt, id enim syllogismi speciebus commune cunctis est, quæstiones denique illas, quæ ad ipsarum judicium rectè referuntur, interdum aptius concludunt, quam in hac specie concludi queunt. Merito itaque Galenus, l. 2. de placit. Hippoc. & Plat. reductionem hanc omnemque ejus superelegilem abecedariam tanquam vanissimæ subtilitatis doctrinam inanem ac futilem post Antipatrum & Chrysippum explodit. Et Keckermannus ipse, in P. Ramum ferè iniqior, reductionem tam illam quam vocant per impossibile, ad eos duntaxat refutandos inventam, homines sanè absurdos & raro admodum repertos, qui utraque

utraque præmissa concessa, conclusionem negent, fatetur se potius propter con-fuetudinem scholarum, quam propter magnum ejus usum retinuisse. Ac consuetudo certè gnaviter nugandi ejicienda è scholis potius, quam retinenda erat.

Tres hic paralogismi resellendi sunt; quorum duo sunt utriusque speciei ex-plicatae communes, propositio nis irum particularis, & conclusio partis non de-bilioris: utriusque exemplum hoc esse potest: *quædam animal est rationale: bestia est animal; ergo bestia est rationalis.* Et præterea totum medium, nempe *quodam animal, non assumitur.*

Proprius in hac specie paralogismus est argumenti negatio in assumptione: ut, *omnis homo est animal: equus non est homo; ergo equus non est animal.*

Hic etiam *solutus* & *unicus* pro negandi particulis habendi sunt; pariterque red-dunt assumptionem captiosam: ut, *quicquid est in mea domo, est in oppido: unicus fons est in mea domo; ergo unicus fons est in oppido.* Sic, *quicquid est risibile, est animal: solus homo est risibilis; ergo solus homo est animal.* Tam enim hæc particulae quam negatio in minore, ostendunt non reciprocum esse majorem; adeoque con-clusionem ex majore per minorem, vel generale ex proprio non sequi.

Expendenda porrò hic definitionis verba sunt; quæ non tam assumptionem ipsam quam argumentum in assumptione affirmatum significant. Cùm enim propositionis antecedens ( quod tertium argumentum est ) negatione infinita topica duntaxat exprimatur, assumptionis consequens ( quod etiam tertium ar-gumentum est ) eandem negationem retinere debet; alioqui non sequeretur ar-gumentum affirmatum in assumptione, sed contradictione sublatum. Negatio autem hæc non dicenda est vel assumptionis vel argumenti negatio, sed argu-menti infiniti affirmatio: tum enim demum negatur in assumptione argumen-tum, cùm illius negatio propositionis affirmationi opponitur. Exempli gratia: *qui non est dives, contemnitur: Posthumus non est dives; ergo Posthumus contem-nitur.* Assumptionem hic non negari probat affirmatio conclusionis: sed perinde est acsi hoc modo argumentaretur: *omnis homo qui non est dives, contemnitur: Posthumus est homo qui non est dives; ergo Posthumus contemnitur.* Vel hoc modo: *omnis non dives contemnitur: Posthumus est non dives; ergo contemnitur.* Sed hæc ex iis etiam quæ supra ad definitionem ipsam hujus speciei diximus, puto non esse obscura.

Præterea in quibusdam exemplis, quorum propositio est reciproca, videtur interdum syllogismus iste habere assumptionem negatam; cùm dicendum sic potius, partes propositionis inverti? quæ si in ordinem revocentur, syllogismus erit in prima specie explicati: ut, *Ioan. 8. 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit: vos ex Deo non estis; ergo verba Dei non auditis.* Propositio invertenda est: *qui verba Dei audit, is ex Deo est: vos non estis ex Deo; ergo verba Dei non auditis.*

## C A P. XIII.

### *De Syllogismo connexo primō.*

*Adbuc simplex syllogismus fuit.*

**S**yllogismus compositus est syllogismus ubi tota quæstio est pars altera propositionis af-firmata & composita; argumentum est pars reliqua.

Negat Aristoteles ullam esse syllogismi speciem præter tres figuræ; & tamen ipse sçpe utitur composito, qui ad nullam ex tribus figuris referri potest: Ver-um usus, optimus magister docet, sçpius in communī hominū sermone ac disputationib⁹, compositos adhiberi syllogismos, quam simplices: ut qui mul-tas quæstiones, multa argumenta commode satis disponant, que syllogismi sim-plices respiciunt. Theophrastus etiam & Endemus, Aristotelis discipuli, quin etiam Sigici, & post eos Cicero & Boethius, usum præceptorem fecuti, compositos non omiserunt. Syllogismus autem compositus dicitur non tam quod ex compo-sitis axiomatis, nam & simplex potest ex compositis, nimirum relatis constare, sed à composta dispositione quæstionis totius cum tertio argūmento in propo-sitione; unde assumptione tota etiam assumitur; & conclusio non partim ex propo-sitione partim ex assumptione, sed tota ex propositione deducitur: proposi-tio enim cùm sit composta, duas reliquias syllogismi partes ( quæ axio.nata

simplicia sunt ) conjunctionis vinculo conjunctas complectitur : pars illa efficit assumptionem quæ argumentum continet, altera conclusionem. Propositionem autem debet esse affirmata, quia negata si esset, composita esse desineat, ipsa enim compositione negatione dissolvetur. Propositionem autem negatam efficit, ut de axiomate composito suprà dictum est, non partium sed conjunctionis negatio : ut, si non est animal, non est homo ; hæc propositione ex omnibus etiam partibus negatis affirmata est : recte igitur inde assumitur atque concluditur, at non est animal, ergo neque homo. Sin hoc modo dicerem, non si non est animal, idcirco non est homo, ex hac negata propositione nihil omnino deduci aut concludi posset. In syllogismis itaque compositis ex ipsa conjunctionis v. deducuntur assumptione & conclusio. Ex duobus enim quæ propositione conjuguntur, aut unum assumitur ut alterum cocludatur, aut unum tollitur ut alterum tollatur.

*Tollere autem in syllogismo composito, non est negare, sed speciale contradictionem ponere.*

Specialis autem contradictione, ut in axiomate simplici jam diximus, particularis est aut propria. Tollere igitur propositionis partem aliquam in assumptione aut conclusione, est ejus contradictionem particulari, aut propriam ponere. Particulari autem generaliter contradicci, generali particulariter, ibidem etiam docemur. Exemplis rem planam suo quamque loco faciemus.

Sequitur nunc compositi syllogismi distributio : cuius genera ex propositionum compositione oriuntur : propositiones axiomata composita semper sunt : ex quatuor autem axiomatum compositorum generibus copulatum si affirmatum sit, non habet locum in composito syllogismo ; si negatum, æquipollit interdum disjuncto : discretum syllogismi expers est, quia diversa ex quibus constat, nec planè consentiunt, & tamen ita leviter dissentunt, ut uno posito vel remoto, non tamen sequatur alterum ponи vel removeri ; aut vim habet connexi.

*Syllogismus itaque compositus est connexus aut disjunctus.*

*Syllogismus connexus est syllogismus compositus propositionis connexæ. Vel cuius propositione est axioma connexum.*

Cùm autem axiomi connexo affine sit relatum temporis, ut ibidem ostendimus, etiam syllogismi connexi propositione poterit relata esse temporis : nam quantitatis, qualitatis, loci propositiones relatae in simplicibus syllogismis locum habent ; quia in iis propositionibus questionis duntaxat consequens cum argumento disponitur. Relatum denique consequientiæ, de quo supra cap. 6. syllogismus idoneus non est.

*Syllogismus connexus est duorum modorum.*

*Primus modus syllogismi connexi est, qui assumit antecedens & consequens concludit.*

Quo modo Cicero judicat & concludit I. 2. de divinatione : si dii sunt, divinatio est : sunt autem dii ; divinatio est igitur.

Aliud ex 3. Offic. Atque si etiam natura præscribit, ut homo homini, quicunque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit, necesse est secundum eandem naturam, omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una continentur omnes & eadem lege naturæ. Idque ipsum si ita est, certè violare alterum lege naturæ prohibetur. Verum autem primum ; verum igitur & extrellum

Propositio hujus syllogismi est sorites ( de quo infra ) trium graduum, si hoc natura præscribit, ut, &c.

*Frequenter hic non assumitur idem sed majus.*

Uc. 1 Catil. Si te parentes odissent, discederes : nunc patria te odit ( que communis est omnium nostrum parens ) multo magis ergo discedes. Sed majus illud facile contineri in propositione poterit hoc modo ; si propter odium parentum discederes, multo magis propter odium patriæ. At illud ; ergo hoc multo magis.

Simili ratione concluditur etiam majus vel minus : ut Cic. pro Quint. Etsi viadimonium deseruisse, non debuisses tamen ad extrema jura descendere : at non deseruit ; multò minus ergo debuisti, vel multò magis non debuisti.

*Concludendi modus, ut supradiximus, hic idem est quando propositione est relata temporis.*

Ut, cùm Paris Oenonem deseret, Xanthus recurrat ; Paris Oenonem deseret ; Xanthus ergo recurrat.

Sed tamen relata temporis ut & reliqua axiomata composita, id quod supra monuimus, ad syllogismum simplicem pertinebunt quoties non tota questione in-

propositione disponitur: quod quidem semper fit, cum de certo & definito tempore quæstio est: ut si queratur an hoc tempore sit ætas, hujusmodi erit syllogismus: cum sol est in cancro, ætas est: at hoc tempore sol est in cancro; ergo hoc tempore ætas est.

## C A P. X I V.

## De Syllogismo connexo secundo.

**S**ecundus modus connexi tollit consequens, ut tollat antecedens.

Hæc enim vis connexi axiomatis est, si consequens non sit, nec esse antecedens. Sic Cicero 4. de fin. docent nos, inquit, Dialectici, &c. Si illud, hoc: non autem hoc; igitur ne illud quidem.

Sequuntur exempla: si ulli rei sapiens assentietur unquam, aliquando etiam opinabitur: nunquam autem opinabitur; nulli igitur rei assentietur. Hic consequens contradictione speciali in assumptione tollitur, aliquando, nunquam; conclusio etiam antecedenti specialiter contradicit; ulli rei, nulli rei.

Eodem syllogismo Ovid. 2. de Trist. stultitiam suam judicat:

Si saperem doctas odissim jure sorores,  
Numina cultori pernicioſa ſuo.  
At nunc (tanta meo comes eſt iſaniam morbo )  
Saxa memor refero rursus ad icta pedem.

Propositio eſt, si saperem, Musas odissim: cuius prosyllogismus eſt ab adjuncta pernicie. Assumptio, at non odi; quæ à ſimiſi exprimitur, at nunc ſaxa memor, &c. ergo non ſapi: cuius conclusio iſi ſententia in parenthesis eſt; iſa meo, &c. Atque in hoc exemplo eſt contradictione propria.

He duæ ſyllogiſmi ſpecies ſunt omnium uirtutiffimæ.

Non enī ea ſolum argumenta quæ in ſimplicibus & diſunctis ſyllogiſmis diſponi non poſſunt, in connexis facile diſponuntur, ſed etiam ex iis quæ poſſunt aliis formiſ concludi, multa in hiſ ſpeciebus faciliuſ & promptius concluduntur: immo nullum omnino argumentum, quod in ſyllogiſmuſ uolum habet, has connexi ſpecies reſpuit.

Præter hos duos connexi ſyllogiſmi modos nonnulli duos alios adjiciunt; quo-rum prior tollit antecedens ut tollat consequens, poſterior diſumit consequens ut concludat antecedens. In quos modos eti communis forte ſermo, boni etiam authores nonnunquam incident, tamen cum in ſyllogiſmo non veritas partium ſed neceſſitas conſequentiæ ſpectetur, tenendum eſt, viſioſos eſſe eos modos qui ex veris verum juxta & falſum poſſunt concludere. Prior ergo hic modus qui tollit antecedens eſt prioris legitimi modi paralogiſmuſ, affiniſ negatae diſumptiōni in ſecunda ſpecie explicati: ut, si homo eſt leo, ſentit: non eſt leo; ergo non ſentit. Et hoc: si Dio eſt equus, eſt animal: at non eſt equus; ergo non eſt animal. Si orator eſt, homo eſt: non eſt orator; ergo nec homo. Hoc ſi ſic reſolvas in ſecundam ſpeciem explicati, omnis orator eſt homo, fallacia patēbit. Immo ſine iſta reductiōne per ſe etiam patet: tollit enim antecedens, quod minus eſt, ut tollat conſequens, quod maius eſt: à minore autem ad maius nulla eſt hujusmodi conſequentiā.

Modus poſterior, qui diſumit conſequens ut concludat antecedens, eſt capio posterioris legitimi modi, affiniſ paralogiſmo ex omnibus affirmatiſ in prima ſpecie explicati: ut, si homo eſt leo, ſentit: at ſentit; ergo eſt leo. Utrumque hunc paralogiſmuſ Aristoteles appellat fallaciā conſequentiis; quæ toties ſit quo-ties propositio non eſt reciproca.

Sed eſt etiam aliud ſophiſma ſecundi modi, cum diſumptio non tollit contra-dictione ſpeciali; id eſt, quando conſequenti vel generali generaliter, vel parti-culari particulaſeriter contradicit. Generalis contradictioni exemplum eſt, si omne animal eſt irrationale, omnis etiam homo eſt irrationalis: at nullus homo eſt irra-tionalis: nullum ergo animal eſt irrationale. Particularis hoc: si homo eſt rationalis, aliquod animal eſt rationale: ſed aliquod animal non eſt rationale; ergo nec homo.

## C A P. XV.

## De Syllogismo disjuncto primo.

**S**yllogismus disjunctus est syllogismus compositus propositionis disjunctae.

Modi duo sunt. Sic etiam Cic. in Top. & Stoici apud Laertium.

Primus tollit unum, & reliquum concludit.

Ut, aut dies est, aut nox: at dies non est; ergo nox est. Vel, nox non est; dies ergo est.

Ciceronis pro Cnuentio judicium tale est: sed cum esset haec illi proposita conditio, ut aut justè pieque accusaret, aut acerbe indignèque moreretur; accusare quoque modo posset, quam illo modo mori maluit. Disjunctio clarior sic erit: aut accusandum aut moriendum: non moriendum; accusandum igitur. In hoc exemplo, ut est apud Cic. est partium inversio, totutque syllogismus in axiomate relato consequentiæ involvitur. Propositio non est absolutè vera, sed ex conditione. Assumptio & conclusio per comparationem minoris prouuntur; ita, ut conclusio præcedat.

Sic idem & Phil. ratiocinatur: nunquamne intelliges tibi statuendum esse, utrum illi qui istam rem gesserunt, homicidæ sint an vindices libertatis? Attende, &c. Nego quicquam esse medium. Confiteor illos nisi liberatores populi Rom. conservatoresque reip. sint, plus quam scarios, plus quam homicidas, plus quam parricidas esse: siquidem est atrocius patriæ parentem, &c. Si parricidæ, cur honoris causa à te sunt & in hoc ordine & apud populum Rom. semper appellati? Cur, &c. Atque haec acta per te. Non igitur homicidae. Sequitur ut liberatores tuo judicio sint; quandoquidem tertium nihil potest esse. Quæstio hinc proponitur initio de Casaris interfectoribus, utrum, &c. Propositio proponitur axiomate connexo, confiteor illos nisi, &c. quod æquipollit disjuncto, aut vindices sunt libertatis aut plusquam homicidæ: illustratur enim ea pars disjunctionis à majori: & præcedit protyll. gismus, quo ostenditur disjunctionem hanc esse sine medio, & proinde necessariam. Assumptio sequitur, non sunt homicidæ; idque confirmatur protyllogismo à testimonio & factis ipsius Antonii. Prosyllogismus concludit, in secundo connexo, si parricidæ, cur, &c? at haec acta per te; non igitur homicidæ. Conclusio denique sequitur, ut liberatores fuerint; idque repetito propositionis prosyllogismo confirmatur, quandoquidem tertium sive medium nihil potest esse.

Si partes disjunctæ propositionis sint dubiis plures, judicandi concludendique ars erit eadem.

Quamvis autem disjunctionis partes esse possint sæpenumerò plures quam duæ, id quod in dispositis accidit, ipsius tamen propositionis duæ tantummodo partes sunt; quarum una est quæstio, altera est argumentum. in hoc modo ubi quæstio semper concluditur, tertium argumentum plura opposita comprehendit, quæ omnia in assumptione tollenda sunt, ut quæstio concludatur: nam oppositorum plura simul affirmari nequeunt negari plura simul queunt.

Sic Cic. judicat Rabirium cum consulibus esse oportuisse. Aut enim cum consulibus, aut cum seditionis, aut latuisse: at nec cum seditionis fuisse, nec latuisse; fuisse ergo cum consulibus. Pro Rabir. Atqui videmus aut h. c. in rerum natura tria fuisse, ut aut cum Saturnino esset, aut cum bonis, aut lateret. Latere autem, mortis erat instar turpisissime: cum Saturnino esse, furoris & sceleris; virtus & honestas & pudor cum eis. esse cugebat. Propositione per se clara est. Assumptionis partes prosyllogismis illuminantur, primo à simili, deinde ab adjunctis. Conclusio protyllogismo ab efficiente illustratur.

Notandum est in hoc modo non ita exigi specialem contradictionem, ut in reliquis; neque enim ad consequentie necessitatem pertinet in hoc modo, ut in reliquis, sed ad assumptionis solius veritatem. Si ergo assumptio generalem contradictionem ferre potest, per consequentiam licebit uti: ad consequentie enim rationem sufficit, alterum quovis modo tolli, ut reliquum concludatur; eademque conclusio erit, sive specialis sive generalis in assumptione contradictione fuerit, in altero vero modo secus erit, ubi contradictione in ipsam conclusionem cadit.

## C A P. X VI.

## De Syllogismo disjuncto secundo.

**D**isjunctus secundus è propositione partibus omnibus affirmata assumit unum & reliquum tollit.

Secundus efficitur, quia minus generalis est primo, utpote proprietatibus quibusdam astricetus, quibus prior immunis erat. Proprietates autem hæ sunt, 1. partium omnium propositionis affirmatio, non totius modo propositionis, id enim syllogismis omnibus compositis commune est; & affirmari quidem propositio vel omnibus negatis partibus potest. 2. Assumptio affirmatur, quoniam in propositione affirmata fuerat. 3. In conclusione semper est negatio, eaque specialis contradic̄tio: in primo quidem conclusio nonnunquam negatur; sed hoc tum sit cùm pars propositionis quæ concluditur negata fuit. Exempli gratia: aut dies est, aut nox: dies est; ergo nox non est.

Ejusmodi syllogismus efficitur è propositione copulata negata, que negata complexio, vel, quod Græcis idem est, negata copulatio dicitur, & disjunctionis affirmativa obtinet.

Non & dies, & nox est: at dies est; non igitur nox est. De hac negata copulatione sic Cic. in Top. non & hoc & illud: hoc autem; non igitur illud.

Pertinet autem ad hunc secundum duntaxat modum negata copulatio; quod cum in hujusmodi propositione quævis opposita disponi possint, ex uno eorum negato, nisi in iis qui medio carent, non necessario alterum affirmatur & concludatur, quod sit in primo modo, sed ex altero affirmato alterum negatur, quæ communis est regula omnium oppositorum, & sit duntaxat in hoc secundo.

Ad sophisinata quod attinet horum modorum, primi quidem nullum occurrit. Secundi quæ sunt, ex definitione redarguntur. Primum est, si aliqua pars propositionis negata erit: ut, leo aut animal est, aut non est homo; at non est homo, ergo nec animal. Secundum est, si assumptio sit negata; ut in exemplo superiore. Tertium est, si specialis contradic̄tio non erit in conclusione: ut hoc; aut homo est animal, aut omne animal est irrationale; sed homo est animal, ergo nullum animal est irrationale.

## Appendix de enthymemate, dilemmate, &amp; sorite.

**E**xpositis oīnnibus cùm simplicis tum compositi syllogismi speciebus, sequitur axiomatis & syllogismi communis affectio, vel potius anomalia, de qua antediximus, crypsis. Quæ in omni cùm loquendi usu tum scribendi genere tam frequens est, idque brevitatis plerumque causa, ut nemo ferè syllogismos integros sine crypsi aliqua vel loquatur vel scribat.

Sed quoniam crypsis ejusque triplex modus syllogismorum omnes species afficiunt, ea re dicendi locus de syllogismi crypsibus antè non erat, quām de syllogismi speciebus cunctis dictum esset.

*Si qua pars, syllogismi defuerit, enthymema dicitur.*

Ut ab exemplo: Themistocli licuit urbem relinquere; ergo mihi. Addatur propositio; quod Themistocli licuit, licet & mihi. Ab inductione: inventio & dispositio in argumentis versantur; ergo Logica tota. Addatur assumptio; Logica tota est eorum inventio & dispositio.

Hoc etiam perpetuò observandum est, si conclusionis prædicatum deest, deesse majorem; si subiectum, minorem; si utrumque, syllogismi compositi majorem vel potius majoris antecedentem, quæ cum tota questione ut cum consequente disponitur; quod indicat plenum syllogismum fore compositum, & antecedens pars enthymematis erit antecedens majoris; totumque enthymema converetur in majorem propositionem syllogismi connexi: ut, virtus reddit beatos; vitium ergo miseris. In antecedente hujus enthymematis nec antecedens nec consequens questionis appetit: totum igitur converte in axioma connexum aut disjunctum, plenum syllogismum compositum esse intelliges; ut, si virtus reddit beatos, vitium reddit miseris; at illud; hoc igitur. Non est nox; ergo est dies. Totum converte in axioma disjunctum, in majorem supplebis, & syllogismum plenum disjunctum conficies: aut dies est, aut nox; non nox. ergo dies.

*Si quid ad tres illas syllogismi partes accesserit, prosyllogismus dicitur.* Est enim ad partem aliquam syllogismi addita probatio.

*Partium etiam ordo s<sup>e</sup>pe confunditur.* Quod utrumque accidit in dilemmate & sorite.

Dilemma est specialis quedam crypsis non syllogismi, sed syllogismorum ; à duplice propositione dictum quam *lemma Stoici* vocant, vulgo *disjunctivus biformis* & *syllogismus cornutus*, quasi cornibus feriens : cuius vis in duobus axiomatis conexis citra syllogismi formam satis manifesta est : ut illud *Martialis* ;

*Hæc, si displicui, fuerint solaria nobis ;*  
*Hæc fuerint nobis præmia, si placui.*

Et illud in evangelio : *si bene locutus sum, cur me cadi ? si male, testare de malo.* Et reciprocum illud insigne *Protagoræ* magistri ad *Euathlum* discipulum, apud *Gellium*, l. 5. c. 10. & 11 : *si contra te lis data erit merces mibi ex sententia illa debetur, quia ego vicero ; si vero secundum te judicatum erit, merces mibi ex pacto debebitur, quia tu viceris.* Cui contrà *Euathlus* ; & ego bone magister, utrovis modo vicero, &c. Hujusmodi est etiam illud apud *Aristot.* Rhet. 3. 23. non agendum esse cum populo ; quia, *si justa dixeris, hominibus invisis eris ; si injusta, Deo.* Immo agendum esse cum populo : *nam, si injusta dixeris, hominibus gratus eris ; si justa, Deo.*

Explicatur autem hæc cryplis axiome disjunctio ; tot deinde syllogismis conexis vel etiam categoricis, quot erant disjuncti axiomatis membra : ut illud *Biantis consilium de uxore non ducenda* : *aut formosam duces, aut deformem ; si formosam, communem ; si deformem, pœnam : neutrum autem bonum ; non est igitur ducenda uxor.* Vel categoricè sic ; *communis non est ducenda ; formosa erit communis ; ergo, &c. pœna non est ducenda ; deformis erit pœna ; ergo, &c.* Sed axioma illud disjunctum partes omnes disjunctas non enumerat : est enim media quæ nec formosa nec deformis est ; & neutrius connexi consequens est vera ; fieri enim potest, ut nec formosa communis, nec deformis pœna sit futura.

Sorites & syllogismus crypticus multarum propositionum continua serie ita progradientur, ut prædicatum præcedentis propositionis perpetuò sit subjectum sequentis, donec tandem consequens propositionis ultima concludatur de antecedente primæ : *ut, homo est animal ; animal est corpus sentiens ; corpus sentiens est vivens ; vivens est substantia ; ergo homo est substantia.* Gracè autem sorites, *acervalis Latine* à *Cicerone* dicitur ; quia minutatim addit, & quasi acervum efficit.

Adhibetur ferè vel ad summum genus de infima specie, vel ad causam primariam, licet remotam, effecto attribuendam ; & illud quidem per genera subalterna, ut in exemplo superiore ; hoc per causas medias, ut in exemplo sequente : *quos Deus pranovit, eos prædestinavit ; quos prædestinavit, eos vocavit ; quos vocavit, eos justificavit ; quos justificavit, eos glorificavit ; ergo, quos pranovit, eos glorificavit.*

Utitur autem sorites & subalternis generibus & subordinatis causis quasi tot mediis terminis ad probandum conclusionem ; tot nempe quot sunt termini inter subjectum primæ propositionis & prædicatum conclusionis : quot autem termini medii, tot sunt syllogismi.

Est itaque progressio enthymematica syllogismos uno pauciores continens quam propositiones. Syllogismus principalis habet pro majore propositionem conclusioni proximam ; pro minoris termino minore, subjectum conclusionis pro termino majore ; subjectum propositionis majoris : ex. gr. *quos justificavit, glorificavit ; quos pranovit, justificavit ; quos ergo pranovit, glorificavit.* Reliqui sunt minorum prosyllogismi, & præcedens quique probatio sequentis.

Unde intelligitur soritæ crypsis triplex, & defectus, & redundantia, & inversio. Si igitur partium, five species five causæ sint, non erit recta subordinationis firmaque connexio, sorites probus non erit : *ut, ex malis moribus existunt bona leges ; ex bonis legibus salus reip. ex reip. salute bona omnia ; ergo ex moribus malis bona omnia.* Hic causæ per se male subordinantur causæ per accidens.

Fallit hic etiam : *si nullum tempus esset, nox non esset ; si nox non esset, dies esset ; si dies esset, aliquod tempus esset ; ergo, si nullum tempus esset, aliquod tempus esset.* Nam si nullum tempus esset, certè nec dies esset : fallit ergo in propositione secunda ; quæ non vere continuatur ; sed ponit effectum, sublata causa. Cætera sorites vitia habet cum aliis syllogismi speciebus communia.

## C A P. XVII.

## De Methodo.

**M**ethodus est dispositio diaenoetica variorum axiomatum homogeneorum pro naturae sua claritate prepositorum, unde omnium inter se convenientia judicatur, memoriaque comprehenditur.

Methodi permagnus est in omni vita usus, magna proinde laus. Hanc Plato, in Philebo, esse ait donum hominibus divinitus datum. Aristoteles etiam ordinem in maximis bonis numeravit. Fabius, Nec mihi, inquit, errare videntur, qui ipsam rerum naturam stare ordine putant; quo confuso, peritura sunt omnia.

Est autem methodus dispositio variorum axiomatum homogeneorum, i. e. eorum quae ad eandem rem pertinent, eandemque ad finem referuntur. Homogenea nisi fuerint, subordinata sibi invicem esse non poterunt, adeoque ne ordinata quidem. Itaque Arithmeticum in Geometria, Geometricum in Arithmeticam veluti heterogenium & alienum methodus excludit. Pro naturae autem sua claritate axiomata quaque praeponenda sunt, prout argumenta priora, notiora, illustriora complectuntur. Prima autem praecedant an orta à primis parum refert, cum utrorumque eadem affectio sit.

Atque ut spectatur in axiomate veritas aut falsitas, in syllogismo consequentia & inconsequentia; sic in methodo consideratur, ut per se clarius praecedat, obscurius sequatur; omninoque ordo & confusio judicatur. Sic disponetur ex homogeneis axiomatis primo loco. absoluta notione primum, secundo secundum, tertio, tertium, & ita deinceps.

Prius autem sicut & posterius quinque modis dicimus: tempore, ut senem juvener; natura, ut causam effecto, genus specie; quicquid denique existendi consecutione est prius; i. e. quod alio posito, ponitur; & quo posito, aliud non ponitur, ut unitas binario: nonnunquam etiam ubi consecutio reciproca est, quod simul est tempore, natura tamen est prius, ut sol suo lumine. Bifariam etiam dicitur prius natura; generante scilicet, ut partes toto, simplex composite, media fine; vel intendente, ut totum partibus, compositum simplici, finis mediis. Prius dispositione sive loco dicitur, quod initio est proprius; ut in dicendo, narratio confirmatione. Prius dignitate; ut magistratus cive, aurum argento, virtus auro. Prius denique cognitione, quod cognitu facilius est: idque vel in se, vel nobis: in se quod natura est prius; nobis, quod posterius est, & sensibus objectum: illa perfectior est cognition, haec imperfectior.

Ideoque methodus ab universalibus, ut quae causas contineant, ad singularia perpetuo progreditur. Adeoque ab antecedentibus omnino & absolute notioribus ad consequentia ignota declarandum.

Unde intelligitur agi hic de methodo tradendi sive docendi, quae analytica recte dicitur, non inveniendi. Methodus n. inveniendi quae à Plutone dicitur synthetica, procedit à singularibus quae tempore sunt priora, sensib[us]que se prius offerunt; quorum inductione generales notiones colliguntur: methodus autem docendi sive inventa & judicata disponendi, de qua hic agitur. Contraria via, ut etiam docet Arist. I. Metaph. c. 1. & 2. procedit ab universalibus, quae natura sunt priora & notiora; non quo prius aut facilius cognoscantur, sed quod posteaquam sunt cognita, praecedunt notionis natura & claritate quanto sunt à sensibus remotiora. Sic generales rerum species (ut Optici etiam docent) citius in sensus incurunt: ut advenientem aliquem, judico prius animal esse quam hominem, & hominem quam Socratem. Atque hanc solam methodum Aristot. passim docuit.

Sed methodi unitatem exempli doctrinarum & artium principiū demonstrant, pricipia que vendicant.

Quibus quamvis omnes regulae generales sint & universales, tamen earum gradus distinguuntur: quantoque unaqueque generalior erit, tanto magis procedet.

Generalissima loco & ordine prima erit, quia lumine & notitia prima est.

Subalterna consequentur, quia claritate sunt proxima: utque ex his naturis notiores præponentur, minus nota substituentur.

Tandemque specialissima constituentur.

*Definitio itaque generalissima prima erit ; causas n. continet Definitioni conseq̄atoria subjungentur, sive proprietatum si quae sunt & ex definitione per se non patent, explicaciones Distributio sequetur.*

*Qua si multiplex fuerit, precedet in partes integras partitio, sequetur divisio in species. Partesque ipsæ & species eodem ordine sunt rursus tractandæ ac definiendæ, quo distributa fuerint.*

*Et transitionum vinculis si longior inter eas intersit explicatio, colligandæ sunt : id n. auditorem reficit ac recreat.*

Transitio autem vel perfecta est vel imperfecta. Perfecta, quæ breviter & quid dictum sit & quid sequatur, ostendit : qualis illa hujus libri secundi initio adhuc prima Artis Logica pars fuit, &c. Imperfecta est quæ alterutrum duntaxat ostendit vel quid dictum sit, vel quid sequatur : qualis illa l. i. c. 18. argumenta simplicia ita fuerunt, &c.

Exemplo sit Grammatica. Hujus definitio, ut quæ generalissima sit, ex lege methodi primo loco statuatur; ars scilicet bene loquendi : secundo loco erit Grammaticæ partitio, in etymologiam & syntaxin; tum etymologia, quæ de vocibus agit, definiatur ; dein vocis partes in literis & syllabis, speciesque in vocibus numeri & sine numero subsequantur, exituumque transitiones suis locis collocentur : atque ita omnium etymologicæ partium definitiones, distributiones, colligationes, exempla denique specialissima in singulis disponentur : idemque in syntaxis fiet. Hanc viam omnes artes sibi proposuerunt.

Moderni quidem duplē methodum instituunt, *syntheticam & analyticam*: illam scientiis theoreticis tradendis, Physicæ putâ vel Mathematicæ magis accommodatam ; qua partes scientiæ ita disponuntur, ut à subjecto contemplationis universali ad particularia, à simplicibus ad composita progressus fiat : sic Physica exorditur à corporis naturalis definitione ; ad ejus deinde causas vel partes effectiōnesque generales ad species denique progreditur. Methodum analyticam definiunt, qua ita disponuntur partes scientiæ practicæ ut à notione finis fiat progressus ad notitiam principiorum vel mediorum, ad illum finem assequendum : sic in Ethicis à fine, scilicet beatitudine, ad media, nempe virtutes proceditur : Verum cùm hac utraque methodus una eadēque via, à definitione scilicet generalissima, sive illa subjectum sive finem generalem contineat, ad minus generalia, à notioribus ad minus nota, à simplicibus ad composita æque utrobique dividendo progrederiatur, non videtur ob diversam in definitione generali, illic subjecti, hīc finis mentionem, duplē esse methodum constituendam ; sed unum potius, artium quidem tradendarum, eāmque analyticam esse dicendam.

*Atqui methodus non solum in materia artium & doctrinarum adhibetur, sed in omnibus rebus quas facile & perspicue docere volumas.*

*Ideoque poeta, oratores, omnésque omnino scriptores, quoties docendum sibi auditorem proponunt, hanc viam sequi volunt, quamvis non usquequaque ingrediantur atque insistant.*

*Sic Virgilius, in Georgicis, distribuit propositam materiam in quatuor partes, ut antedictum est : primōque libro res communes persequitur, ut astrologiam, meteorologiam, déque segetibus & earum culta differit, quæ pars operis prima erat, tumque transitio adhibetur initio secundi libri.*

### *Hattenus arborum cultus, &c.*

Dein scribit generaliter de arboribus, tum specialiter de vitibus. Sic toto opere, generalissimum, primo ; subalterna, medio ; specialissima, extremo loco ponere studuit.

Eandem Ovidius, in Fastis, dispositionis hujus gratiam sequitur. Proponit initio summam operis :

*Tempora cum causis Latium digesta per annum, &c.*

Mox imploratione facta, partitionem anni statuit. Tum communes differentias interpretatus diei fasti, nefasti, &c. tandem unumquemque mensē suō loco persequitur, & ordinis hujus à generalibus ad specialia studium suum præfatione indicat.

*Hac mihi dicta semel, totis herentia fastis,  
Ne seriem rerum scindere cogar, erunt.*

Oratores in proœmio ; narratione, confirmations, peroratione hunc ordinem affectant, eumque artis & naturæ & rei ordinem appellant, & interdum studiosius affectantur.

*Ut in verrem, Cicero primùm proponendo tum partiendo. Questor inquit Cr. Papyrio cos. fuisse abhinc annos quatuordecim. & ex illa die ad hanc diem que fecisti, in judicium voco, &c. Propositio hic & definitio summae rei est, tanquam in hoc judicio generalissimo. Partitio sequitur: hi sunt anni, &c. quare hec eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meæ. Quas partes quatuor earumque partium particulæ deinceps suo quamque ordine & loco tractat, & transitionibus copulat; tres primas tertio libro; & sic deinceps.*

*Hæc igitur in variis axiomatis homogeneis suo vel syllogismi judicio notis methodus erit, quoties perspicue res docenda erit.*

*At cum delectatione motuæ aliquo majore ab oratore quovis aut poeta, ut quibuscum vulgo potissimum res est, ducendus erit auditor, cryptis methodi ferè adhibebitur; homogenea quædam rejiciuntur, ut de nitionum, partitionum, transitionumque lumina. Quædam afflentur heterogenea, velut digressiones à re, & in re commorationes. Et præcipue rerum ordo invertetur.*

*Sed oratoribus & poetis sua methodi ratio relinquenda est; vel saltem iis, qui oratorium & poeticam docent.*

## P R A X I S L O G I C Æ

Analytica ex Dounamo.

Ad Cap. tertium R A M I Æ Dialecticæ.

**E**xemplum primum est cæsæ procreantis & conservantis ex Ovidii primo de Remed.

*Ergo ubi visus eris nostra medicabilis arte,  
Fac monitis fugias otia prima meis.  
Hac, ut ames, faciunt: hac quæ fecere timentur;  
Hæc sunt jucundi causa, cibusque mali.  
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,  
Contemptaque jacent & sine luce faces.*

In singulis, quæ ad efficientis doctrinam illustrandam afferuntur, exemplis, tria consideranda sunt, efficiens, effectum, efficiendi modus. In hoc exemplo effectum est amor, efficiens est otium, quod amorem efficit dupli modo, tum procreando, tum conservando, ut in secundo disticho Poeta docet. Dispositio autem hujus exempli (ut pleniorum ejus analysis instituam) syllogistica est. Quæstio, quam Poeta concludendam proponit, hæc est; fugiendum esse otium ei, qui ab amore immunis esse velit: eaque duobus syllogismis concluditur: in priori argumentum tertium ducitur ab effectis quidem otii, amoris vero causa procreante & conservante, hoc modo: amoris procreans & conservans causa vitanda est ei, qui ab amore ipso liber esse velit; otium vero amoris procreans & conservans causa est. Otium igitur fugiendum est ei, qui ab amore liber esse velit. Propositio deest. Assumptio in secundo disticho primo simpliciter proponitur, deinde altera ejus pars de conservante per similitudinem cibi illustratur. Conclusio præcedit in primo disticho. Secunda ratio est consecutarium ex assumptione prioris syllogismi deductum. Otium est causa procreans & conservans amoris; ergo sublatu otio, amor tollitur. Cujus propositio & fundatum est Logicum illud axioma; sublata causa, tollitur effectum, quæ propo- sitio si addatur, plenus erit syllogismus.

Exemplum secundum ibid. ex Æneid. 4.

*Non tibi diva parens generis nec Dardanus auctor.  
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens  
Caucasus. Hyrcaneque admirant ubera Tigres.*

Hic effectum est Æneas. Causæ efficientes, pater, mater, nutrix; modus autem efficiendi non unus: parentes enim liberos efficiunt procreando, nutrix verò contevando. Disponitur autem hoc exemplum axiomate discreto. Anchises & Venus non sunt Æneæ parentes, ut Didoni placet, sed horiens Caucasus & durae cautes: Hyrcanæ autem tigres ut nutrices ubera admoverunt.

Exemplum tertium est solitariae causæ cap. 4. ex *Eneid.* 9.

*Me, me: adsum, qui feci, in me converte ferrum  
O Rutuli, mea fraus omnis: nihil iste nec ausus,  
Nec potuit. —*

In hoc exemplo effectum est cædes Rutulorum. Efficiens hujus cædis Nysus. Quod autem ad modum attinet efficiendi, effecit, ut ipse de se ait, solus. Dispositio autem hujus exempli syllogistica est. Qui solus auctor est cædis, is solus est occidens. Ego verò, inquit, solus auctor cædis sum; ergo, &c. Propositio deest: assumptio continetur versu 2. Mea fraus, i. e. culpa omnis, quam probat remotione socia causa, nihil iste nec ausus est, &c. Conclusio versu 1. Me, me scilicet occidite, in me convertite ferrum, &c.

Eiusdem causæ exemplum aliud, in oratione *Ciceronis pro Marcello*. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, eisque derrahere ducibus & communicare cum multis, ne propriæ sint imperatorum: & certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, sociorum auxilia, classes, commeatus multum juvant: maximam verò partem, quasi suo jure, fortuna sibi vendicat, & quicquid est pròspèrè gestum, id penè omne dicit suum. At verò hujus gloria, Cæsar, quām es paulò ante adeptus, socium habes neminem: totum hoc quantumcunque est, quod certè maximum est, totum inquam, est tuum. Nihil tibi ex ista laude centurio, nihil praefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius se societatem gloria non offert: tibi cedit, tuam esse totam ac propriam fatetur. Hoc exemplum continet plenam comparationem à minore ad majus, ad amplificandam Cæsaris laudem clementiæ. In proto exemplum est causarum, quæ cum aliis efficiunt. Effectum est victoria; efficiens imperator, non quidem solus, sed cum aliis, quarum alia principalis est, & imperatori quasi socia fortuna: aliæ adiuvantes & ministræ, cujusmodi quinque recensentur, militum fortitudo, locorum opportunitas, sociorum auxilia, classes, commeatus. In apodosi exemplum habemus solitariae causæ: effectum est clementia in Marcellum, præstita, Cujus causa & quidem sola est ipse Cæsar; eaque illustratur remotione causarum adjuvantium. Scopus *Ciceronis* est, ut ostendat Cæsarem plus laudis ob clementiam mereri, quām propter res gestas: idque ostendit ex collatis inter se efficiendi modis, quod nimis rerum gestarum Cæsar non solus auctor fuerit, clementiæ verò præstitæ solus. Jam verò efficiens plus laudis vel vituperationis meretur, quæ sola quid facit; quæ verò cum aliis, minus. Sic igitur hæc ratio potest concludi. Cujus Cæsar solus auctor est, id plus meretur laudis, quam cuius solus non est auctor. Rerum in bello gestarum solus auctor non est; clementiæ verò in Marcellum præstitæ solus; proinde clementia Cæsaris plus meretur laudis, quām res in bello gestæ. Hujus syllogismi assumptio tantum in hoc exemplo proponitur; ejusque prior pars enumeratione causarum adjuvantium, posterior remotione earundem illustratur.

Ibidem exemplum causæ instrumentalis primo de *Nat. deor.* *Quibus oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi à Deo atque edificari nondum facit? Quæ molitus? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machina? qui ministri tantū operis fuerunt?* Syllogismus sic sese habet. Qui instrumenta non habuit, is mundum non creavit: Deus instrumenta non habuit; ergo, &c. Hujus syllogismi propositio falsissima deest; conclusio præcedit; assumptio sequitur: eaque per inductionem quandam specierum illustratur. Ultraque autem tum assumptio tum conclusio per interrogationem ἐπειπονωτέραι ne-gatur.

# P E T R I R A M I V I T A E X

## Joanne Thoma Fregio, *Recisis digressionibus, descripta.*

**P**etrus Ramus natus est anno millesimo quingentesimo decimo quinto. Ejus avus, ut ipse in praefatione sua Regiae Professionis memorat, in *Eburonum* gente, familia imprimis illustri fuit: sed patria à *Carolo, Burgundionum* duce, capta & incensa, in *Veromanduorum* agrum profugus, ac spoliatus, carbonarium facere coactus est: hinc *Ramo carbonarius* pater propri loco objectus: sed pater *Agricola* fuit. Puer vix è cunis egressus, ut ipse in *Scheckiano* epilogo de se narrat, duplice peste laboravit. Juvenis invita modisque omnibus repugnante fortuna, *Lutetiam* ad capessendas artes ingenuas venit. Erat statura corporis grandi ac generosa, vultu mitissimo, moribus integerrimis, valitudine firma ac robusta, quam perpetua abstinentia continentiaque & continuo labore etiam firmorem reddidit. *Lutetiae* Magisterii titulum suscepturnus, problema hoc sumpsit; *quacunque ab Aristotele dicta essent, commentitia esse.* Attorniti novitate atque insolentia problematis examinatores ac magistri, per diem integrum, sed irrito conatu, Magistrandum, ut vocant, oppugnarunt. Ex hoc fortuito successu, ansam deinceps serio & liberè in *Aristotelem* animadverendi & inquirendi arripuit. Logicamque imprimis, utpote instrumentum reliquarum artium expolire instituit (ut ipse pluribus persequitur in epilogo l. 5. Scholarum Dialecticarum) sed annum agens ætatis primum & vigesimum hæc moliri incooperat. Septimo post, primam, ut putatur, Dialecticam & *Aristotelicas* Animadversiones ad Academiam Parisiensem edidit: sequente anno *Encliden*: Latinè, quam & praefatione commendavit. Ex eo tempore multos adversarios contra se irritavit, & præsertim duos homines, quos *Talens* in Academia sua dum contentionem totam enarrat, non nominat tamen. Vix, inquit, *Aristotelice* Animadversiones lectæ erant, cum *P. Ramus* repente ad prætorii tribunalis capitalem contentionem per certos homines falso Academiac nomine rapitur, novique criminis accusatur, quod scilicet, *Aristotelem* oppugnando, artes enervaret: hac enim oratione *Aristotelea* actio instituta est. Hinc *Aristoteleorum* clamoribus agitatus, ad summum *Parisienis* curiæ concilium traducitur. Id cum ex adversiorum sententia non procederet, novis artibus à senatu *Parisiensi* ad regiam cognitionem res defertur: constituuntur judices quinque bini ab ultraquæ parte, quintus à rege nominatur; causam de singulis animadversionum capitibus dicere jubetur *Ramus*: qui tametsi de quinque judicibus tres insensissimos habebat, tamen ut mandato regio obtemperaret, ad diem constitutam adfuit; scriba unus aderat, qui rationes *Rami* & judicium sententias exciperet. Biduo magna contentione de Dialecticæ artis definitione & partitione, quæ in Logici Organi libris nullæ essent, concertatum est. Tres *Aristotelei* judices primo die, contra omnes bene descriptæ artis leges, judicarunt ad Dialecticæ artis perfectionem definitione nihil opus esse. Qui duo judices à *Ramo* lecti erant, contrà censuerunt. Postridie tres judices *Aristotelei* vehementer conturbati, de Partitione assentiuntur, causamque in aliam diem rejiciunt. Verum ne non damnaretur *Ramus*, novum consilium initur, ut ab initio tota disputatio retexatur, judicata pridie, pro nihilo habeatur. Ab ista

judicium inconstans provocat *Ramus*; sed frustra; judicium n. sine provocatiōne tribus illis judicibus datur; condemnantur triumvirali illa sententia non solum Animadversiones Aristotelicae, sed Institutiones etiam Dialecticae: auctori interdicitur, ne in posterum vel docendo vel scribendo, ullam Philosophiae partem attingeret: ludi etiam magno apparatu celebrantur, in quibus *Ramus* & *Ramea Dialectica* ludibrio habetur. Ab his difficultatibus unus omnium *Carolus Lotharingus Ramum* liberavit: *Henrico* enim regi persuaserat, Philosophiam semper liberam esse oportere. Hinc *Ramus* pristinæ docendi ac scribendi libertati restitutus, per annos quatuor summa in pace studiis operam dedit. Anno ætatis trigesimo primo Orationem de studiis Philosophiae & Eloquentiae conjungendis habuit: cum *Talao* fratre (sic eum perpetuo vocat) professionis partes ita divisit, ut *Talao* matutinis horis philosophiam, ipse pomeridianis Eloquentiam doceret: in poetis, oratoribus, philosophis omnisque generis auctoribus explicandis, usum dialecticæ demonstravit: id *Ramo* postea crimini datum est, quod in philosophico studio non Philosophos, sed, contra leges Academiae, pro philosophis Poetas explicaret: purgat se *Ramus*; petisque ut gymnasium suum *Praleum* per probos & doctos homines invisatur. Sed judex quidam, nobilis adolescentis, datus, discipulos *Rami* indicta causa, condemnat; publicis & scholis & sigillis & tabulis prohibet; omnibus denique Academiae muneribus & præmiis excludit. Ab hac sententia tam nova discipuli *Rami* ad *Julianense* philosophorum comitium provocant, & absolvuntur, modò præceptor eorum jurejurando confirmat, libros, Academias legibus definitos, à se esse prælectos. Confirmat *Ramus*: paulò tamen post ab eodem judge adolescenti, non discipuli, ut antea, sed magistri eorum oppugnantur: *Ramo* injungitur, ut in publicis scholis disciplinam suam ipse detestaretur & ejuraret. Is ad superiores Academias ordines secundò provocat: sed cum vitandi tumultus causa, scripto se absens, defenderet, adolescentis ille judex, et si duabus apellationibus rejectus, tertio judicat ac damnat. Quarto provocat *Ramus*: cum provocationis diem accusator antevertisset, coactus est *Ramus* subito in senatum venire: hic iterum *Carolus Lotharingus* unico præsidio fuit: accusacionem cuiusdam audiit gravissimam *Ramum Academicum* nominantis, qui de humanis divinisque libibus dubitarer, qui lubricos *D. Augustini* locos ad effrenatam atque impiam libertatem suis auditoribus proponeret, & quo facilius incautis animis abuteretur, omnes Logicas disputationes tolleret. Contra has calumnias facile se defendit *Ramus*. Decretum est itaque in senatu, ut *Ramus* discipulique ejus in pristinum atque integrum statum restituerentur. Ipse anno ætatis trigesimo sexto cum *Blessis Carolus Lotharingus* ad *Henricum* regem de disciplina *Ramea* retulisset, in numerum atque ordinem Regiorum Professorum per literas regias honorificè ad se scriptas, est cooptatus. Gratias itaque & regi *Henrico* & *Carolo Lotharingo* publicè egit; sibi persuasit, te à rege in præstantissima reip. parte esse collocatum; sibi adeo dies ac noctes esse summo studio entitendum, ne tanto muneri ac professioni eloquentiae si nul & philosophiae deesset: unde animos adolescentium tanta audiendi & proficiendi cupiditate inflamavit, ut schola regia, licet ad audiendum amplissima, plerumque tamen auditorum concursum frequentiamque capere minime potuerit. Adversariorum petulantiam summa constantia tulit atque pervicit; symbolumque ejus hoc fuit, *Labor omnia vincit*. Anno 1552. cum in *Cameracensi* schola frequentissimis auditoribus Dialecticam suam auspicaretur, inter strepitum, clamores, sibilos nihil commotus, per intervalla clamorum, incredibili constantia perexit & peroravit: qua ejus virtute consernati inimici, in posterum minus ei molestiae exhibuerunt. In *Heidelbergensi* etiam Academia, principis authoritate ad profitendum adductus, consimiles æmolorum clamores invicto animo pertulit. Adversus doctos aliquot homines *Goveanum*, *Gallandum*, *Perionum*, *Turnebum*, *Melanthonum*, pari silentio est usus. Viginti annis abstemius fuit, donec sanitatis causa medici vi no uti suaserunt: vini enim fastidium ceperat ex quo infans in cellam vinariam clam parentibus irrepens, se tam immodicè ingurgitavit, ut mortuo similis humi reperiatur. Pro lectulo stramentis ad senectudem usque usus est. Cœlebs tota vita permanxit. *Pralei* gymnasii labore (qui ipsi sine ullo publico stipendio erat mandatus) contentus fuit. A discipulis suis oblata munera, quamvis debita, tamen non accepit. Anno 1556. *Ciceronianum* edidit de Optima

etima juventutis instituendæ ratione. Pronuntiationem Latinæ linguae in Academia Parisiensi tunc temporis inquinatissimam, corrigendi author cum primis fuit, reclamantibus licet Sorbonistis, pravarum omnium consuetudinum propugnatoribus tam obstinatis, ut sacerdotem quendam novatae pronuntiationis coram senatu Parisensi insimulatum, quasi ob haeresin, ut aiebant, Grammaticam, amplissimis proventibus ecclesiasticis privandum contenderent: & lite quidem superiores videbantur discessuri, nisi P. Ramus cæterique professores regii ad curiam convolantes, judicij tam alieni insolentiam disfluisserent. Verum illius temporis tam crassa ignorantia fuit, ut libris editis proditum sit, in ea Academia doctores extitisse, qui mordicus defenderent, ego amat tam commodam syntaxin esse, quam ego amo; ad eamque pertinaciam comprimendam, autoritate publica opus fuisset. In Mathematicis quid effecerit Ramus, Scholæ Mathematicæ aliisque ejus opera testantur. Ea meditantem, belli civilis calamitas interpellavit; acceptis igitur à rege literis, ad regiam Fontisbelaquei bibliothecam profectus, Mathematicas prælectiones ab initio plenius & uberioris tractavit. Tum id Italianam cogitabat, quo ipsum Bononia honorificè invitarat; vel saltem in Germaniam: sed viis omnibus terror mortis intentatus, rumor etiam Praelei sui indignis modis direpti ac bibliothecæ spoliatae, ad regiam Vincennarum proprius urbem revocarunt. Sed & alia vis etiam gravius urgebat, ut è Vincennis per invia itinera profugiendum esset, & subinde variis in locis delitescendum: in fuga tamen & latebris otium hospitialeque sui cupidissimos reperit; in eoque otio Scholas Physiscas conscripsit, vel potius inchoavit. Erumpente rursus bello civili, in optimatuni castra profugit: eo tumultu post sex menses sedato, reversus, nihil in bibliotheca præter inania reperit scrinia; mathematicas tantum commentationes Resnerus (qui Parisis permansit) di-reptoribus commodum eripuit. Impendente jam tertium civili bello, impetravit à rege Carolo ad invisendas exteras Academias annuam dimissionem, quasi legationem liberam. In extremis regni finibus, vix militum quorundam manus, nisi prolato in medium diplomate regio, effugisset. Ter dimissus, ter repetitus, tandem velocitate summa eo pervenit, ubi sicariis licentia nequaque pareat. Adventus ejus in Germaniam bonorum ac doctorum omnium singulari humanitate & gratulatione exceptus est. Argentorati Joannes Sturmius, ejus Academiæ author simul & rector, per amanter eum accepit deinde Academia tota adjunctis etiam quibusdam ad ampliorem gratulationem comitibus & baronibus, liberalissime tractavit: quo die, denique, nobilissimæ nuptiæ in eo loco celebabantur, in prytaneum summus urbis Magistratus, publicæ gratulationis gratia cum Sturmio eum adduxit. Bernam præteriens, tantum vidi, nec tamen sine Consulis Stegeri honorifica liberalitate, atque Halleri, Aretii, aliquorumq; doctissimorum hominum amica gratulatione discessit. Tiguri, Henricus Bullingerus simulatque in urbem ingressus est Ramus, gratulator primus affuit, coenamque ei apparavit, eruditissimis convivarum, Josæ Simleri, Rodolphi Gualteri, Lodovici Lavaleri sermonibus longè gratissimam. Postridie cùm ab eodem Bullingerio in aulam publicam deduceretur, miratus quid sibi vellet in eum locum frequentissimus civium cuiusque ordinis conventus, quæsivit ex eo, ecquæ illic etiam, ut Argentinæ, nobiles nuptiæ celebrarentur. Cui Bullingerus, Tibi, inquit, nostra civitas nuptias istas celebrat. Præbuit ei Heidelberga amicum Ursinum, Olevitanum, hospitem etiam Immanuelem Tremellium, sautorem deinde ipsum Electorem Palatinum, qui discedentem Ramum, aurea imagine sua donavit. Inde Francosurtum pergens, à primariis aliquot civibus honorificè est acceptus: deinde Noribergam ad præstantissimos opifices & mechanicos aliisque viros doctos & præsertim Joachimum Camerarium, profectus est: hic jurisconsultorum collegio mandatum à senatu est, ut P. Ramo convivium publico urbis nomine instruerent. Inde Augustam perexit ubi urbis consul primarius eum liberalissime tractavit, adhibitus in convivium eruditis variæ doctrinæ convivis, sed imprimis Hieronimo Wolfio, & Tichone Bracheo, cum quo post prandium in suburbanum consulis deductus, varios sermones de studiis mathematicis habuit. Rumore tandem restitutæ pacis revocatus, Lausannam contendit: hic a viris doctis exoratus, Logicam ἀνθρώπων dies aliquot maximo concursu exhibuit. Geneva cum doctissimis hominibus tum de cæteris liberalibus studiis, tum de Logicis colloquio illi assidua fuit, maximè cum Francisco de Cretensi & Andrea Melvino Scoto. Cum aliis multis eruditissimis viris, in Italia Commandino & Papiro,

pio, in *Anglia* *Dio* & *Acontio*, in *Germania* *Chytreo*, aliisque permultis amicitiam per literas jaxantè coluerat. Nobiles & inclytæ civitates eum magnis & honorificis muneribus, & sexcentorum coronatorum oblato stipendio appetiverunt. *Joannes electus rex Pannoni* amplissimo stipendio *Alba Juliae* regendam Academiam illi obtulit. *Cracovium* liberalissimè, immo in *Italianam* mille ducatorum stipendio *Bononiam* invitatus, patriam tamen deserere noluit: itaque *Carolus ix.* petitum undique calumniis domi, invidorūmque morsibus, non solum præsenti ope sublevavit, sed honore auxit & amplificavit. eique vacationem a laboribus concessit. Tandem, anno 1572. in illa *Parisensi Christianorum* ac civium iternectione, indignissime periit. Necis causam sunt qui in æmulos ejus conseruant: plerique eandem quæ cæteris ea nocte trucidatis fuisse existimant. Legatum annum Mathematico Professori in *Parisensi* Academia luculentum testamento reliquit.

---

Autoris

## Autoris

# EPISTOLARUM FAMILIARIUM LIBER UNUS:

*Quibus accesserunt*

*Ejusdem, jam olim in Collegio Adolescentis,  
Prolusiones quædam Oratoriæ.*

*Thomæ Junio Præceptori suo.*

1. **Q**uanquam statueram apud me (Præceptor optime) Epistolium quod-dam numeris metricis elucubratum ad te dare, non satis tamen habuisse me existimavi, nisi aliud insuper soluto stylo exarassem; incredibilis enim illa & singularis animi mei gratitudo, quam tua ex debito vindicant in me merita, non constricto illo, & certis pedibus ac syllabis angustato dicendi genere exprimenda fuit, sed Oratione liberâ, immò potius, si fieri posset, Asiaticâ verborum exuberantiâ. Quamvis quidem satis exprimere quantum tibi debeam, opus sit meis viribus longè majus, etiamsi omnes quo-cunque Aristoteles, quo scunque Parisiensis ille Dialecticus congesit argumentorum πόντος exinanirem, etiamsi omnes elocutionis fonticulos exaurirem. Quereris tu vero (quod merito potes) literas meas raras admodum & per breves ad te delatas esse; ego vero non tam doleo me adeo jucundo, adeoque experendo defuisse officio, quam gadeo & pene exulto eum me in amicitia tua tenere locum, qui possit crebras à me Epistolas efflagitare. Quod autem hoc plusquam triennio nunquam ad te scripserim, quælo ut ne in pejus trahas, sed pro mirifica ista tua facilitate & candore, in mitiorem partem interpretari digneris. Deum enim testor quam te instar Patris colam, quam singulari etiam observantia te semper prosecutus sim, quamque veritus chartis meis tibi obstrepere. Curo nempe cum primis, cum Tabellas meas nihil aliud commendet, ut commendet raritas. Deinde, cum ex vehementissimo, quo tui afficiar desiderio, adesse te semper cogitem, teque tanquam præsentem alloquar & intuear, dolorique meo (quod in amore fere fit) vanâ quâdam præsentia tua imaginatione ad blandiar; vereor profecto, simulac literas ad te mittendas meditarer, ne in mentem milii subito veniret, quam longinquò à me distes terrarum intervallo; atque ita recruderetur dolor absentia tua jam prope consopitus, somniūmque dulce discuteret. Biblia Hebræa, pergratum sane munus tuum, jampridem accepi. Hæc scripsi Londini inter urbana diverticula, non Libris, ut soleo, circumscriptus: Si quid igitur in hac Epistola minus arriserit, tuamque frustrabitur expectationem, pen-sabitur alia magis elaboratâ, ubi primum ad Musarum spatio rediero.

*Londino, Martii 26, 1625.*

*Alexandro Gillio:*

2. **A**ccepi literas tuas, & quæ me mirifice oblectavere, carmina sane gran-dia, & Majestatem vere Poeticam, Virgilianumque ubique ingenium redolentia. Sciebam equidem quam tibi tuoque genio impossibile futurum esset, à rebus Poeticis avocare animum, & furores illos cœlitus instinctos, faciūmque & æthereum ignem intimo pectore eluere, cum tua (quod de seipso Claudia-nus)

nus) — *Totum spirent Praecordia Phœbum.* Itaque si tua tibi ipse promissa telleris, laudo hic tuam (quod ait) inconstantiam, laudo, siqua est, improbitatem; me autem tam præclari Poematis arbitrum à te factum esse, non minus gloriō, & honori mihi duco, quam si certantes ipsi Dii Musici ad meum venissent judicium; quod Timolo Lydii montis Deo populari olim contigisse fabulantur. Nescio sane an Henrico Naslovio plus gratuler de urbe capta, an de tuis Carmínibus: nihil enim existimo victoriam hanc peperisti Poematio hoc tuo illustrius, aut celebrius. Te vero, cum prosperos sociorum successus tam sonorā triumphalique tubā canere audiamus, quantum vatem sperabimus, si forte res nostrae demum feliciores tuas Musas polcant Gratulatrices. Vale vir eruditus, summasque à me tibi gratias Carmínū tuorum nomine haberi scias.

*Londino. Maii 20, 1628.*

*Eidem.*

3. Prior illâ Epistola meâ non tam rescripsi tibi, quam rescribendi vices deprecatus sum, alteram itaque brevi secuturam tacite promisi, in qua tibi me amicissime provocanti latius aliquanto responderem; verum ut id non esset pollicitus, hanc utcunque summo jure deberi tibi fatendum est, quandoquidem singulas ego literas tuas non nisi meis binis pensari posse exultimem, aut si exactius agatur, ne centenis quidem meis. Negotium illud de quo scripsi subobscurus, ecce Tabeilis hisce involutum, in quo ego, cum tua ad me peruenit Epistola, distractus temporis angustiâ magnō tum primum opere desudabam: quidam enim Aedium nostrarum Socius, qui Comitiis his Academicis in Disputatione Philosophica responsurus erat, Carmina super quæstionibus pro more annuo componenda, prætervectus ipse jamdiu levicuias i'liusmodi rugas, & rebus seriis intentior forte meæ Puerilati commisit. Hæc quidem Typis donata ad te misi, utpote quem nōrum rerum Poeticarum judicem acerrimum, & metrum candidissimum. Quod si tua mihi vicissim communicare dignaberis certè non erit qui magis iis delectetur, erit, fateor, qui rectius pro eorum dignitate judicet. Evidem quoties recolo apud me tua mecum assidua pene colloquia (quæ vel ipsis Athenis, ipsâ in Academiâ, quæro, desideroque) cogito statim nec sine dolore, quanto fructu mea f. audârit absentia, qui nunquam à te discessi sine manifesta Literarum accessione, & Cœlesti, planè quasi ad Emporium quoddam Eruditionis protectus. Sane apud nos, quod sciam vix unus & que alter est, qui non Philologiae, pariter & Philosophiae, prope rudit & proutanus, ad Theologiam devolet implumis; eam quoque leviter admodum attingere contentus, quantum forte sufficiat conciunculae quoquo modo conglutinanda, & tanquam tritis aliunde pannis consuendæ: adeo ut verendum sit ne sensim ingruat in Clerum nostrum sacerdotalis illa superioris sæculi Ignorantia. Ne ego profecto cum nullos sere studiorum consortes hic reperiām, Londinum rectâ respicerem, nisi per justitium hoc æstivum in otium alte Literarium recessere cogitarem, & quasi Claustris Musarum delitescere. Quod cum jam tu indies facias, nefas esse propemodum existimo diutius in præsentia tibi interfrepere. Vale.

*Cantabrigia, Julii 2, 1628.*

*Thomæ Junio.*

4. Inspectis Literis tuis (Præceptor optime) unicum hoc mihi supervacaneum occurrebat, quod tardæ scriptio excusationem attuleris; tametsi enim Literis tuis nihil mihi queat optabilius accidere, qui possim tamen, aut debeam sperare, otii tibi tantum à rebus seriis, & sanctioribus esse, ut mihi semper respondere vacet; præsertim cum illud humanitatis omnino sit, officii minime. Te vero oblitum esse mei ut suspicer, tam multa tua de me recens merita nequam finunt. Neque enim video quorū tantis onustum beneficiis ad obliuionem dimitteres. Rus tuum accersitus, simul ac ver adoleverit, libenter adveniam,

veniam, ad capessendas anni, tuique non minus colloquii, delicias; & ab urbano strepitu subducam me paulisper, Stoam tuam Icenorum, tanquam ad celeberrimam illam Zenonis porticum, aut Ciceronis Tusculanum, ubi tu in re modica regio sane animo veluti Serranus aliquis aut Curius in agello tuo placide regnas, deque ipsis divitiis, ambitione, pompâ, luxuriâ, & quicquid vulgus hominum miratur & stupet, quasi triumphum agis fortunæ contemptor. Ceterum qui carditatis culpam deprecatus es, hanc mihi vicissim, ut spero, præcipiantiam indulgebis; cum enim Epistolam hanc in extremum distulisse, malui pauca, eaque rudiuscule scribere, quam nihil. Vale Vir Observande.

*Cantabrigia, Julij 21. 1628.*

*Alexandro Gillio.*

5. **S**I mihi Aurum, aut cælata pretiose vasa, aut quicquid istiusmodi mirantur Mortales, dono dedisses, puderet certe non vicissim, quantum ex meis facultatibus suppeteret, te aliquando remunerasse. Cum vero tam lepidum nobis, & venustum Hendecasyilabon nudiusertius donaveris, quanto charius quidem Auro illud est merito, tanto nos reddidisti magis sollicitos, quâ re conquisitâ tam jucundi beneficii gratiam rependereimus; erant quidem ad manum nostra hoc in genere nonnulla, sed quæ tuis in certamen muneris æquale nullo modo mittenda censerem. Mitto itaque quod non plane meum est, sed & vatis etiam illius vere divini, cuius hanc Oden alterâ ætatis septimanâ, nullo certe animi proposito, sed subito nescio quo impetu ante lucis exortum, ad Græci carminis Heroici legem in lectulo fere concinnabam: ut hoc scilicet innixus adjutore qui te non minus argumento superat, quam tu me artificio vincis, habebam aliquid, quod ad æquilibrium compensationis accedere videatur; si quid occurrit, quod tuæ de nostris, ut soles, opinioni minus satisfecerit, scias, ex quo ludum vestrum reliquerim hoc me unicum atque primum græce composuisse, in Latinis, ut nosti, Anglicisque libentius versatum. Quandoquidem qui Græcis componendis hoc sæculo studium atque operam impendit, periculum est, ne plerumque furdo canat. Vale, meque Die Lunæ Londini ( si Deus voluerit) inter Bibliopolas expecta. Interim si quid apud illum Doctorem, annuum Collegii Præsidem, quâ vales amicitiâ, nostrum poteris negotium promovere; cura quæso, ut meâ causâ quam cito adeas; iterum Vale.

*E nostro Suburbano, Decemb. 4. 1634.*

*Carolo Diodato.*

6. **J**AM istuc demum plane video te agere, ut obstinato silentio nos aliquando pervincas; quod si ita est, euge habe tibi istam gloriolam, en scribimus priores: quanquam certe si unquam hæc res in contentionem veniret, cur neuter alteri δια χρόνος scripserit, cave putas quin sim ego multis partibus excusator futurus: διλον ὅτι ἀς βερδύς καὶ ὄνυχός τις ἀν φύσει τρόπος τὸ γεγένειν, ut probe nōsti, cum tu contra sive naturâ, sive consuetudine, ad hujusmodi Literarias τεοτφωνίσεις haud ægre perduci soleas. Simul & illud pro me facit, quod tuam studi rationem ita institutam cognovi, ut crebro interspires, ad amicos vias, multâ scribas, nonnunquam iter facias; meum sic est ingenium, nulla ut mora, nulla quies, nulla ferme ullius rei cura, aut cogitatio distineat, quoad pervadam quo feror, & grandem aliquam studiorum meorum quasi periodum conficiam. Atque hinc omnino, nec aliunde, fodes, est factum, uti ad officia quidem ultro deferenda spissius accedam, ad respondendum tamen, O noster Theodote non sum adeo cessator; neque enim commisi ut tuam Epistolam unquam ullam debitâ vice nostra alia né clauerit. Quid! quod tu, ut audio, Literas ad Bibliopolam, ad Fratrem etiam sèpiuscule; quorum utervis propter vicinitatem satis commode præstissem, mihi, si quæ essent, reddendas. Illud vero queror, te, cum esles pollicitus ad nos fere ut diverteres cum ex urbe discederes, promissis non steriles: quæ promissa abs te præterita si vel semel cogitasses, non desuisset prope necessarium scribendi

argumentum. Atque hæc habui quæ in te merito, ut mihi videor, declamarem. Tu quæ ad hæc contra parabis ipse videris. Verum interim quid est quælo? reciène vales? ecquinam iis in locis erudituli sunt quibuscum libenter esse, & garris possis, ut nos consuevimus? quando redis? quamdiu tibi in animo est apud istos ~~ταῦτα~~ commorari? tu velim ad hæc mihi singula respondeas: sed enim ne nescias non nunc dèmum res tuæ cordi mihi sunt, nam sic habeto me ineunte autumno ex itinere ad fratrem tuum eo consilio deflexisse, ut quid ageres, scirem. Nuper etiam cum mihi temere Londini perlatum esset à nescio quo te in urbe esse, confestim & quasi ~~αὐτοβοι~~ proripui me ad cellam tuam, at illud σκηνεῖς ὄντες, nusquam enim compares. Quare quod sine tuo incommodo fiat, advola ocyus & aliquo in loco te siste, qui locus mitiorem spem præbeat, posse quoquo modo fieri ut aliquoties inter nos saltem visamus, quod utinam nobis non aliter essey vicinus, rusticanus atque es urbicus, ~~ανατολής~~ θερμή φίλον. Plura vellem & de nobis, & de studiis nostris, sed mallem coram; & jam cras sumus rus illud nostrum reddituri, urgetque iter, ut vix hæc propere in chartam conjecerim. Vale.

Londino, Septemb. 2. 1637.

Eidem.

7. QUOD cæteri in Literis suis plerunque faciunt amici, ut unicam tantum satutem dicere sat habeant, tu illud jam video quid sit quod toties imperias; ad ea enim quæ tute prius, & alii adhuc sola afferre possunt vota, jam nunc artem insuper tuam, vimque omnem medicam quasi cumulum accedere vis me scilicet intelligere. Jubes enim salvare sexcenties, quantum volo, quantum possum, vel etiam amplius. Næ ipsum te nuper Salutis condum promum esse factum oportet, ita totum salubritatis penum dilapidas, aut ipsa proculdubio sanitas jam tua Paralita esse debet, sic pro Rege te geris atque imperis ut dictio sit audiens; itaque gratulor tibi, & duplici proinde nomine gratias tibi agam necesse est, cum amicitiæ tum artis eximiæ. Literas quidem tuas, quoniam ita convenerat, diu expectabam; verum acceptis neque dum ullis, si quid mihi credis, non idcirco veterem meam erga te benevolentiam tantillum refrigerescere sum passus; immo vero quâ tarditatis excusatione usus Literarum initio es ipsam illam te allaturum esse jam animo præsenseram, idque recte, nostraque necessitudini convenienter. Non enim in Epistolarum ac Salutationum momentis veram verti amicitiam volo, quæ omnia ficta esse possunt; sed altis animi radicibus niti utrinque & sustinere se; coeptamque sinceris, & sanctis rationibus, etiam si mutua cessarent officia, per omnem tamen vitam suspicione & culpa vacare: ad quam foyendam non tam scriptio sit opus, quam vivâ invicem virtutum recordatione. Nec continuò, ut tu non scriperis, non erit quo illud suppleri officium possit, scribit vicem tuam apud me tua probitas verasque literas intimis sensibus meis exarat, scribit morum simplicitas, & recti amor; scribit ingenium etiam tuum, haudquaquam quotidianum, & majorem in modum te mihi commendat. Quare noli mihi, arcem illam Medicinæ tyrannicam nactus, terrores istos ostentare, ac si salutes tuas sexcentas velles, subductâ minutim ratiunculâ, ad unum omnes à me reposcere, si forte egc, quod ne siverit unquam Deus, amicitiæ desertor fierem; atque amove terribile illud ~~Επιτεχσια~~ quod cervicibus nostris videris imposuisse, ut sine tua bona venia ne liceat ægrotare. Ego enim ne nimis minitère, tui similes impossibile est quin amem, nam de cætero quid de me statuerit Deus nescio, illud certe; ~~δεινόν μεταπέμπει~~, εἰπέ τῷ ἀνα, ~~τῷ~~ καλύτερον εἶναι. Nec tanto Ceres labore, ut in fabulis est, Liberam fertur quæsivisse filiam, quanto ego hanc ~~τῷ~~ καλύτερον, veluti pulcherrimam quandam imaginem, per omnes rerum formas & facies: (~~πινα~~ αἱ γὰρ μορφαὶ τῷ διαμορφών) dies noctesque indagare soleo, & quasi certis quibusdam vestigiis ducentem sector. Unde fit, ut qui, spretis quæ vulgus pravâ retum æstimatione opinatur, id sentire & loqui & esse audet; quod summa per omnem ævum sapientia optimum esse docuit, illi me protinus, sicubi reperiām, necessitate quadam adjungam. Quod si ego sive naturâ, sive meo fato ita sum comparatus, ut nullâ contentione, & laboribus meis ad tale decus & fastigium laudis ipse valeam emergere; tamen quo minus qui eam gloriam aſsecuti sunt, aut eo feliciter

feliciter aspirant, illos semper colam, & suspiciam, nec Dii puto, nec homines prohibuerint. Cæterum jam curiositati tuæ vis esse satisfactum scio. Multa sôlicite quæris, etiam quid cogitem. Audi, Theodote, verum in aurem ut ne rubeam, & finito paulisper apud te grandia loquar; quid cogitem quæris; ita me bonus Deus immortalitatem. Quid agam vero? πέρι φυσικῶν, & volare meditor: sed tenellis admodum adhuc pennis evehit se noster Pegasus, humile sapiamus. Dicam jam nunc serio quid cogitem, in hospitium Juridicorum aliquod immigrare, sicubi amœna & umbrosa ambulatio est, quod & inter aliquot fidales, commodior illuc habitatio, si domi manere, & ὀπουντικοὶ εὐπεπεριστεροὶ quoconque libitum erit excurrere; ubi nunc sum, ut nosti, obscure, & angustè sum; de studiis etiam nostris fies certior. Græcorum res continuatâ lectione deduximus usquequo illi Græci esse sunt desiti: Italorum in obscura re diu versati sumus sub Longobardis, & Francis & Germanis, ad illud tempus quo illis ab Rodolpho Germaniæ Rege concessa libertas est; exinde quid quæque Civitas suo Marte gesserit, separatim legere præstabit. Tu vero quid? quoisque rebus domesticis filiusfamilias imminebis urbanarum sodalitatum oblitus? quod, nisi bellum hoc novercale, vel Dacico, vel Sarmatico infestius sit, debebis profecto maturare, ut ad nos saltem in hyberna concedas. Interim, quod sine tua molestia fiat, Justinianum mihi Venetorum Historicum rogo mittas; ego meâ fide aut in adventum tuum probe asservatum curabo; aut, si mavis, haud ita multo post ad te remissum. Vale.

Londino, Septemb. 23. 1637.

Benedicto Bonmatthæo Florentino.

8. Quod novas patriæ linguæ Institutiones adornas (Benedicte Bonmatthæe) jam operi fastigium impositurus, & commune tu quidem cum summis quibusdam ingeniis iter ad laudem ingrederis, & eam spem, quod video, eamque de te opinionem apud Cives tuos concitâsti, ut qui ab aliis quæ tradita jam sunt, iis aut lucem, aut copiam, aut certe limam, atque ordinem tuo marte facile sis allaturus. Quo nomine profecto populares tuos quam non vulgarem in modum tibi devinxeris, ingrati nempe sint ipsi, si non perspexerint. Nam qui in civitate mores hominum sapienter nôrit formare, domique & belli præclaris institutis regere, illum ego præ cæteris omni honore apprime dignum esse existimem. Proximum huic tamen, qui loquendi scribendique rationem & normam probo gentis saeculo receptam, præceptis regulisque sancti canticis admittitur, & veluti quodam vallo circummunire; quod quidem ne quis transire ausit, tantum non Romulea lege sit cautum. Utriusque enim horum utilitatem conferre si libet justum utrique & sanctum Civium convictum alter ille solus efficere potest; hic vero solus liberalius, & splendidius, & luculentus, quod proxime in votis est. Ille in hostem fines invadentem, ardorem credo excelsum, & intrepida consilia suppeditat.; Hic Barbariem animos hominum late incursantem, foedam & intestinam ingeniorum perduellem, doctâ aurim censurâ, Authorumque bonorum expeditâ manu, explodendam sibi, & debellandam suscipit. Neque enim qui sermo, purusne an corruptus, uæve loquendi proprietas quotidiana populo sit, parvi interesse arbitrandum est, quæ res Athenis non semel saluti fuit: immo vero, quod Platonis sententia est, immutato vestiendi more habituq; graves in Republica motus, mutationesq; portendi, equidem potius collabente in vitium atq; errorem loquendi usu, occasum ejus urbis, remq; humilem & obscuram subolequi crediderim: verba enim partim inscita & putida, partim mendosa, & perperam prolata; quid si ignavos & oscitantes, & ad servile quidvis jam olim paratos incolarum animos haud levi indicio declarant? Contra, nullum unquam audivimus imperium, nullam civitatem non mediocriter saltem floruisse, quædiu Linguæ sua gratia, suusq; cultus constituit. Tu itaque, Benedicte, hanc operam Reipublicæ tuæ navare modo ut pergas, quam pulchram, quamq; solidam à civibus tuis necessario gratiam initurus sis, vel hinc liquido specta. Quæ à me eo dicta sunt, non quod ego te quidquam horum ignorare censeam, sed quod mihi persuadeam, in hoc te magis multo intentum essem, quid tute patriæ tuæ possis persolvere, quam quid illa tibi jure optimo sit debitura. De exteris jam nunc dicam, quorum demerendi, si tibi id cordi est, persane ampla in præsens oblata est occasio; ut enim est apud eos ingenio quis forte floridior, aut moribus

moribus amoenis & elegantibus, Linguam Hetruscam in deliciis habet præcipuis, quin & in solida etiam parte eruditionis esse sibi ponendam dicit, præsertim si Græca aut Latina, vel nullo, vel modico tinctu imberit. Ego certe istis utique Linguis non extremis tantummodo labris madicis; sed si quis alias, quantum per annos licuit, poculis majoribus prolatus, possum tamen nonnunquam ad illum Dantem, & Petrarcham aliosque vestros complusculos, libenter & cupide commeslatum ire: nec me tam ipsæ Athenæ Atticæ cum illo suo pellucido Illico, nec illa vetus Roma suâ Tiberis ripâ retinere valuerunt; quin saepè Arnum vestrum, & Fæsulanos illos colles invisiere amem. Jam vide, obsecro, numquid fatis causæ fuerit, quæ me vobis ultimum ab Oceano hospitem per hosce aliquot dies dederis, veliracq; Nationis ita amantem, ut non ullius, opinor, magis. Quo magis merito potes meminisse, quid ego tanto opere abste contendere soleam; uti jam inchoatis, majori etiam ex parte absolutis, velles, quantâ maxima facilitate res ipsa tulerit, in nostram exterorum gratiam, de rectâ linguæ pronuntiatione adhuc paululum quiddam adjicere. Cæteris enim sermonis vestri consultis in hanc usque diem id animi videtur suis, suis tantum ut satisfacerent, de nobis nihil solliciti. Quanquam ille meo quidem judicio, & famæ suæ, & Italici sermonis gloriae, haud paulo certius consoluissent, si præcepta ita tradidissent, ac si omnium mortalium referret ejus linguæ scientiam appetere: verum per illos non stetit quo minus nobis videremini vos Itali, intra Alpium duntaxat pomœria sapere voluisse. Hæc igitur laus prælibata nemini, tota erit tua, tibi intactam & integrum hucusque se servat; nec illa minus, si in tanta Scriptorum turba commonstante separatim non gravabere, quis post illos decantatos Florentinæ linguæ auctores poterit secundas haud injuriâ sibi asserre: quis Tragœdia insignis, quis in Comœdia festivus & lepidus; quis scriptis Epistolis aut Dialogis, argutus aut gravis; quis in Historia nobilis: ita & studiose potiorem quemque eligere volenti non erit difficile, & erit, quoties vagari latius libebit, ubi pedem intrepide posse figere. Quâ quidem in re, inter Antiquos Ciceronem & Fabium habebis, quos imiteris; vestrorum autem hominum haud scio an ullum. Atque hæc ego tametsi videor mihi abs te (nisi me animus fallit) jam primo impetrasse, quoties in istius rei mentionem incidimus, quæ tua comitas est, & benignum ingenium; nolo tamen id tibi fraudi sit, quo minus exquisite, ut ita dicam atque elaborate exorandum te mihi esse putem. Nam quod tua virtus, tuusque candor, minimum rebus tuis pretium, minimamque aestimationem addicit; iis ego, justam volo, & exactam, cum rei dignitas, tum adeo mea observantia imponat; & certe hoc æquum est ubique, quanto quis petenti faciliorem se præbet, tanto minus concedentis honori deesse oportebit. De cætero, si forte cur in hoc argumento, Latinâ potius quam vestrâ Linguâ utar, miraris; id factum è gratiâ est ut intelligas quam ego Linguam abs te mihi præceptis exornandam cupio, ejus me plane meam imperitiam, & inopiam Latine confiteri; & hâc ipsâ ratione plus me valitetur apud te speravi simul & illud, si canam; & venerandam è Latio matrem, in filiæ causâ suæ mecum adjutricem adduxissem, credidi fore ejus authoritati, & reverentiae, auctoritateque per tot sæcula Majestati, nihil ut denegares. Vale.

*Florentia, Septemb. 10. 1638.*

### *Lucæ Holstenio Romæ in Vaticano.*

9. **T**Ametsi multa in hoc meo Italiae transcursu multorum in me humaniter & per amice facta, & possum, & saepè soleo recordari; tamen pro tam brevi notitia, haud scio an jure dicam ullius majora extitisse in me benevolentie indicia quam ea quæ mihi abs te profecta sunt. Cum enim tui conveniendi causâ in Vaticanum ascenderem, ignotum prorsus, nisi si quid forte ab Alessandro Cherubino dictum de me prius fuerat, summâ cum humanitate receperisti; mox in Musæum comiter admisso, & conquisitissimam Librorum supellecilem, & permultos insuper Manuscriptos Authores Græcos, tuis Lucubrationibus exornatos, adspicere licuit: quorum partim nostro sæculo nondum vidi, quasi in procinctu, velut illæ apud Maronem,

— penitus convalle virenti  
Inclusæ animæ superumque ad limen iure.

expe-

expeditas modo Typographi manus, & ~~per ad. tenuis~~ poscere videbantur; partim tuâ operâ etiam nūn editi, paſſim ab eruditis avide accipiuntur; quorum & unius etiam dupli ci dono abs te auctus dimittor. Tum nec aliter crediderim, quam quæ tu de me verba feceris ad prætantissimum Cardin. Franc. Barberinum, iis factum esse, ut cum ille paucis post diebus ~~angustus~~ illud Musicum magnificentiâ vere Romana publice exhibereret, ipse me tanta in turba quæſitum ad fores expectans, & pene manu prehensum persane honorifice intro admiserit. Quâ ego gratiâ cum illum poſtridie ſalutatum accessiſsem, tute idem rursus is eras, qui & aditum mihi fecisti, & colloquendi copiam; quæ quidem cum tanto viro, quo etiam in ſummo dignitatis fastigio nihil benignius, nihil humanius, pro loci & temporis ratione largiuscula profecto potius erat, quam nimis parca. Atque ego ( Doctissime Holſteni ) utrum ipſe ſim ſolus tam te amicum, & hofpitem expertus, an omnes Anglos, id ſpectans ſcilicet quod triennium Oxoniæ Literis operam dederis, iſtiusmodi officiis etiam quoscumque profequi ſtudium fit, certe nescio. Si hoc eſt, pulchre tu quidem Angliae noſtræ, ex parte etiam tuæ, ~~doceo~~ & perſolvis; privatōque noſtrū cujuſque nomine, & patriæ publico, parem utrobiq; gratiam promotereris. Sin eſt illud, eximium me tibi præ cæteris habitum, dignumque ad eo viſum quicquid velis ~~ſervare~~, & mihi gratulor de tuo judicio, & tuum ſimul candorem præ meo merito pono. Jam illud vero quod mihi negotium dediſſe videbare, de inspiciendo codice Mediceo, ſedulo ad amicos retuli, qui quidem ejus rei efficiendæ ipem perexiguam in præſens oſtendunt. In illa Bibliothecca, niſi impetratâ prius venia, nihil poſſe exſcribi, ne ſtylum quidem ſcriptorium admoviſſe tabulis permifſum; eſte tamen aiunt Romæ Joanneum Baptiſtam Donium, is ad legendas publice Græcas Literas Florentiam vocatus indies expectatur, per eum ut conſequi poſſis quæ velis facile eſſe; quanquam id ſane mihi pergratum accidiſſet, ſi res tam prætertim optanda quæ ſit, meā potius opellâ ſaltem aliquando plus promoviſſet, cum ſit indignum tam tibi honesta & præclarā fuſcipienti, non omnes undecunque homines, & rationes, & res favere. De cætero, novo beneficio devinxeris, ſi Eminentissimum Cardinalem quantâ potest obſervantiâ meo nomine ſalutes, cuius magna virtutes, rectique ſtudium, ad provehendas item omnes Artes Liberales egregie comparatum, ſemper mihi ob oculos verſantur; tum illa mitis, &, ut ita dicarn. ſummiſla animi celſitudo, quæ ſola ſe deprimento attollere diſcit; de qua vere dici potest, quod de Cerere apud Callimachum eſt, diversa tamen ſententiâ, ~~ιδια τα μη χέρσω πεφάλα δὲ τὴν ἀπτέλ' ὀλύμπῳ~~. Quod cæteris fere Principibus documento eſſe potest, triste illud ſupercilium, & aulici fastus, quam longe à vera magnanimitate diſcrepantes & alieni ſint. Nec puto fore, dum ille vivit, Eſtenses, Farnafios, aut Mediceos, olim doctorum hominum fautores, ut quis amplius diſidereret. Vale, Doctissime Holſteni, & ſi quis tui, tuorūmque ſtudiorum amantior eſt illi me quæque, ſi id eſſe tanti exiſtimas, ubiſcumque ſim gentium futurus, veſim annumereres.

Florentia, Martii 30. 1639.

### Carolo Dato Patricio Florentino.

10. PERlatiſ inopinatò Literis ad me tuis, mi Carole, quantâ, & quam novâ ſim voluptate perfuſus, quandoquidem non eſt ut pro re ſati, queam dicere, volo ex dolore ſaltem, ſine quo vix ulla magna hominibus delectatio confeſſa eſt, id aliquantum intelligas. Dum enim illa tua prima percurro, in quibus elegantia cum amicitia pulchte ſane contendit, merum illud quidein gaudium eſſe dixerim, præfertim cum uti vincat amicitia, operam te dare videam. Statim vero cum incido in illud quod ſcribis, ternas te jam olim ad me dediſſe, quas ego periſſe ſcio, tum primum ſincera illa infici, tristisque diſiderio conſubbari, coepita eſt luctu; mox etiam gravius quiddam ſubit, in quo vicem meam dolere perſæpe tolleo, quos forte viciniæ, aut aliqua nullius uſuſ necessitudo mecum, ſive cau, ſive leto conglutinavit, illos nullâ re alia commendabiles affideſſe quotidie, obtundere am enecare mehercule quoties collibitum eſit; quos, mores, ingenium ſuad, tam belle conciliaverant, illos jam pene omnes, aut morte, aut iniquissimâ ocorum diſtantia invideri mihi, & ita confeſſim eſt conſpectu plerumque abripi, ut in perpetua fere ſolitudine versari mihi uiceſſe ſit.  
Te,

Te, quod ais, ex quo Florentiâ discessi, meâ de salute solicitum, semperque  
mei memorem fuisse, gratulor mihi sane, par illud utrique & mutuum acci-  
disse, quod ego me solum sensisse meo fortasse merito arbitrabar. Gravis ad-  
modum, ne te celem, discessus ille & mihi quoque fuit, eosque meo animo acu-  
leos infixit, qui etiam nunc altius inherent, quoties necum cogito tot simul  
fodales atque amicos tam bonos, tamque cominodos unâ in urbe, longinquâ illâ  
quidein, sed tamen charissimâ, invitum me, & plane divulsem reliquise. Te-  
storum illum mihi semper sacrum & solenne futurum Damonis tumulum; in cuius  
funere ornando cum luctu & moerore oppressus, ad ea quæ potui solatia confu-  
gere, & respirare paulisper cupiebam, non aliud mihi quicquam jucundius oc-  
currerit, quam vestrum omnium gratissimam mihi memoriā, tuique nominatim  
in mentem revocasse. Id quod ipse jamdiu legiste debes, siquidem ad vos car-  
men illud pervenit, quod ex te nunc primum audio. Mittendum ego sane se-  
dulo curaveram, ut esset ingenii quantulumcunque, amoris autem adversum  
vos mei, vel illis paucis verticulis, emblematis ad morem inclusis, testimonium  
haudquaquam obscurum. Existimabam etiam fore hoc modo, ut vel te vel ali-  
um ad scribendum allicerem; mihi enim si prior scriberem, necesse erat, ut vel  
ad omnes, vel si quem alii prætulisset, verebar ne in cæterorum, qui id re-  
scissent, offensionem incurrerem; cum permultos adhuc superesse istic sperem,  
qui hoc à me officium vendicare certe potuerint. Nunc tu omnium primus, &  
hâc amicissimâ Literarum provocatione, & scribendi officio ter jam repetito de-  
bitas tibi à me jampridem respondendi vices reliquorum expostulatione liberasti.  
Quanquam fateor accessisse ad illam silentii causam, turbulentissimus iste, ex  
quo domum reversus sum, Britanniæ nostræ status, qui animum meum paulo  
post ab studiis excolendis, ad vitam & fortunas quoquo modo tuendas necessario  
convertit. Ecquem tu inter tot Civium commissa prælia, cædes, fugas, bo-  
norum direptiones, recessum otio Literario tutum dari putas posse? Nos tamen  
etiam inter hæc mala, quoniam de studiis meis certior fieri postulas, sermone  
patrio haud pauca in lucem dedimus; quæ nisi essent Anglice scripta, libens ad  
vos mitterem, quorum judiciis plurimum tribuo. Poematum quidem quæ pars  
Latina est, quoniam expertis, brevi mittam; atque id sponte jamdudum fecis-  
sem, nisi quod, propter ea quæ in Pontificem Romanum aliquot paginis aspe-  
rius dicta sunt, suspicabar vestris auribus fore minus grata. Nunc abs te peto,  
ut quam veniam, non dico Aligerio, & Petrarchæ vestro eadem in causa, sed  
mœx, ut scis, olim apud vos loquendi libertati, singulari cum humanitate, dare  
consuevistis, eandem impetres (nam de te mihi persuasum est) ab cæteris ami-  
cis, quoties de vestris ritibus nostro more loquendum erit. Exequias Ludo-  
vici Regis à te descriptas libenter lego, in quibus Mercurium tuum, non com-  
pitalem illum & mercioniis addictum, quem te nuper colere jocaris, sed fa-  
cundum illum, Musis acceptum, & Mercurialium virorum præsidem, agnosco.  
Restat ut de ratione aliqua & modo inter nos constet, quo literæ deinceps nostræ  
certo itinere utrinque commeare possint. Quod non admodum difficile videtur,  
cum tot nostri Mercatores negotia apud vos, & multa, & ampla habeant, quo-  
rum Tabellarii singulis hebdomadis ultro citroque cursitant; quorum & navigia  
haud multo rarius hinc illinc solvunt. Hanc ego curam Jacobo Bibliopolæ,  
vel ejus hero mihi familiarissimo, recte, ut spero, committam. Tu interim,  
mi Carole, valebis, & Cultellino, Francino, Frescobaldo, Malatestæ, Cle-  
mentillo minori, & si quem alium nostri amantiorem novisti; toti denique Gad-  
dianæ Academiæ, salutem meo nomine plurimam dices. Interim vale.

Londono, Aprilis 21. 1647.

Hermannus Millius, Comitis Oldenburgici Oratori.

11. **A**D Literas tuas, Nobilissime Hermanne, 17 Decemb. ad me datas,  
antequam respondeam; ne me silentii tam diutini reum fortassis apud  
te peragas, primum omnium oportet exponam, cur non responderem prius.  
Primum igitur ne nescias, moram attulit, quæ perpetua jam fere Adversatrix  
mihi est, adversa valetudo; deinde valetudinis causa, necessaria quædam & su-  
bita in ædes alias migratio, quam eo die forte incepseram, quo tuæ ad me Lite-  
ræ perferebantur; postremo certe pudor, non habuisse me quicquam de tuo  
negocio

negotio quod gratum fore tibi judicialis. Nam cum postridie in Dominum Frostium casu incidisse, ex quo eo diligenter quererem, et quod tibi responsum etiamnum decerneretur? ( ipse enim à Concilio valetudinarius sapientiam ) respondit, & commotior quidem, nihil dum decerni, seque in expedienda re ista nihil proficere. Satius itaque duxi ad tempus silere, quam id quod molestum tibi sciebam fore, extemplo scribere, donec, quod ipse vellem, tuque tantopere expetebas, libentissime possem scribere; quod & hodie, ut spero, perfeci; nam cum in Concilio Præsidemi de tuo negotio semel atque iterum commoneficerem, statim ille retulit, adeoque in crastinum diem de responso quamprimum tibi dando constituta deliberatio est. Hac de re si primus ipse, quod conabar certiorem te facerem, & tibi jucundissimum, & mei in te studii indicium aliquod fore existimabam.

*Westmonasterio.*

*Clarissimo Viro Leonardo Philaræ Atheniensi, Ducis Parmensis ad Regem Galliæ Legato.*

12. **B**enevolentiam erga me quam, Ornatissime Leonarde Philara, nec non etiam præclarum de nostra pro P. A. defensione judicium, ex Literis tuis ad Dominum Augerium Virum apud nos, in obeundis ab hac Republica Legationibus, fide eximiâ illustrem, partim eâ de re scriptis cognovi: missam deinde salutem cum effigie, atque Elogio tuis sane virtutibus dignissimo; Literas denique abs te humanissimas per eundem accepi. Atque ego quidem cum nec Germanorum ingenia, ne Cymbrorum quidem, aut Suecorum aspernari soleo, tum certe tuum, qui & Athenis Atticis natus, &, Literarum studiis apud Italos foeliciter peractis magno rerum usu Honores amplissimos es consecutus, judicium de me non possum quin plurimi faciam. Cum enim Alexander ille magnus in terris ultimis bellum gerens, tantos se Militiae labores pertulisse testatus sit, τὸν τῶν Ἀθηναίων ἐνδεχόμενον; quidni ego mihi gratuler, meque ornari quam maxime puteam, ejus Viri laudibus, in quo jam uno prisorum Atheniensium Artes, atque Virtutes illæ celebratissimæ, renasci tam longo intervallo, & resuscitare videntur. Quâ ex urbe cum tot Viri Disertissimi prodierint, eorum potissimum scriptis ab adolescentia pervolvendis, didicisse me libens fateor quicquid ego in Literis profeci. Quod si mihi tanta vis dicendi accepta ab illis & quasi transfusa inesset, ut exercitus nostros & classes ad liberandam ab Ottomannico tyranno Græciam, Eloquentiae patriam, excitare possem, ad quod facinus egregium nostras opes pene implorare videris, facerem profecto id quo nihil mihi antiquius aut in votis prius esset. Quid enim vel fortissimi olim Viri, vel eloquentissimi gloriosius aut se dignius esse duxerunt quam vel suadendo vel fortiter faciendo ἀλευθέρως καὶ αὐτονόμως ποιεῖσθαι τὰς Ἑλλήνας? Verum & aliud quiddam præterea tentandum est, mea quidem sententia longe maximum, ut quis antiquam in animis Græcorum virtutem, industriam, laborum tolerantiam, antiqua illa studia dicendo, suscitare atque accendere possit. Hoc si quis effecerit, quod à nemine potius quam abs te, pro tua illa insigni erga patriam pietate, cum summa prudentia, reique militaris peritia, summo denique recuperandæ libertatis pristinæ studio conjunctâ, expectare debemus; neque ipsos sibi Græcos neque ullam Gentem Græcis defuturam esse confido. Vale.

*Londino, Jun. 1652.*

*Richardo Hetho.*

13. **S**I quam ego operam, Amice Spectatissime, vel in studiis tuis promovendis, vel in eorum subsidio comparando, unquam potui conferre, quæ sane aut nulla plane, aut perexigua fuit; tamen eam in bona indole, quamvis serius cognitâ tam bene tamque foeliciter collatam, haud uno profecto nomine gaudeo; eam etiam adeo frugiferam tuisse, ut & Ecclesiæ Pastorem probum, Patriæ bonum Civem, mihi denique Amicum gratissimum pepererit. Quod equidem, cum ex cætera vita tua atque ex eo, quod de Religione & simul de

\*Uu Repub-

Republika præclare sentis, tum præcipue ex singulari animi tui gratitudine, quæ nulla absentia, nullo ætatis decursu, extingui aut minui potest, facile intelligo. Neque enim potest sieri, nisi in virtute ac pietate, rerumque optimarum studiis, prægrediens plurquam mediocres fecisses, ut in eos, qui tibi ad ea acquirenda vel minimum adjumentum attulere, tam grato animo esses. Quapropter, mi alumnæ, hoc etiam nomine utor libenter, si finis; sic velim existimes, tecum primis à me diligi, nec mihi quicquam optatius fore, quam, si tua commoda rationesque ferrent, quod & tibi etiam in votis esse video, ut possis prope me alicubi degere, quo frequentior inter nos atque jucundior, & vitæ usus & studiorum esset. Verum de eo, prout Numinis visum erit, tibique expediverit. Quod scripseris deinceps, poteris, si placet, nostro sermone scribere ( quanquam tu quidem Latinis haud parum profecisti ) nequando scriptionis labor alterutrum nostrum segniorem forte ad scribendum reddiderit, utque tensus animi noster inter nos, nullis exteris sermonis vinculis constrictus, eo liberius expromere se possit. Literas autem tuas cuivis, credo, ex ejus famulitio, cuius mentionem fecisti, rectissime committes. Vale.

*Westmonasterio, Decemb. 13. 1652.*

*Henrico Oldenburgo Bremensium ad Sen. A. Oratori.*

14. **P**RIORES Literæ tuæ, Vir Ornatissime, tum mihi sunt datae, cum Tabelarius vester diceretur jamjam redditurus: quo factum est, ut rescribendi eo tempore facultas nulla esset: id vero quamprimum facere cogitantem inopinatae quædam occupationes exceperé; quæ nisi accidissent, Librum profecto, cœlensionis licet titulo mutatum, non ita nudum id e fene excusatione misissim; cum ecce tuæ ad me alteræ, in quibus pro muneric tenuitate satis supé que gratiarum sunt actæ. Et erat quidem haud semel in animo, Latinis tuis nostra reponere; ut qui sermonem nostrum exteris omnibus, quos ego quidem novi; accurati ac scelicius addiceris, ne quam occasionem eundem quoque scribendi, quod æque te arbitror accurate posse, amitteres. Verum id prout dehinc impetus tulerit, tua perinde optio sit. De argomento quod scribis, plane mecum sentis, clamorem istiusmodi ad coelum sensus omnes humanos fugere: quo impudentior sit is, necesse est, qui audisse se eum tam audacter affirmaverit. Is autem quis sit, scrupulum injecisti: atqui dudum, aliquoties hac de re essemus inter nos locuti, tuque recens ex Hollandiâ huc venissem, nulla tibi de Authore dubitatio subesse videbatur; quin is Morus suis est: eam nimium iis in locis famam obtinuisse, neminem præterea nominari. Si quid igitur hac de re certius nunc demum habes, me rogo certiore facias. De argomenti tractatione vellem equidem ( quid enim dissimilem ) abs te non dissentire, id pene ut audeam quid est quod persuadere facilis p. sit, quam virorum, qualis tu es, cordatorum sincerum judicium, omnisque expers adulacionis laudatio? Ad alia ut me paream, nescio sane an nobilia aut utiliora ( quid enim in rebus humanis afferendâ libertate nobilius aut utilius esse possit? ) siquidem per valetudinem & hanc luminis orbitatem, omni tenetute graviorem, si denique per hujusmodi Rabularum claimores licuerit, facile induci potero: neque enim iners otium unquam mihi placuit, & hoc cum libertatis adversariis inopinatum certamen, divertit longe, & amoenioribus omnino me studiis intentum, ad se rapuit invitum; ita tamen ut rei gestæ quando id necesse erat nequaquam poeniteat: nam in vanis operam consumpsisse me, quod innuere videris, longe abest, ut putem. Verum de his alias; tu tandem, Vir Doctissime, ne te prolixius detineam, vale; meque in tuis numero.

*Westmonasterio, Julii 6. 1654.*

*Leonardo Philaræ Atheniensi.*

15. **C**U M sim à pueritia totius Græci nominis, tuarumque in primis Athénarum cultor, si quis alius, tum una hoc semper mihi persuasissimum habebam, fore ut illa urbs præclararam aliquando redditura vicem esset benevolentie erga se meæ. Neque desuit sane tue Patriæ Nobilissimæ antiquus ille genius augurio meo; dedique te nobis & germanum Atticum & nostri amantisimum:

sumum : Qui me, scriptis duntaxat notum, & locis ipse disjunctus huma-  
nissime per Literas compellaveris, & Londonum postea inopinatus adveni-  
ens, visensque non videntem, etiam in ea calamitate, propter quam conspecti-  
or nemini, despectior multis fortasse sis, eadem benevolentia prosequaris.  
Cum itaque author mihi sis, ut visus recuperandi spem omnem ne abiciam,  
habere te amicum ac necessarium tuum Parisiis Tevenorum Medicum, in curan-  
dis praesertim oculis praestantissimum, quem sis de meis luminibus consulturus,  
si modo acceperis a me unde is causas morbi & symptomata possit intelligere ;  
faciam equidem quod hortaris, ne oblatam undecunque divinitus fortassis opem  
repudiare videar. Decennium, opinor, plus minus est, ex quo debilitari atque  
habescere visum sensi eodemque tempore lienem, visceraque omnia gravari,  
flatibusque vexari : & mane quidem, siquid pro more legere coepisse, oculi  
statim penitus dolere, lectio nemque refugere, post mediocrem deinde corporis  
exercitationem recreari ; quam aspexit lucernam, Iris quædam visa est redi-  
mere : haud ita multò post sinistra in parte oculi sinistri (is enim oculus aliquet  
annis prius altera nubilavit) caligo oborta, quæ ad latus illud sita erant, omnia  
eripiebat. Anteriora quoque, si dexterum forte oculum clausisse, minora vi-  
sa sunt. Deficiente per hoc fere triennium sensim atque paulatim altero quoque  
lumine, aliquot ante mensibus quam visus omnis aboleretur, quæ immotus ipse  
cernerem, visa sunt omnia nunc dextrorum, nunc sinistrorum natare ; frontem  
totam atque tempora inveterati quidem vapores videntur insedisse ; qui somno-  
lentâ quadam gravitate oculos, a cibo praesertim usque ad vesperam, plerunque  
urgent atque deprimunt ; ut mihi haud raro veniat in mentem in Salmydeshi  
Vatis Phinei in Argonauticis,

— καρθ δε μη αμφεχάλυψ  
πορφύρε θεον γαλανον πέριξ έδεσμος φερεθαι  
τειοτει, αελιχρα δι' οπτικηνατηνλι άνωθε.

Sed neque illud omiserim, dum adhuc visus aliquantum supererat, ut primum in  
lecto decubuisse, meque in alterutrum latus reclinassem, consuevisse copiosum  
lumen clavis oculis emicare ; deinde, imminuto indies visu colores perinde ob-  
scuiores cum impetu & fragore quodam intimo exilire ; nunc autem, quasi ex-  
tincto lucido, merus nigror, aut cineraco distinctus, & quasi intextus solet se  
affundere : Caligo tamen quæ perpetuo obversatur, tam noctu, quam interdiu  
albenti semper quæ nigranti propriior videtur ; & volvente se oculo aliquan-  
tillum lucis quasi per rimulam admittit. Ex quo tametsi Medico tantuhdem  
quoque spei possit elucere, tamen ut in re plane insanabili, ita in me paro atque  
compono ; illudque saepe cogito, cum destinati cuique dies tenebrarum, quod  
monet Sapiens multi sint, meas adhuc tenebras, singulari Numinis benignitate,  
inter otium & studia, vocesque amicorum, & salutationes, illis lethalibus multo  
esse mitiores. Quod si, ut scriptum est, non solo pane vivet homo, sed omni  
verbo prodeunte per os Dei, quid est, cur quis in hoc itidem non acquiescat,  
non solis se oculis, sed Dei ductu an providentia satis oculatum esse. Sane  
dummodo ipse mihi prospicit, ipse mihi providet, quod facit, meque per omnem  
vitam quasi manuducit atque deducit, ne ego meos oculos, quandoquidem ipsi  
sic visum est, libens feriari iustero. Teque, mi Philara, quocunque res cecide-  
rit, non minus forti & confirmato animo, quam si Lynceus essem, valere jubeo.

Westmonasterio, Septemb. 28. 1654.

### Leoni ab Aizema.

16. PERGRATUM EST EANDEM ADHUC MEMORIAM RETINERE TE MEI, QUAM ANTEZ BE-  
NEVOLENTIAM, DUM APUD NOS ERAS, ME SEMEL ATQUE ITERUM INVISENDÔ,  
PERHUMANITER SIGNIFICASTI. AD LIBRUM QUOD ATTINET DE DIVORTIIS, QUEM DEDISSE  
TE CUIDEM HOLLANDICE VERTENDUM SCRIBIS, MALLEM EQUIDEM LATINE VERTENDUM  
DEDISSES : NAM VULGUS OPINIONES NONDUM VULGARES, QUEMADMODUM EXCIPERE  
SOLEAT, IN IIS LIBRIS EXPERTUS JAM SUM. TRES ENIM EA DE RE TRACTATUS OLIM SCRIP-  
TI: PRIMUM DUOBUS LIBRIS, QUIBUS DOCTRINA & DISCIPLINA DIVORTII, IS ENIM LI-  
BRO TITULUS EST, DIFFUSE CONTINETUR : ALTERUM QUI TETRACHORDON INSCRIBITUR, &

in quo quatuor præcipua loca Scripturæ supra ea doctrina quæ sunt, explicantur : Tertium, Colasterion, in quo cuidam Sciolo respondet. Quem horum Tractatum vertendum dederis, quamvis editionem, nescio ; nam eorum primus bis editus est, & posteriori editione multo auctius. Quia de re nisi certior jam factus sis, aut si quid à me aliud velle te intellexero, ut vel Editionem correctiorem, vel reliquos Tractatus tibi mittam, faciam sedulo & libenter. Nam mutatum in iis quicquam aut additum non est in præsentia quod velim. Itaque si in tua sententia præstiteris, fidum ego mihi Interpretem, tibi fausta omnia exopto.

*Westmonasterio, Feb. 5. 1654.*

*Ezechieli Spanhemio Genevensi.*

17. **N**escio quo casu acciderit, ut Literæ tuæ post paulo minus tres menses mihi sint redditæ, quam abs te datæ : meis prosectori expeditiore proflus ad te commeatu plane est opus ; quas dum de die in diem scribere constituebam, occupationibus quibusdam continuis impeditus, in alterum fere trimestre spatium procrastinasse me sentio. Tu vero ex hac mea tarditate rescribendi velim intelligas, benevolentiae erga me tuæ non refrixisse gratiam, sed eo altius infidelis memoriam, quo saepius atque diutius de officio meo vicissim tibi reddendo indies cogitabam. Habet hoc saltem officii tarda solutio quo se excusat, dum clarus confitetur deberi, quod tanto post tempore, quam quod statim persolvitur. Illa te imprimis Literarum initio non fecellit de me opinio ; non mirari si à peregrino homine salutor : neque enim rectius de me senseris, quam si sic existimes, neminem me virum bonum in peregrini aut ignoti numero habere. Talem te esse facile mihi persuadetur, cum quod Patris doctissimi atque sanctissimi es filius, tum quod à Viris bonis bonus existimaris, tum deniq; quod odisti malos. Cum quibus, quandoquidem mihi quoque bellum esse contigit, fecit pro humanitate sua Calandrinus, déque mea sententia, ut significaret tibi, pergratum mihi fore, si contra communem adversarium tua sublicia mecum communicasses. Id quod his ipsis Literis perhumaniter fecisti, quarum partem, tacito Authoris nomine, tuo erga me studio consilus, in defensionem meam pro testimonio inserere non dubitavi. Quem ego Librum, ut primum in lucem prodierit, si quis erit cui recte possim committere, mittendum ad te curabo. Tu interim quas ad me Literas destinaveris, Turrettino Genevensi Londini commoranti, cuius illic fratrem nōsti, haud frustra, puto, inscriperis : per quem ut ad vos hæ nostræ, ita ad nos vestræ, commodissime pervenerint. De cætero scias velim, & te plurimi tuo merito à me fieri, meque uti porro abs te diligar, imprimis velle.

*Westmonasterio, Martii 24. 1654.*

*Henrico Oldenburgo Bremensium ad Sen. A. Oratori.*

18. **O**ccupatiorem repererunt me tuæ Literæ quas Adolescens Ranaleius attulit, unde cogor esse brevior quam vellem : tu vero quas abiens promiseras, eas ita probe reddidisti, ut aë alienum nemo sanctius ad Calendas, credo, persolvisset. Secessum istum tibi, quamvis mihi fraudi sit, tamen quoniam tibi est voluptati, gratulor ; tum illam quoque felicitatem animi tui, quem ab urbano vel ambitione vel otio ad sublimum rerum contemplationem tam facile potes attollere. Quid autem secessus ille conferat, præter Librorum copiam, nescio : & quos illic nactus est Studiorum socios eos suopte ingenio potius quam disciplina loci tales esse existimem ; nisi forte ob desiderium tui iniquior sum isti loco quia te detinet. Ipse interim recte animadvertis, nimis illic multos esse qui suis inanissimis argutiis tam divina quam humana contaminent, ne plane nihil agere videantur dignum tot stipendiis, quibus pessimo publico aluntur. Sed tu ista melius per te sapis. Tam vetusti à diluvio usq; Siñensium fasti, quos ab Jesuita Martinio promissos esse scribis, propter rerum novitatem avidissime proculdubio expectantur : verum auctoratis, aut firmamenti, ad Mosaicos Libros adjungere quid

quid possint non video. Salutem tibi reddit Cyriacus noster quem salutatum volebas. Vale.

*Westmonasterio, Junii 25. 1656.*

*Nobilissimo Adolescenti Richardo Jonesio.*

19. **P**Arantem me semel atque iterum ad proximas tuas Literas rescribere, subita quædam negotia, cuiusmodi mea sunt, ut nosti, præverterunt: postea excurrisse te in vicina quædam loca audiveram; nunc discedens in Hiberniam mater tua præstantissima, cuius discensu uterque nostrum dolere haud mediocriter debemus, nam & mihi omnium necessitudinum loco fuit, has ad te Literas ipsa perfert. Tu vero quod de meo erga te studio persuasus es, recte facis; tibique tanto plus indies persuadet velim, quanto plus bonæ indolis, bonaque frugis in te esse, facis ut intelligam. Id quod Deo dante, non solum in te recipis, sed quasi ego te sponsione lacefissèm, facturum te satisdas atque vadaris; & velut judicium pati & judicatum solvere ni facias, non reculas: delector sane hanc tuam de temetipso tam bonam spe; cui nunc deesse non potes; quin simul non promissis modo tuis non stetisse, verum etiam vadimonium ipsum tuum deferuisse videare. Quod scribis non displicere tibi Oxonium, ex eo profecisti te quicquam aut sapientiorem esse factum, non adducis ut credam: id mihi longe aliis rebus ostendere debebis. Victorias Principum quas laudibus tollis, & res ejusmodi in quibus vis plurimum potest, nolim te Philosophos jam audentem nimis admirari. Quid enim magnopere mirandum est, si vervecum in Patria valida nascantur cornua, quæ urbes & oppida arietare valentissime possint? Tu magna exempla non ex vi & robore, sed ex justitia & temperantia ab ineunte ætate ponderare jam disce atque cognoscere, Vale; meoque fac nomine, salutem Ornatusissimo Viro Henrico Oldenburgo tuo Contubernali plurimam dicas.

*Westm. Sept. 27. 1656.*

*Ornatissimo Adolescenti Petro Heimbachio.*

20. **D**Romissa tua, mi Heimbachi, cæteraque omnia, quæ tua virtus præse fert, cumulate implevisti, præterquam desiderium meum reditus tui quem intra duos ad summum menes fore pollicebaris; nunc nisi me temporis ratio tui cupidum fallit, trimestris pene abes. De Atlante, quod abs te petebam, abunde præsticisti; non ut mihi comparares, sed tantummodo ut premium Libri minimum indagares: centum & triginta Florenos postulari scribis; montem illum opinor Mauritanum, non Librum Atlantem, dicis tam immani pretio coendum. Ea nunc etiam Typographorum in excudendis Libris luxuriae est, ut Bibliothecæ non minus quam Villæ sumptuosa supellex jam facta videatur. Mihi certe cum piæ Tabulæ ob cæcitatem usui esse vix possint, dum orbem terræ frustra cæcis oculis perlustro, quanti illum Librum emissem, vereor ne tanti videar lugere potius orbitatem meam. Tu hanc insuper impendas mihi operam, rogo, ut cum reversus eris, certiore me facere queas, quot sint integri operis illius volumina, & duarum Editionum, Blavianæ videlicet & Jansenianæ, utra sit auctior & accuratior: id quod ex teipso jam brevi redituro potius quam ex alteris Literis, coram auditurum me esse spero. Interim vale, teque nobis quamprimum redde.

*Westm. Novemb. 8. 1656.*

*Ornatissimo Viro Emerico Bigotio.*

21. **Q**Uod in Angliam trajicienti tibi dignus sum visus, quem præter cæteros visendum duceres & salutandum, fuit sane mihi & meritò quidem gratum; quod per Literas tanto etiam intervallo nunc denuo salutas, id aliquanto fuit gratius. Poteras enim primò aliorum fortassis opinione ductus ad me venisse, per Literas nunc redire, nisi proprio judicio vel falem benevolentia reductus, vix poteras. Unde est sane, ut posse videar jure mihi

mibi gratulari: multi enim scriptis editis florueret, quorum viva vox & consuetudo quotidiana nihil fere prætulit non demissum atque vulgare: ego si id esse qui possum, ut si qua commode scripsi, iis par animo ac moribus esse videar; & pondus ipse scriptis addidero, & laudem vicissim, quantulacunque ea est, eo tamen majorem ab ipsis retulero: cum rectum & laudabile quod est, id non magis ab Authoribus præstantissimis accepisse, quam ab intimo sentu mentis atque animi deponuisse pium atque sincerum videbor. De mea igitur animi tranquillitate in hoc tanto luminis detimento deque mea in excipiendis exteris hominibus comitate ac studio, persuasum tibi esse gaudeo. Orbitatem certe luminis quidni leniter feram, quod non tam amissum quam revocatum intus atque retractum, ad acuendam potius mentis aciem quam ad hebetandam, sperem. Quo sit, ut neque Literis irascar, nec eorum studio penitus intermittam, etiam si me tam male multaverint: tam enim morosus ne sim, Mysorum Regis Telephi saltē exemplum erudiit; qui eo telo, quo vulneratus est, sanari postea non reculavit. Quod ad illum Librum de modo tenendi Parlamenta quem apud te habes, ejus designata loca ex Codice Clarissimi Viri Domini Bradisciavi, nec non ex Codice Cottoniano, vel emendanda, vel dubia si erant, confirmanda curavi; ut ex reddita hic tibi tua chartula perspicies. Quod autem scire cupis, num etiam in arce Londinenſi Autographum hujus Libri extet, misi qui id quereret ex feziali, cui Actorum custodia mandata est, & quo ipse utor familiariter: respondit is, nullum exemplar illius Liōri iis in monumentis extare. Tu vicissim quam mihi operam defers in re libraria procuranda, pergratum habeo: desunt mihi ex Byzantinis Historiis, Theophanis Chronographia Græc. Lat. fol. Constant. Manassis Breviarium Historicum, & Codini Excerpta de Antiquit. C. P. Græc. Lat. fol. Anastasi Bibliothecari Hist. & Vitæ Rom. Pontific. fol. quibus Michaelem Glycam, & Joannem Sinnatum, Annæ Commenzæ Continuatorum ex eadem Typographia, si modo prodierunt, rogo adjicias: quām queas minimo non addo; cum quod, id ut te moneam hominem frugalissimum, non est opus, tum quod pretium eorum Librorum certum esse aiunt, & omnibus notum: nummos D. Stuppius numeratō se tibi curaturum recepit, nec non etiam de Vectura, quæ sit commodissima, provisurum. Ego vero quæ tu vis, quæque optas, cupio tibi omnia. Vale.

*Westmonasterio, Martii 24. 1656.*

---

*Nobili Adolescenti. Richardo Jonesio.*

22. **T**Ardius multo accepi Literas tuas quam abs te datae sunt, post quindecim puto dies quam sepositæ alicubi apud matrem deliciissent. Ex quibus tandem studium erga me tuum gratique animi sensum libentissime cognovi: mea certe erga te benevolentia monitaque fidissima, neque optimæ matris tuæ de me opinioni atque fiduciæ, neque indoli tuæ unquam defuere. Est quidem, ut scribis, amoenitatis atque salubritatis eo in loco, quo nunc recessisti, est & Librorum quod Academiæ satis esse possit: si ad ingenium incolarum tantum conferret ista soli amoenitas, quantum ad delicias confert, ad felicitatem illius loci nihil deesse videretur. Et Bibliotheca etiam illic instructissima est; verum nisi studiosorum mentes Disciplinis optimis instructiores inde reddantur, Apothecam Librorum illam quam Bibliothecam rectius dixeris. Oportere itaque ad hæc omnia discendi animum atque industriam accedere percommode sane agnoscis. Tu ex ista sententia, nequando tecum agere necessè habeam, etiam atque etiam vide; id facilissimo negotio evitabis, si Ornatissimi Viri Henrici Oldenburgi qui tibi præsto est, gravissimis atque amicissimis præceptis diligenter parueris. Vale mi Richardo dilectissime, & ad Virtutem ac Pietatem, Matris præstantissimæ Fœminæ exemplo, veluti Timotheum alterum, finito te adhorter atque accendam.

*Westmonasterio.*

*Illusterrissime*

*Illustrissimo Domino Henrico de Brass.*

23. **V**ideo te, Domine, id quod perpauci ex hodierna juventute faciunt, qui horas exteras perlustrant, non juvenilium studiorum sed amplioris undique comparandæ eruditionis causâ, veterum exemplo Philosophorum, recte & sapienter peregrinari. Quanquam ea quæ scribis quoties intueor, ad eruditionem non tam aliunde capiendam, quam aliis impertiendam, ad commutandas potius, quam ad coemendas bonas merces, accessisse ad exteros videris. Atque utinam mihi tam facile esset, ista tua præclara studia rebus omnibus adjuvare ac promovere, quam est jucundum sane & pergratum tuam egregiam indolem id à me petere. Quod scribis tamen statuisse te ut ad me scriberes, meaque responda petere; ad eas difficultates enucleandas, circa quas à multis sacerulis Historiarum Scriptores videntur caligasse, nihil equidem hujusmodi neque unquam mihi sumpti, neque aulim sumere. De Sallustio quod scribis, dicam libere, quoniam ita vis plane ut dicam quod sentio, Sallustium cuivis Latino Historico me quidem anteferre; quæ etiam constans fere Antiquorum sententia fuit. Habet suas laudes tuus Tacitus; sed eas meo quidem judicio maximas, quod Sallustium nervis omnibus sit imitatus. Cum hæc tecum coram disserem; perfecisse videor, quantum ex eo quod scribis conjicio, ut de illo cordatissimo Scriptore ipse jam idem prope sentias: adeoque ex me queris, cum is in exordio Belli Catilinarii perdifficile esse dixerit Historiam scribere, propterea quod facta dictis exæquanda sunt, qua potissimum ratione id aslequi Historiarum scriptorem posse existimem. Ego vero sic existimo; qui gestas res dignas digne scriperit, eum animo non minus magno retumque usu prædictum scribere oportere, quam is qui eas gesserit: ut vel maximas pari animo comprehendere atque metiri possit, & comprehensas sermone puro atque casto distincte graviterque narrare: nam ut ornate, non admodum labore; Historicum enim, non Oratorem requiro. Crebras etiam sententias, & judicia de rebus gestis interjecta prolixè nolle, ne, interrupta rerum serie, quod Politici Scriptoris munus est Historicus invadat; qui si in consiliis explicandis, factisque enarrandis, non suum ingenium aut conjecturam, sed veritatem potissimum sequitur, suarum profecto partium satagit. Addiderim & illud Sallustianum, qua in re ipse Catonem maxime laudavit, posse multa paucis absolvere; id quod sine acrerimo judicio, atque etiam temperantia quâdam neminem posse arbitror. Sunt multi in quibus vel sermonis elegantiam, vel congregarum rerum copiam non desideres, qui brevitatem cum copia conjunxerit, id est, qui multa paucis absolverit, princeps meo judicio Latinorum est Sallustius. Has ego virtutes Historico inesse putem oportere, qui facta dictis exæquaturum se speret. Verum quid ego tibi ista? ad quæ tu ipse, quo es ingenio, per te sufficis; quique eam ingressus es viam, in qua si pergis, neminem te ipso doctiorem poteris brevi consulere: & uti pergas, quanquam tibi hortatu non opus est cuiusquam, ne omnino tamen nihil pro expectatione tua respondisse videar, quantum valere me auctoritate apud te finis, hortor magnopere atque auctor sum. Vale, tuaque virtute & sapientiae acquirendæ studio macte esto.

*Westmonasterio, Idibus Quintil. 1657.*

*Henrico Oldenburgo.*

24. **Q**uod Salmurium peregrinationis vestræ, ut puto, sedem incolumes pervenistis, gaudeo: hoc enim te non fessellit, id mihi imprimis gratissimum fore; ut qui & te merito tuo diligam, & suscepti itineris causam tam esse honestam atque laudabilem sciám. Quod autem audisti accersitum Ecclesie tam illustri erudiendæ Antistitem tam infamem, id mallem quivis alias in Charentis, quam tu in Charentonis cymba audisses: verendum enim est valde, ne toto cœlo devius frustretur, quisquis tam foedo auspice perventurum se unquam ad superos putat. Vx illi Ecclesiæ (Deus modo avertat omen) ubi tales Ministri aurum causâ potissimum placent, quos Ecclesia, si reformata vere vult dici, ejiceret rectius quam cooptaret. Quod Scripta nostra nemini nisi poscenti impertisti, recte tu quidem & eleganter, neque ex mea solum, sed etiam ex Horatiana Sententia fecisti;

*Ne studio nostri peccas, odiumque libellis  
Sedulus importes operâ vehementē. —*

Commorabatur vir doctus quidam, familiaris meus, superiore æstate Salmurii; is ad me scripsit, librum illum iis in locis expeti: unum exemplar duntaxat misi; rescripsit, placitum esse aliquot doctis, quibuscum communicaverat, ut nihil supra. Nisi iis rem gratam facturum me fuisse existimasse, parsissim utique; & tuo oneri & sumptui meo. Verum,

*Si te forte meæ gravis uret sarcina chartæ,  
Abjicito potius, quam, quo perferre juberis,  
Clitellas ferus impingas: —*

Laurentio nostro, ut jussisti, salutem nomine tuo dixi: de cætero, nihil est quod abs te prius agi, priusve curare velim, quam ut tu atque alumnus tuus recte valeatis, votorumque compotes ad nos quamprimum redeatis.

*Westmonasterio, Calend. Sextil. 1657.*

*Nobili Adolescenti Richardo Jonesio.*

25. **C**onsecuisse te sine incommodo tam longum iter, & spretis Lutetiarum illecebris, tanta celeritate eò contendisse, ubi literato otio, doctorumq; consuetudine frui possis, & magnopere lætor, & te tuæ indolis laudo. Illic quoad te continebis in portu eris; Syrtes & Scopulos, & Sirenum cantus alias tibi cavendum. Quin & vindemiam, quâ oblectare te cogitas, Salmuriensem nimum istire te nolim, nisi in animo quoque sit, mustum illud Liberi liberiore Musarum latice quinta plus parte diluere. Verum ad hæc, me etiam tacente, hortatorem habes eximium, quem si audis, tibimet profecto optime consulueris, & præstantissimam parentem tuam summo gaudio, & crescente indies amore tui affeceris. Quod uti facere possis, à Deo Opt. Max. petere quotidie debes. Vale, & ad nos quam optimus, bonisque artibus quam cultissimus, fac redeas: id mihi præter cæteros jucundissimum erit.

*Westm. Calend. Sextil. 1657.*

*Illusterrimo Domino Henrico de Brass.*

26. **I**mpeditus per hosce dies occupationibus quibusdam, Illustrissime Domine, serius rescribo quam volebam. Volebam enim eo citius, quod Literas tuas multâ jam nunc eruditio plenas, non tam præcipendi tibi quicquam (id quod à me honoris credo mei, non usus tui causâ postulas) quam gratulandi duntaxat, reliquissime mihi locum videbam. Gratulor autem & mihi imprimis fœlicitatem meam, qui Sallustii sententiam ita commode explicasse videar, & tibi tam assiduam illius auctoris sapientissimi tanto cum fructu lectionem. De quo idem tibi ausim confirmare quod de Cicerone Quintilianus, sciat se haud parum in re Historica profecisse cui placeat Sallustius. Illud autem Aristotelis præceptum ex Rheticorum tertio quod explicatum cupis, Sententiis utendum est in narratione & in fide, moratum enim est; non video quid habeat magnopere explicandum, modo ut narratio & fides, quæ & probatio dici solet, ea hic intelligatur, quâ Rhetor, non quâ Historicus utitur: diversæ enim sunt partes Rheticis & Historici, sive narrant, sive probant; quemadmodum & Artes ipsæ inter se diversæ sunt. Quid autem conveniat Historico, ex Auctoribus antiquis Polybio, Halicarnessæo, Diodoro, Cicerone, Luciano, aliisque multis, qui ea de re præcepta quædam sparsim tradidere, rectius didiceris. Ego vero & studiis tuis & itineribus secunda omnia atque tua exopto, dignosque successus eo animo ac diligentia, quam rebus quibusque optimis adhibere te video. Vale.

*Westm. Decemb. 1657.*

*Ornatissimo*

## Ornatissimo Viro Petro Heimbachio.

27. **L**Iteras tuas Hagâ Comitis dat. 18. Dec. accepi: ad quas, quoniam id tuis rationibus expedire video, eodem die, quo mihi sunt redditæ, re-scribendum putavi. In iis post gratias actas ob beneficia nescio quæ mea, quæ vellem sane non essent nulla, ut qui tua causa quidvis cupiam, petis ut te per D. Laurentium Oratori nostro in Hollandiam designato commendarem: quod quidem doleo in me situm non esse; cum propter paucissimas familiaritates meas cum gratiosis, qui domi fere, idque libenter me contineo; tum quod is credo, è portu jam solvit, jamque adventat, secumque habet in comitatu quem sibi ab epistolis vult esse, quod tu munus apud eum petis. Verum in ipso discessu jam Tabellarius est. Vale.

*Westmonasterio, Decemb. 18. 1657.*

*Ioanni Badivo Pastori Araisionensi.*

28. **Q**Uod tardius ad te rescribo, Vir clarissime & reverende, non recusabit, credo noster Duræus, quo minus tardioris culpam rescriptionis à me in ipsum transferam. Postea enim quam schedulae illius, quam mihi recitatae volebas, de iis quæ Evangelii causâ egisles atque perpeſſus effes copiam milii fecit non distuli parare has ad te literas ut ei darem Tabellario, qui primus discessifuerit, sollicitus quam in partem silentium meum tam diuturnum interpretarere. Maximam interim habeo gratiam Molinæo vestro Nemausensi, qui suis de me sermonibus & amicissima prædicatione, tot per ea loca bonorum virorum me in gratiam immisit. Et sane quanquam non sum nescius, me vel eo quod cum adversario tanti nominis publice iussus certamen non detrectaverim, vel propter argumenti celebritatem, vel denique scribendi genus longe latèque satis innotuſſe; sic tamen existimo, me tantudem duntaxat habere famæ, quantum habeo bona existimationis apud bonos. Atque in eadem te quoque esse sententia, plane video; qui Veritatis Christianæ studio atque amore accensus, tot labores pertuleris, tot hostes sustinueris; eaque quotidie fortiter facias, quibus tantum abest, ut ullam ab improbis famam tibi quæras, ut eorum certissima odia & maledicta in te concitare non verearis. O te beatum! quem Deus unum ex tot millibus virorum, alioqui sapientum atque doctorum, ex ipsis inferorum portis ac fauibus ereptum, ad tam insignem atque intrepidam Evangelii sui professio-nem evocavit. Et habeo nunc quidem cur putem Dei voluntate singulari sa-ctum, ut ad te citius non rescriberim: cum enim intelligerem ex Literis tuis, te ab infestis undique hostibus petitum atque obſelsum, circumſpicere, & merito quidem, quo te posses in extremo discrimine, si ita res tulisset, recipere, & Angliam tibi in primis placuisse, gaudebam equidem non uno nomine, te id consilii cepisse; cum tui potiundi spe, tum te de mea patria tam placare sentire: illud dolebam, non tum vidisse me unde tibi hic apud nos prælertim Anglice nescienti, pro eo ac deceret prospicuum esset posset. Nunc vero peropportune accedit ut Minister quidam Gallicus ætate confectus, ante paucos dies è vita migrauerit. In ista Ecclesia qui plurimum possunt, teque illis in locis non satis ruto versari intelligunt (non hoc incertis rumoribus collectum, sed ex ipsis au-ditum refiero) cooptatum te illius Ministri in locum summopere cupiunt, im-mo invitant; sumptusque itineris suppeditandos tibi decreverunt; atque ita tibi de re familiari provisum iri pollicentur, ut Ministro; um apud nos Gallicorum nemini melius; nec tibi quicquam defore, quod ad munus Evangelicum apud se libenter obeundum possit conducere. Quare advola quamprimum, si me audis, Vir Reverende, ad cupidissimos tui, messem hic messurus, et si commo-dorum hujus mundi fortasse non ita uberem, tamen, quam rui similis potissimum exoptant, animarum, ut spero, numerosam: tibique persuadeas, te viris bonis omnibus expectatissimum esse venturum; & quanto citius, tanto gratio-rem. Vale.

*Westmonasterio, April. 21. 1659.*

*Henrico Oldenburgo.*

29. **S**ilentii, quam petis veniam tui, dabis potius mei ; cujus erant, si memini, respondendi vices. Me certe non imminuta erga te voluntas, hoc enim persuassimum tibi esse velim, sed vel studia, vel curae domesticae impediabant, vel ipsa fortasse ad scribendum pigritia, intermissi officii reum facit. Quod scire cupis, valeo equidem, Deo juvante, ut soleo : ab historia nostrorum motuum concinnanda, quod hortari videris, longe absam ; sunt enim silentio digniores quam praeconio : nec nobis qui motuum historiam concinnare, sed qui motus ipsos componere feliciter possit, est opus : tecum enim veroor ne libertatis ac religionis hostibus nunc nuper sociatis, nimis opportuam inter has nostras Civiles discordias vel potius insanias, videamur ; verum non illi gravius, quam nosmetipsi jamdu flagitiis nostris, religioni vulnus intulerint. Sed Deus, uti spero, propter se Gloriamque suam, qua nunc agitur, consilia impetusque hostium ex ipsorum tententia succedere non sinet, quicquid Reges & Cardinales turbarum meditentur aut struant. Synodo interea Protestantium Laudunensi, propediem, ut scribis, convocandæ, precor id, quod nulli adhuc Synodo contigit, fœlicem exitum, non Nazianzenicum ; fœlicem autem huic nunc satis futurum, si nihil aliud decreverit, quam ejiciendum esse Morum. De adversario Posthumo simul ac prodierit, fac me, rogo, primo quoque tempore certiorem. Vale.

*Westmon. Decemb. 20. 1659.*

*Nobili Adolescenti Richardo Jonesio.*

30. **Q**uod longo intervallo ad me scribas, modestissime tu quidem te excusas, qui possis ejusdem delicti me rectius accusare : ut haud sciam profecto utrum non delinquisse te, an sic excusasse, maluerim. Illud tibi in mentem cave veniat ; me gratitudinem tuam, si qua mihi abs te debetur, Literarum assiduitate metiri : tum te gratissimum adversus me esse sensero, cum mea erga te quæ prædicas merita, non tam in Literis crebris, quam in optimis perpetuo studiis tuis ac laudibus apparebunt. Viam virtutis quidem, in illo orbis terrarum Gymnasio quod es ingressus, recte fecisti ; sed viam scito illam virtutis ac vitii communem ; illuc progrediendum, ubi via in bivium se scindit. Teque sic comparare jam nunc mature debes, ut relictâ hâc communi, amœnâ ac floridâ, illam arduam ac difficilem, qui solius virtutis clivus est, tuâ sponte libentius, etiam cum labore ac periculo, possis ascendere. Id tu præ aliis multo facilius, mihi crede, poteris, qui tam fidum ac peritum nactus es itineris Ducem. Vale.

*Westmonasterio, Decemb. 20. 1659.*

*Ornatissimo Viro Petro Heimbachio, Electoris Brandenburgici Consiliario.*

31. **S**i inter tot Funera Popularium meorum, anno tam gravi ac pestilenti, abruptum me quoque, ut scribis, ex rumore præsertim aliquo credidisti, mirum non est ; atque ille rumor apud vestros, ut videtur, homines, si ex eo quod de salute mea solliciti essent, increbuit, non displiceret ; indicium enim suæ erga me benevolentiae fuisse existimo. Sed Dei benignitate, qui tutum mihi receptionum in agris paraverat, & vivo adhuc & valeo ; utinam ne inutilis, quicquid muneris in hac vita restat mihi peragendum. Tibi vero tam longo intervallo venisse in mentem mei, pergratum est ; quanquam, prout rem verbis exornas, præbere aliquam suspicionem videris, oblitum mei te potius esse, qui tot virtutum diversarum conjugium in me, ut scribis, admirere. Ego certe ex tot coniugiis numerosam nimis prolem expavescerem, nisi constaret in re æcta, rebusque duris, virtutes ali maxime & vigere : tametsi earum una non ita belle cha-

charitatem hospitii mihi reddidit : quam enim Politicam tu vocas, ego Pietatem in Patriam dictam abs te mallem, ea me pulchro nomine delimitum prope, ut ita dicam, expatriavit. Reliquarum tamen chorus clare concinit. Patria est, ubiquecumque est bene. Finem faciam, si hoc prius abs te impetravero, ut, si quid mendose descriptum aut non interpunctum repereris, id puer, qui haec exceptit. Latine prorsus nescienti velis imputare ; cui singulas plane Literulas annumerare non sine miseria dictans cogebar. Tua interim Viri merita, quem ego adolescentem spei eximiae cognovi, ad tam honestum in Principis gratia provexisse te locum, gaudeo, ceteraque fausta omnia & cupio tibi; & spero. Vale.

Londini, Aug. 15. 1666.

## JOANNIS MILTONII *Prolusiones quedam Oratoriæ.*

In Collegio, &c.

*Vtrum Dies an Nox præstantior sit ?*

**S**criptum post se reliquere passim Nobilissimi quique Rheticæ Magistri, quod nec vos præteriit, Academici, in unoquoque dicendi genere, sive demonstrativo, sive deliberativo, sive judiciali, ab aucupanda Auditorum gratia exordium duci oportere ; alioqui nec permoveri posse Auditorum animos, nec causam ex sententia succedere. Quod si res ita est, quam sane, ne vera dissimilem, Eruditorum omnium consensu fixum ratumque novi, milie- rum me ! ad quantas ego hodie redactus sum angustias ! qui in ipso Orationis Limine vereor ne aliquid prolatus sim minime Oratorium, & ab officio Oratoris primo & præcipuo necesse habeam abscedere. Etenim qui possim ego vestram sperare benevolentiam, cum in hoc tanto concursu, quot oculis intueor tot ferme aspiciam infesta in me capita ; adeo ut Orator venisse videar ad non exorabiles. Tantum potest ad simultates etiam in Scholis æmulatio, vel diversa Studia, vel in eisdem studiis diversa judicia sequentium ; ego vero solicitus non sum,

*Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem Prætulerint ; Nuge.*

Veruntamen ne penitus despondeam animum, sparsim video, ni fallor, qui mihi ipso aspectu tacito, quam bene velint, haud obscure significant ; à quibus etiam quantumvis paucis, equidem probari malo quam ab innumeris imperitorum Centuriis, in quibus nihil mentis, nihil rectæ rationis, nihil sani judicii inest, ebullienti quadam & plane ridendâ verborum spumâ fese venditantibus ; à quibus si emendatos ab novitiis Authoribus centones dempseris, Deum Immortalem ! quanto nudiores Leberide conspexeris, & exhaustâ inani vocabulorum & sententiuncularum supellectile, μνδε γενε φεγεδαι, perinde mutos ac ranuncula Seriphia. At ô quam ægre temperaret à risu vel ipse, si in vivis esset, Heraclitus, si forte hosce cerneret, si Diis placet, Oratorculos, quos paulo ante audiverit cothurnato Euripidis Oreste, aut suribundo sub mortem Hercule grandiora eructantes, exhausto tandem vocularum quarundam tenuissimo penu, posito incedere supercilio, aut retractis introsum Cornibus, velut animalcula quædam abrepare. Sed recipio me paululum digressus. Si quis igitur est qui, spreta pacis conditione, ἀσπινθεν πολέμου mihi indixerit, eum ego quidem in præsentia non dedignabor orare & rogare, ut semotâ paulisper simultate, æquabilis adsit certaminis hujus arbiter ; neve Oratoris culpa, si qua est, Causam quam optimam & præclarissimam in invidiam vocet. Quod si mordacio-

ra paulo hac & aceto perfusa nimio putaveritis, id ipsum de industria fecisse me profiteor: volo enim ut initium Orationis meæ premulum imitetur diluculum; ex quo subnubilo serenissima fere nascitur dies. Quæ an nocte præstantior sit, haud vulgaris utique agitur Controversia, quam quidem mearum nunc est partium, Auditores, pensique hujus maturini, accurate & radicitus excutere; quamvis & hac Prolusioni Poeticæ, quam Dæcrationi Oratorie, magis videatur idonea: At at noctémne dixi cum die struxisse lites? Quid hoc rei est? quænam hæc molitio? numnam antiquum *Titans* redintegrant bellum, *Phlegræi* prælii instaurantes reliquias? an terra novam in superos Deos enixa est portentosæ magnitudinis prolem? an vero *Typhœus* injectam *Aetna* Montis elutatus est molem? an denique, decepto *Cerbero*, catenis adamantinis subduxit se *Briareus*? quid est aliquando tandem, quod Deos manes ad Cœlestis imperii spem jam tertio erexerit; adeone contemnendum *Jovis* fulmen? adeon' pro nihil putanda *Palladis* invicta virtus, quâ tantam olim inter Terrigenas fratres cœdit Stragem? Excuditne animo insignis ille per *Coeli* Templa *Liberi* patris ex profligatis Gigantibus triumphus? Neutiquam sanè: meminit illa probe, nec sine lacrymis, consternatos plerosque à *Jove* Fratres superstitesque ceteros usque ad penitissimos Inferorum recessus in fugam actos; & certe jam nihil minus quam bellum adornat trepida, querelam potius & lites instruit, atque pro more Nihil. um post rem unguibus & pugnis fortiter getam ad colloquium seu verius ad rixam venit, periclitatura, opinor, linguâne plus an armis valeat. At vero quæm inconsulto, quam arroganter, quamque debili causee titulo præ die summani rerum ambiat, expedire festino. Video siquidem & ipsam diem Galli cantu expreffactam, cursu solito citatori adproperasse ad suas laudes exaudendas. Et quoniam unusquisque hoc imprimis ad honores & decus conferre ait itretur, si ab genesis Natalibus & prisco Regum vel Deorum sanguine originum se compererit. Videndum primo utra genere sit clarior, mox quænam antiquitate honoratur; dein hæc an illa humanis usibus accommodatius inserviat. Apud vetustissimos itaque Mythologiae scriptores memoriae datum reperio, *Demogorgonem* Deorum omnium Atavum (quem eundem & Chaos ab antiquis nuncupatum habiolor) inter alios Liberos, quos sustulerat plurimos, Terram genuisse; hæc, incerto patre noctem suis progenitam; quamvis paulo aliter *Hesiodus* eam Chaogenitam velit hoc Monasticho,

\*Εξ Χάρος δ' εργαστε μέλανα πειραιάς ιχθύοις.

Hanc quocunque natam, cum adoleverat ad ætatem nuptiis maturam, poscie sibi uxorem *Phanes* Pastor; annuente Matre, refragatur illa, negatque se ignoti viri & nulquam visi, moribulique insuper tam longe cives, concubitum iniuriam. Repulsam *Phanes* ægre ferens, verso in odium amore, nigellam hanc Telluris filiam per omnes orbis Terrarum tractus ad necem sequitur indignabundus. Illa vero quem amantem sprevit, eum hostem non minus tremit; propterea ne apud ultimas quidem Nationes, & disjuncta quam maxime loca, immo ne in ipso sinu parentis satis se tutam rata, ad incestos *Erebi* fratri amplexus furtim & clanculum se corripit; timore simul gravi toluta, maritumque nacta proculdubio sui similem. Hoc itaque tam virtuoso conjugum pari *Aether* & *Dies* perhibentur editi, ut Author est idem, cuius supremam fecimus *Hesiodus*:

Nuntiòς δ' αὐτὸν αἰδίοντα καὶ μυρεῖον ἐξεγένετο,  
Οὐδὲ τίτανα οὐδὲ τοῦτον οὐδὲ τοῦτον μυρεῖον.

At enim vetant humaniiores Musæ, ipsa etiam prohibet Philosophia Diis proxima, ne minus Poetis Deorum figulis, præsertim Graecanicis, omni ex parte habeamus fidem; nec quisquam iis hoc probro datum putet, quod in re tanti momenti Authores videantur vix satis locupletes. Si quis enim eorum aliquantillam deflexerit à vero, id non tam ingenii eorum asaignandum, quibus nihil divinus, quam pravae & caecutienti ejus ætatis ignorantia, quæ tunc tempestati pervadebat omnia. Abunde sane laudis hinc tibi adepti sunt, afflatim glorie, quod homines in tylvis atque montibus dispalatos belluarum ad instar, in unum compulerint locum; & Civitates constituerint, quodque omnes Disciplinas quoque hodie traduntur, lepidis fabellatum involucris obvestitas pleni Deo primi docuerint; eritque hoc solum iisdem ad assequendam nominis immortalitatem

tatem non ignobile sane subsidium, quod Artium scientiam feliciter inchoatam posteris absolvendam reliquerint.

Noli igitur, quisquis es, arrogantiæ me temere damnare; quasi ego jam veterum omnium Poetarum decreta, nullâ nixus authoritate, perfregerim aut immutaverim; neque enim id mihi sumo, sed ea tantummodo ad normam rationis revocate conor, exploratus hoc pacto num rigidæ possit veritatis examen pati. Quocirca primò noctem Tellure ortam erudite quidem & eleganter fabulata est Antiquitas; quid enim aliud mundo noctem obducit quam densa & impervia terra, Solis lumini nostroque Horizonti interposita? quod eam deinde nunc patrimam, iussé negant Mythologi, nunc matrimoniū, id quoque festiviter sicutum; inde siquidem recte colligitur furiā suissē aut sedicitiam, aut demum parentes prolem tam famosam & illiberalem præ pudore non agnovisse. At vero cur existimarent *Phanetem* illum mirificā supramodum humanum facie, noctem Äthiopiam & monogrammam cœum in Matrimonium adamastō, ardum impense negotium videtur ē vestigio divinare, nisi quod scerninarum insignis admodum id temporis paucitas delectum suppeditaret nullum. Atqui pressæ agamus & cominus. *Phanetem* interpretantur Veteres Solem sive Diem; quem dum commemorant Noctis conjugium primo petuisse, deinde in ultionem spreti connubii infecutum, nihil aliud quam Dierum & Noctium vices ostendere volunt. Ad hoc autem quid opus erat introduxisse *Phanetem* Noctis nuptias ambientem, cum perpetua illa eorum successio & mutuus quasi impulsus innato & æterno odio melius adsignificetur; quippe constat sudum & tenebras ab ipso rerum principio acerrimis inter se dilectissimis in incitissimis. Atque ego tare noctem credo, εὐφεύρω cognomen hinc solum accepisse, quod *Phanetis* coniubio permisere se caute recusarit, nec non cogitate; etenim si illum semel in suos admisisset thalamos, extra dubium ratiis ejus & impatiibili fulgore absumpta vel in nihilum interiisset, vel penitus conflagrasset, sicuti olim invito Jove Amasio artifissæ ferunt *Semelem*. Quapropter huic, non improvida salutis sue, *Erebū* prætulit. Unde scitum illud *Martialis* & perurbanum,

*Uxor pessima, pessimus Maritus,  
Non miror bene convenire vobis.*

Nec tacendum existimo, quam formosâ & se dignâ virum auxeris, prole nimurum Ärumna, Invidiâ, Timore, Dolo, Fraude, Pertinaciâ, Paupertate, Miseriâ, Fame, Querelâ, Morbo, Senectute, Pallore, Caligine, Somno, Morte, Charonte, qui ultimo natus est partu; adeo ut hic apprime quadret quod in Proverbii consuetudinem venit, οὐαὶ νέοντος τανόν οὖτος. Ceterum nec defunt qui etiam Ätherem & Diem itidem *Erebo* suo Noctem peperisse tracunt. At enim quotusvisque eit, non impos mentis, qui sic Philosophantem non explodat ac rejiciat tanquam Democritica Commenta aut Nutricularum Fabulas proferentein: Ecquam enim veri speciem præ se fert, posse obscuram & fuscam noctem tam venustum, tam amabilem, tam omnibus gratum acceptumque reddere partum? Qui etiam ut primum conceptus esset, præmaturo impietu erumpens utro matrem enecässet, ipsumque *Erebū* patrem abegisset protinus, vetulumque coegisset *Charontem*, ut sub imo Styge noctuinos abderet oculos, & si qua sub Inferis latibula sunt, ut eo se remigio & velis recipere. Nec solum apud Orcum non est natus dies, sed ne unquam quidem ibi comparuit; neque potest illuc nisi fatorum ingratias vel per minimam intromitti rimuiam; quid! quod etiam diem nocte antiquorem audeo dicere, eamque mundum recens emersum ē Quo diffusa lumine collustrasse, priusquam non suæ egisset vices; nisi crassum illam & immundam caliginem noctem vel ipsi Demogorgoni equaevenit velimus perperam nominare. Ideoque Diem *Tiuni* filium natu maximam arbitror, vel filii potius dixeris, quem ille in solatium humanæ gentis & terrorem Infernalium Deorum procrease dicitur; ne scilicet, occupante tyrannidem nocte, nulloque inter Terras & Tartara discriminé posito, Manes & Furiæ atque omnes illud infame Monstrorum genus ad terras usque, desertâ Barathri tede, se proreperent, misellique homines densis obvoluti umbris, & quaquaversum occlusi, defunctarum animarum poenas etiam vivi experirentur. Hactenus, Acidimici, Suram metis propaginem atris & profundissimis erimus tenebris; habebitis illicet ut se dignam præbuerit Natalibus suis, sed si prius Dici laudibus impensis deuterum opellam meam, quamvis & illa sane otium.

omnium laudatorum Eloquentiam anteeat. Et certe primo quam omnium animantium stirpi grata sit & desiderabilis, quid opere est vobis exponere ; cum vel ipsæ volucres nequeant suum celare gaudium, quin egressæ nidulis, ubi primum diluculavit, aut in verticibus Arborum concentu suaviissimo deliniant omnia, aut sursum librantes se, & quam possunt prope solem volitent, redeunt gratulaturæ luci. At primus omnium adventantem Solem triumphat insomnis Gallus, & quasi præco quivis, monere videtur Homines, ut excusso somno prodeant, atque obviam effundant se novam salutatum auroram : tripudiant in agris capellæ, totumque genus quadrupedum gestit & exultat lætitia. Quintetiam & moesta Clytie totam fere noctem, converso in Orientem vultu, Phœbum pæstolata suum, jam arridet & abdulant appropinquanti Amatori. Caltha quoque & Rosa, ne nihil addant communi gaudio, aperientes sinum, Odores suos Soli tantum servatos profuse spirant, quibus noctem dedignantur impertiri, claudentes se folliculis suis simulatque vesper appetat ; cæterique flores inclinata paulum, & rore languidula erigentes capita quasi præbent se Soli, & tacite rogant ut suis osculis abstergat Lacrymulas, quas ejus absentia dederant. Ipsa quoque Tellus in adventum Solis cultiori se induit vestitu, nubesque juxta variis Chlamydatae coloribus, pompâ solenni, longoque ordine videntur ancillari surgenti Deo. Ad summam, nequid deesset ad ejus dilatandas laudes, huic Persæ, huic Libyes, divinos Honores decrevere ; Rhodienses pariter celeberrimum illum stupendæ magnitudinis Colossum, Charetis Lyndii miro extructum artificio, huic sacrârunt ; huic itidem hodie Occidentalibus Indie Populi thure cæteroque apparatu sacrificare accepimus. Vos testor, Academici, quam jucundum, quam optatum diuque expectatum vobis illucescat mane, utpote quod vos ad mansuetiores Musas revocet, à quibus insiturbabiles & sitibundos dimiserat ingrata nox. Testor ultimo Saturnum Cœlo deturbatum in Tartara, quam lubens vellet, si modo per Jovem licet, ab exosis tenebris ad auras reverti ; Quòd demum Lux vel ipsi Plutoni suâ caligine longe sit potior, id quidem in confessio est, quando coeleste regnum toties affectavit, unde scite & verissime Orpheus in hymno ad Auroram,

Ἡ χαίρει θυτῶν μερόπων γένει τὸ δὲ πιστεῖν,  
·ος φεύγει τῷ σὺν ὄφιν καδύπτεσθε τον.  
·Ηνίκα, τὸ γλυκὺν ὑπνον ἀπὸ βλεφάρων ἀποτείνει.  
πᾶς δὲ βεβός γνέει, πᾶν ἐρπετόν, ἀλλά τε φύλα  
Τετραπέδων, τίνωντε, καὶ ἔνταλιαν πλευενάν.

Nec mirum utique cum Dies non minus utilitatis adferat quam delectationis, & sola negotiis obeundis accommodata sit ; quis enim mortalium lata & immenta maria trajicere sustineret, si desperaret affuturum diem ; immo non aliter Oceanum navigarent quam Lethen & Acherontem Manes, horrendis nimis undiquaque tenebris obsiti. Unusquisque etiam in suo se contineret gurgustio, haud unquam ausus foras prorepere ; adeo ut necesse esset dislui statim humanam societatem. Frustra Venerem exeuntem è mari inchoasset Apelles ; frustra Zeuxis Helenam pinxit, si nox cæca & obnubila res tam visendas oculis nostris adimeret ; tum quoque frustra tellus serpentes multiplici & erratico lapsu vites, frustra decentissimæ proceritatis arbores profunderet, incassum denique gemmis & floribus tanquam stellulis interpoliret se, cœlum exprimere conata ; tum demum nobilissimus ille videndi sensus nullis animalibus usui foret ; ita prorsus, extincto mundi oculo, deflorescerent omnia & penitus emorerentur ; nec sane huic cladi diu supererent ipsi homines, qui tenebricosam incolerent terram, cum nihil suppeteret unde victitarent, nihil denique obstaret, quo minus in antiquum Chaos ruerent omnia. Hisce quidem possit quispiam inexhausto stylo plura adjicere ; verum non permitterebat ipsa verecunda dies ut singula persequatur, & proclivi cursu ad occasum præcipitans, nullo modo pateretur immodice laudantem. Jam igitur declinat in vesperam dies, & nocti statim cedet, ne adultâ hieme solstitiale contingisse diem facete dicatis. Tantum pace vestra liceat adjungere pauca quæ non possum commode præterire. Merito igitur Poetae noctem Inferis exurgere scriptitarunt ; cum impossibile plane sit aliunde tot tantaque mala nisi ex eo loco mortalibus invehiri. Oborta enim nocte fordescunt & obfuscantur omnia, nec quicquam tunc profecto interest inter Helenam & Canidiam, nihil inter

inter pretiosissimos & viles Lapillos, nisi quod gemmarum nonnullæ etiam noctis obscuritatem vincant: Huc accedit, quod amoenissima quæque loca tunc quidem horrorem incutiant, qui etiam alto & tristi quodam augetur silentio; siquidem quicquid uspiam est in agris, aut hominum aut ferarum, vel domum, vel ad antra raptim se conferunt; ubi stratis immersi ad aspectus noctis terribiles claudunt oculos. Nullum foris conspicies præterquam Fures & Laverniones Lucifugos, qui cædem anhelantes & rapinas, insidiantur bonis Civium, & noctu solum vagantur, ne detegantur interdiu; quippe dies nullum non indagare solet nefas, haud passura lucem suam istiusmodi flagitiis inquinari; nullum habebis obvium nisi Lemures & Larvas, & Empusas quas secum nox comites è locis asportat subterraneis, quæque totâ nocte terras in sua ditione esse, sibique cum hominibus communes vendicant. Ideoque opinor noctem auditum nostrum reddidisse solertiorem, ut umbrarum gemitus bubonum & strygum ululatus, ac rugitus Leonum, quos fames evocat; eò citius perstringerent aures, animose; graviori metu percellerent. Hinc liquidò constat, quam sit ille falsus animi qui noctu homines à timore otiosos esse, noctemque curas sopire omnes autumnat; namque hanc vanam esse nugarioram opinionem infelici nôrunt experientia, quicunque sceleris cujuspiam concii sibi fuere; quos tunc Sphinges & Harpyiæ, quos tunc Gorgones & Chimæræ intentatis facibus insequeuntur, nôrunt miseri, qui cum nullus adsit qui subveniat iis & opituletur, nullus qui dulcibus alloquii dolores leniat, ad bruta saxa irritas jaciunt querelas, subinde exoptantes oriturum diluculum. Idcirco *Ovidius* Poetarum elegantissimus noctem jure optimo curarum maximam nutricem appellavit. Quid autem eo potissimum tempore fracta & defatigata laboribus diurnis corpora recreemus somno & refocillemus, id numinis beneficium est non noctis munus; sed esto, non est tanti somnus ut ejus ergo noctem in honore habeamus, enimvero cum proficisci mus dormitum, revera tacite fatemur nos imbellies & miseros homines, qui minuta hæc corporcula ne ad exiguum tempus sine requie sustentare valeamus. Et certe quid aliud est somnus quam mortis imago & simulachrum? hinc *Homero* Mors & Somnus Gemelli sunt uno generati conceptu, uno partu editi. Postremò, quod Luna cæteraque Sydera nocti suas præferant faces, id quoque Soli debetur; neque enim habent illa quod transfundant lumen nisi quod ab illo accipiunt mutuum. Quis igitur, si non tenebrio, si non effractor, si non aleator, si non inter Scortorum greges noctem pernoctare perpetem integrosque dies ronchos efflare solitus, quis inquam nisi talis tam inhonestam, tamque invidiostam causam in se suscepereit defendendam? Atque demiror ego ut aspicere audeat Solem hunc, & etiam num communi luce impune frui, quam ingratus vituperat, dignus profecto quem adversis radiorum iictibus veluti *Pythonem* novum interimat Sol; dignus qui *Cimmeriis* occlusus tenebris longam & perosam vitam transfigat; dignus denique cuius Oratio somnum moveat auditoribus, ita ut quicquid dixerit non majorem somnio quovis fidem faciat; Quique ipse etiam somnolentus, nutantes atque stertentes Auditores annuere sibi & plaudere peroranti deceptus putet. Sed nigra video Noctis supercilia, & sentio atras insurgere tenebras; recedendum est, ne me nox improvismum opprimat. Vos igitur, Auditores, posteaquam Nox nihil aliud sit quam obitus, & quasi mors Diei, nolite committere ut Mors Vitæ præponatur; sed causam dignemini meam vestris ornare suffragiis, ita studia vestra fortunent Musæ; exaudiatque Aurora Musis amica, exaudiat & *Phœbus* qui cuncta videt auditque quos habeat in hoc coetu Laudis ejus Fautores. Duxi.

## In Scholis Publicis.

## De Sphærarum Concentu.

**S**I quis meæ tenuitati locus Academici, post tot hodie, tantosque exauditos Oratores, conabor etiam ego jam pro meo modulo exprimere, quam bene velim solenni hujus lucis celebritati, & tanquam procul sequar hodiernum hunc Eloquentiæ triumphum. Dum itaque trita illa, & pervulgata dicendi argumēta refugio penitus, & reformido, ad novam aliquam materiem ardue tentandam accedit animum, & statim erigit hujus diei cogitatio, horumque simul quos digna die loquuturos haud injuriâ suspicabar; quæ duo vel tardo cuvis, & obtuso cæteroquin ingenio stimulos, aut acumen addidisse poterant. Hinc idcirco subiit pauca saltem super illo cœlesti concentu, dilatata ( quod aiunt ) manu, & ubertate Oratoriæ præfari, de quo mox quasi contracto pugno disceptandum est; habitâ tamen ratione temporis, quod me jam urget & coarctat. Hæc tamen perinde accipiatis velim auditores, quasi per lusum dicta. Quis enim sanus existimaverit Pythagoram Deum illum Philosophorum, cuius ad nomen omnes ejus sacerduli mortales non sine persancta veneratione aspergebant, quis, inquam, eum existimaverit tam lubrice fundatam opinionem unquam protulisse in medium. Sanè si quam ille Sphærarum docuit harmoniam, & circumactos ad modulaminis dulcedinem cœlos, per id sapienter innuere voluit, amicissimos orbium complexus, æquabilesque in æternum ad fixam fati legem conversiones: in hoc certe vel Poetas, vel quod idem pene est, divina imitatus oracula, à quibus nihil sacri reconditique mysterii exhibetur in vulgus, nisi aliquo involutum tegumento & vestitu. Hunc secutus est ille Naturæ Matris optimus interpres *Plato*, dum singulis Cœli orbibus *Sirenas* quasdam insidere tradidit, quæ mellitissimo cantu Deos Hominesque mirabundos capiant. Atque hanc deinceps conspirationem rerum universum, & consensum amabilem, quem *Pythagoras* per Harmoniam Poetico ritu subinduxit, *Homerus* etiam per auream illam *Jovis* catenam de Cœlo suspensam insigniter, appositèque adumbravit. Hinc autem *Aristoteles*, *Pythagoræ*, & *Platonis* æmulus & perpetuus Calumniator, ex labefactatis tantorum virorum sententiis viam sternere ad gloriam, cupiens inauditam hanc Cœlorum symphoniam, Sphærarumque modulos affinxit *Pythagoræ*. Quod si sic tulisset sive fatum, sive fors, ut tua in me *Pythagora* Pater, transvolâset anima, haud utique deesset qui te facile assereret, quantumvis gravi jamdiu laborantem infamiâ. At vero quidni corpora cœlestia, inter perennes illos circuitus, Musicos efficiant sonos? Annon æquum tibi videtur *Aristoteles*? næ ego vix credam intelligentias tuas sedentarium illum rotandi Cœli laborem potuisse tot sacerulis perpeti, nisi ineffabile illud Astrorum melos detinuisse abituras, & modulationes delinimento suassisset moram. Quam si tu Cœlo adimas fane mentes illas pulchellas, & ministros Deos plane in Pistrinum dedis, & ad molas trusatiles damnas. Quinetiam ipse *Atlas* ruituro statim Cœlo jampridem subduxisset humeros, nisi dulcis illa consentus anhelantem, & tanto sub onere sudabundum lætissimâ voluptate permulisset. Ad hæc, pertæsus Astra *Dolphinus* jamdiu cœlo sua præoptâset maria, nisi probe calluisset, vocales Cœli Orbæ Lyram *Arioniam* suavitate longe superare. Quid! quod credibile est ipsam alaudam primâ luce restâ in nubes evolare, & Lusciniam totam noctis solitudinem cantu transligere, ut ad Harmonicam cœli rationem, quam attente auscultant, suos corigant modulos. Hinc quoque Musarum circa *Jovis* Altaria dies noctesque saltantium ab ultima rerum origine increbuit fabula; hinc *Phæbo* lyræ peritia ab longinqua vetustate attributa est. Hinc Harmoniam *Jovis*, & *Electre* suis filiam reverenda creditit Antiquitas, quæ cum *Cadmo* nuptui data esset, totus Cœli chorus concinuisse dicitur. Quid si nullus unquam in terris audiverit hanc astrorum Symphoniam? Ergone omnia supra Lunæ Sphærarum muta prorsus erunt, torpidoque silentio consopita? Quinimo aures nostras incusemus debiles, quæ cantus & tam dulces sonos excipere aut non possunt aut non dignæ sunt. Sed nec plæs inaudita est hæc cœli melodía; quis enim tuas *Aristoteles* in media aeris plaga tripudiantes capras putaverit, nisi quod præcinentes cœlos ob vicinitatem clare cum audiant, non possint sibi temperare quo minus agant choreas.

choreas. At solus inter Mortales concentum hunc audisse fertur Pythagoras; nisi & ille bonus quispiam genius, & cœli indigena fuerit, qui forte Superum jussu delapsus est ad animos hominum sacrâ eruditione imbuendos, & ad bonam frugem revocandos: ad minimum certe vir erat, qui omnes virtutum numeros in se continebat, quique dignus erat cum Diis ipsis sui similibus sermones miscere, & cœlestium perstrui consortio: ideoque nihil miror, si Dii ejus amantissimi abditissimis eum Naturæ secretis interesse permiserint. Quod autem nos hanc minime audiamus Harmoniam sane in causa videtur esse furacis Promethei audacia, quæ tot mala hominibus invexit, & simul hanc felicitatem nobis abstulit quâ nec unquam frui licebit, dum sceleribus cooperati belluini cupiditatibus obrutescimus; qui enim possimus cœlestis illius soni capaces fieri, quorum animæ (quod ait Persius) in terras curvæ sunt, & cœlestium prorsus inanes. At si pura, si casta, si nivea gestaremus pectora, ut olim Pythagoras, tum quidem suavissimâ illâ stellarum circumventium musicâ personarent aures nostræ, & opplerentur; atque dein cuncta illico tanquam in aureum illud sacculum redirent; nōsque tum demum miseriarum immunes, beatum & vel Diis invidendum degeremus otium. Hic autem me veluti medio in itinere tempus interfecit, idque persane opportune vereor enim ne incondito minimèque numero stylo, huic quam prædicto harmoniæ, toto hoc tempore obstrepuerim; fuerimque ipse impedimento, quo minus illam audiveritis; Itaque Duxi.

## In Scholis Publicis.

### *Contra Philosophiam Scholasticam.*

Quærebam nuper obnixe, Academici, nec in postremis hoc mihi curæ erat quo potissimum verborum apparatu vos Auditores meos exciperem, cum subito mihi in mentem venit id quod *Marcus Tullius* (à quo, non sine faulto omnino exorditur *Oratio mea*) toties commisit Literis; in hoc scilicet partes Rhetoris sitas esse, ac positas, ut doceat, delectet, & denique permoveat. Proinde istuc mihi tantummodo proposui negotium, ut ab hoc triplici Oratoris munere quam miniime discedam. At quoniam docere vos consummatos undique homines non est quod ego mihi sumam, nec quod vos sustineatis, liceat saltum (quod proximum est) monere aliquid fortasse non omnino abs re futurum; delectare interim, quod sane perquam vereor, ut sit exilitatis meæ, erit tamen desiderii summa, quam si attigero, certe parum erit, quin & permoveam. Permovo autem in præsens abunde, ex animi sententia, si vos Auditores inducere potero, ut immania illa, & prope monstrosa subtilium, quod aiunt, doctorum volumina rariori manu evolvatis, utque verrucosis Sophistarum controversiis paulo remissius indulgeatis. At vero ut palam fiat omnibus, quam sit æquum atque honestum quod suadeo, strictim ostendam, & pro mea semihorula hisce studiis nec oblectari animum, nec erudiri, nec denique commune bonum quicquam promoveri. Et certe in primis ad vos provoco, Academici, si qua fieri potest ex mea vestri ingenii conjectura, quid, quæsto, voluptatis inesse potest in festivis hisce tetricorum senum altercationibus, quæ si non in *Trophonii* antro, certe in Monachorum specubus natæ ollent, atque spirant scriptorum suorum tortuam severitatem, & paternas rugas præ se ferunt, quæque inter succinctam brevitatem plus nimio prolixæ tædium creant, & nauseam; at si quando productiores leguntur, tum quidem aversationem pene naturalem, & si quid ultra est innati odii pariunt Lectoribus. Sæpius ego, Auditores, cum mihi forte aliquoties imponeretur necessitas investigandi paulisper has argutias, post retusam diutinâ lectione & animi & oculorum aciem, sæpius inquam ad interspirandum restiti, & subinde pensum oculis emensus quæsivi miserum tædii solatium; cum vero plus semper viderem superesse, quæam quod legendo absolveram, equidem inculcatis hisce ineptiis quoties præoptavi mibi repurgandum *Augeæ Bubile*, fœlicemque prædicavi *Herculem*, cui facilis *Juno* hujusmodi ærumnam nunquam imperaverat exantlandam. Nec materiam hanc enervem, languidam, & humi serpentem erigit, aut atollit floridior stylus, sed jejonus & exuccus rei tenuitatem adeo conjunctissime comitatur, ut ego utique facile crediderim sub tristi *Saturno* scriptam

scriptam fuisse, nisi quod innocua tunc temporis simplicitas ignoraret prorsus officias istas, & diverticula, quorum hi Libri scatent ubique. Mihi credite, Juvenes Ornatisissimi, dum ego inanes hasce quaestiu[n]culas nonnunquam invit[us] percurro, videor mihi per confragosa tesqua, & salebras, perque vastas solitudines, & præruptas montium angustias iter confidere; propterea nec verisimile est venustulas, & elegantes Musas pannosis hisce, & squalidis præesse studiis, aut deliros horum Se[ctato]res in suum vendicare patrocinium; immo existimo nullum unquam suis in *Parnasso* locum, nisi aliquem forte in imo colle angulum incultum, ināmœnum, dumis & spinis asperum, atque horridum, carduis, & densâ urticâ cooperatum, à choro & frequentia Dearum remotissimum, qui nec emittat Lauros nec fundat Flores, quo[rum] denique *Phœbea* Citharae nunquam pervernerit sonus. Divina certe Poësis eâ, quâ cœlitus impertita est, virtute obrutam terrena fæce animam in sublime exuscitans, inter cœli templa locat, & quasi Nectareo halitu afflans, totamque perfundens Ambrosia, coelestem quodammodo instillat beatitudinem, & quoddam immortale gaudium insulurat. Rhetorica sic animos capit hominum, adeoque suaviter in vincula pelleatos post se trahit, ut nunc ad misericordiam permovere valeat, nunc in odium rapere, nunc ad virtutem bellicam accendere, nunc ad contemptum mortis evehere. Historia pui-  
chre concinnata nunc inquietos animi tumultus sedat & componit, nunc delib[er]tum gaudio reddit, mox evocat lachrymas, sed mites eas & pacatas, & quæ moestæ nescio quid voluptatis secum afferant. At vero futilis hæc, nec non strigose controversiae, verborumque velitationes in commovendis animi affectibus, certe nullum habent imperium; stuporem duntaxat & torpedinem accersunt ingenio; proinde neminem oblectant, nisi qui agrestis, & hirsuti plane pectoris est, qui ex arcano quodam impetu ad lites & dissidia proclivis, & insuper impendio loquax à recta & sana sapientia abhorret semper atque avertitur. Amandetur itaque cum suis captiunculis sane vel in montem *Caucasum*, aut sicuti terrarum cæca dominatur Barbares, ibiq; subtilitatum suarum & præstigiariū ponat officinam, & pro libitu de rebus nihili torqueat & angat se, usque dum nimia solitudo, veluti *Prometheus* ille vultur cor exederit, penitusque absumperit. Sed nec minus infrugifera sunt, quam injucunda hæc studia, & quæ ad rerum cognitionem nihil prorsus adjulant. Ponamus enim ob oculos omnes illos turmatim cucullatos vetulos, harum præcipue captionum figulos, quotusquisque est qui ullo beneficio locupletaverit rem literariam? Citra dubium profecto cultam & nitidam, & mansuetiorem Philosophiam asperitate impexâ deformem pene reddidit, & veluti malus genius, humana pectora spinis & sentibus implevit, & perpetuam in Scholas intulit discordiam, quæ quidem fœlices dissentium progressus mirum in modum remorata est. Quid enim? ultrò citrōque argutantur versipelles Philosophastri? hic suam undique sententiam graviter firmat, ille contra magnâ mole labefactare admicatur, & quod inexpugnabili argumento munitum existimes, id statim adversarius haud multo negotio amolitur. Hæret interea Lector, tanquam in bivio, quò divertat, quò inclinet anceps, & incertus consilii, dum tot utrinque confertim vibrantur tela, ut ipsam lucem adimant redusque profundam afferant caliginem, adeo ut jam lectori tandem opus sit, ut diuturnos *Cereris* imitatus labores, per universum terrarum orbem accensâ face querat veritatem, & nusquam inveniat: eosque demum infanæ redactus est, ut se misere cæcutire putet, ubi nihil est, quod videat. Ad hæc non rarerter usu venit, ut, qui harum disputationum fuligini addicunt se totos & devovent, si forte aliud quidvis aggrediantur à suis deliramentis alienum, mire prodant inscitiam suam, & deridiculam infantiam. Novissime, summus hic tam serio navatae operæ fructus erit, ut stultus evadas accurator, & nugarum artifex, utque tibi accedat quâsi peritior ignorantia, nec mirum; quandoquidem hæc omnia, de quibus adeo afflictum & anxie laboratum est, in natura rerum nullibi existent, sed leves quædam imagines, & simulachra tenuia turbidas oberrant mentes, & rectioris sapientiae vacuas. Cæterùm ad integratatem vitæ, & mores excelendos (quod multo maximum est) quam minime conducant hæc nugæ, etiam si ego taceam, abunde vobis perspicuum est. Atque vel hinc liquido evincitur quod mihi postremo dicendum proposui, scilicet importunam hanc λογοθεωρίαν nec in publicum cedere commodum, nec ullo modo Patriæ vel Honori esse, vel Utilitati, quod tamen in scientiis omnes antiquissimum esse ducunt. Siquidem his maxime duobus auctam atque exornatam præcipue patriam animadversi; vel præclare dicendo, vel fortiter agendo; atqui litigiosa hæc discrepanti-  
um

um opinionum digladiatio, nec ad eloquentiam instruere, nec ad prudentiam instituere, nec ad fortia facinora incitare posse videtur. Abeant igitur cum suis formalitatibus argutatores versuti; quibus post obitum hanc par erit irrogari poenam, ut cum *Oeno* illo apud inferos torqueant suniculos. At quanto satius esset, Academicici, quantoque dignius vestro nomine nunc descriptas chartula terras universas quasi oculis perambulare, & calcata vetustis Heroibus inspectare loca, bellis, triumphis, & etiam illustrium Poetarum fabulis nobilitatas Regiones percurrere, nunc astuantem transmittere *Adriam*, nunc ad *Aetnam* flaminigerantem impune accedere, dein mores hominum speculari, & ordinatas pulchre gentium respublicas; hinc omnium animantium naturas perseQUI, & explorare, ab his in arcanas Lapidum & Herbarum vires animum demittere. Nec dubitetis, Auditores, etiam in coelos evolare, ibique illa multiformia nubium spectra, nivisque coacervatam vim, & unde illae matutinæ lachrymæ contemplemini, grandinesque exinde loculos introspicite, & armamenta fulminum perscrutemini; nec vos clam sit quid sibi velit aut *Jupiter* aut Natura, cum dirus atque ingens Cometa coelo sèpe minitur incendium, nec vos vel minutissimæ lateant stellulæ, quotquot inter polos utrosque sparsæ sunt, & dispalatæ: immo Solem peregrinantem sequamini comites, & ipsum tempus ad calculos vocate, æternique ejus itineris exigite rationem. Sed nec iisdem, quibus orbis, limitibus contineri & circumscribi se patiatur vestra mens, sed etiam extra mundi pomoeria divagetur; perdiscatque ultimò (quod adhuc altissimum est) seipsum cognoscere, simulque sanctas illas mentes, & intelligentias quibuscum post hæc semipiternum initura est sodalitium. Quid multa nimis? vobis ad hæc omnia Disciplinæ sit ille, qui tantopere in deliciis est, *Aristoteles*, qui quidem hec prope cuncta scienter & conquisite scripta nobis reliquit addiscenda. Cujus ego ad nomen jam subito permoveri sentio vos, Academicici, atque in hanc sententiam duci pedentim, & quasi eo invitante proclivius ferri. Quod si ita sit, sane ejus rei laudem, cuiusquemodi est, illi debebitis & gratiam: Quod interim ad me attinet, ego certe satis habeo, si veniam prolixitatis meæ pro vestra humanitate impetravero. Dixi.

## In Collegio, &c.

### T H E S I S.

*In Rei cuiuslibet interitu non datur resolutio ad Materiam Primam.*

**E**rror an è *Pandora* pixide, an ex penitissimo eruperit *Stye*, an denique unus ex Terræ filiis in coelites conjuraverit, non est hujus loci accuratius disqui-ttere. Hoc autem vel non scrutanti facile innescat, eum ex infimis incrementis, veluti olim *Typhon*, aut *Neptuno* genitus *Ephialtes* in tam portentosam crevisse magnitudinem, ut ipsi quidem veritati ab illo metuam. Video enim cum ipsâ Divâ ændeix haud raro æquo *Marte* pugnantem, video post damna factum ditiorem, post vulnera virescentem, victumque victoribus exultantem. Quod de *Antæo Lybico* fabulata est Antiquitas. Adeo ut hinc sane non levi de causa carmen istud *Ovidianum* possit quispiam in dubium vocare, an scilicet ultima coelestum terras reliquerit *Astraæ*; vereor etenim ne Pax & Veritas multis post eam saculis invisos etiam mortales deseruerint. Num certe si illa adhuc in terris diversaretur, quis inducatur ut credat, luscum & cæcutientem errorem veritatem Solis æmulam posse intueri, quin plane vincatur oculorum acies, quin & ipse rursus abigatur ad inferos, unde primum emersus est? At vero citra dubium ausigit in coelum, patriam suam misellis hominibus nunquam redditura; & jam totis in Scholis dominatur immundus error, & quasi rerum potitus est, non instrenuos utique & non paucos nauctus assertores. Quarum accessione virium, ultra quam ferri potest inflatus, quænam est ulla Physiologiae particula vel minutula, in quam non impetiverit, quam non profanis violaverit unguibus, quemadmodum Harpias *Phinei Regis Arcadum* mensas conspurcasce accepimus? unde sane è res deducta est, ut lautissima Philosophiæ cupedia, ipsis quibus Superi vescuntur Dapibus non minus opipara, nunc suis conviviis nau-

am faciant. Contingit enim sæpenumero ingentia Philosophorum volumina evolventi, & diurnis nocturnisque manibus obterenti, ut dimitatur incertior quam fuerit pridem. Quicquid enim affirmat hic, & satis valido se putat statimare argumento, refellit alter nullo negotio aut saltem refellere videtur, atque ita pene in infinitum semper habet hic quod opponat, semper ille quod respondeat; dum miser interim Lector hinc atque inde tanquam inter duas bellugas diu divulsus ac discriptus, tædiöque prope enectus, tandem veluti in bivio relinquitur, huc an illuc inclinet plane anceps animi: ab utro autem stet veritas, fortasse (ne vera dissimulem) non est operæ pretium eâ. quâ expedit, industriâ explorare: quippe sæpius de re perquam minimi momenti maxima inter Centuriæ philosophantium agitatur controversia. Cæterum videor mihi inaudire submissitantes quosdam, quo nunc se proripit ille? dum in errorem invehitur, ipse toto errat Coelo: equidem agnosco erratum; neque hoc fecissem, nisi de vestro candore magna mihi pollicitus. Jam igitur tandem accingamur ad institutum opus: & his tantis difficultatibus Dea Lua (quod air *Lipsius*) me fœliciter expediatur. Quæstio quæ nobis hodie proponitur enucleanda hæc est, an interitu cujuslibet rei detur resolutio usque ad materiam primam? Quod aliis verbis sic proferre solent, an ulla accidentia quæ fuere in corrupto maneant etiam in genito? hoc est, an intereunte formâ omnia intereant accidentia quæ in composito præextiterant? Magna quidem est inter multos haudquaquam obscuri nominis Philosophos hac de re sententiæ discrepantia; hi dati ejusmodi resolutionem contendunt acerimè, illi neutiquam dare posse mordicus defendunt; hos ut sequar inclinat animus, ab illis ut longe latèque dissentiam tum ratione adductus, ut opinor, tum etiam tantorum virorum autoritate hoc autem quo pacto probari queat, reliquum est ut paulisper experiamur; idque succinctè quoad poterimus, atque primo hunc in modum. Si fiat resolutio ad Materiam primam subinfertur inde esentiale istud effitum, nempe eam nunquam reperi nudam, materiae primæ perperam attribui; occurrent adversarii, hoc dicitur respectu formæ, verum sic habento Sciolis isti formas substantiales nullibi gentium reperiri citra formas accidentarias: sed hoc leve, nec causæ admodum jugulum petit; firmiora his adhibenda sunt. Atque imprimis videamus eoque habeamus veterum Philosophorum nostrorum partium fautores; inquirentibus ecce ultro se nobis offert *Aristoteles*, cumq; lectissima manu suorum interpretum se nobis agglomerat; quippe velim intelligatis Auditores, ipso duce & hortatore *Aristotele* initum hoc prælium, & bonis avibus, uti spero auspicatum. Qui quidem id ipsum quod nos arbitramur, innuere videtur, *Metaph.* 7. *Text.* 8. ubi ait quantitatem primò inesse materiae; huic perinde sententiæ quicunque refragabitur, possum illi dicam hæreses ex lege omnium sapientium audacter scribere. Quinimo alibi plane vult quantitatem materiae primæ proprietatem, quod idem assenserunt plerique ejus sectatores; proprium autem à suo subjecto avellentem quis ferat ipsâ vel edititii judicis sententiâ: Verum age, comminus agamus, & quod suadeat ratio perpendamus. Assertio itaque probatur primo hinc, quod materia habet propriam entitatem actualem ex suâ propriâ existentiâ, ergo potest sustentare quantitatem, eam saltem quæ dicitur interminata. Quid? quod nonnulli confidenter affirmant formam non nisi mediante quantitate in materiam recipi, Secundo, Si accidens corruptitur, neceste habet ut his tantum modis corruptatur, vel per introductionem contrarii, vel per desitionem termini, vel per absentiam alterius causæ conservantis, vel deniq; ex defectu proprii subjecti cui inhæreat priori modo nequit corrupti quantitas, posteaquam contrarium non habeat; & quantumvis habeat qualitas hic tamen introduci non est supponendum: Secundus modus hoc non spectat, utpote qui sit relatorum proprius; Nec per absentiam causæ conservantis, ea enim, quam assignant adversarii, est forma; accidentia autem à forma pendere concipiuntur bifariam, vel in genere causæ formalis, aut efficientis; prior dependentia non est immediata, forma enim substantialis non informat accidentia, neque intelligi potest quod aliud munus exerceat circa ea in hoc genere causa, ideoque tantummodo mediata est, nimurum in quantum materia dependet à forma, & hæc deinceps à materia; modus dependentiæ posterior est in genere causæ efficientis, à forma tamen an accidentia pendeant in hoc genere nécne, in ambiguo res est: sed ut donemus ita esse, non sequitur tamen, depereunte formâ juxta etiam perire accidentia, propterea quod causæ illi recedenti, succedit è vestigio alia similis omnino sufficiens ad conservandum eundem numero effectum absque interruptione: Postremo, quod non

ex defectu proprii subjecti in nihilum recidit quantitas aliisque id genus accidentia, probatur quia subjectum quantitatis est aut compositum, aut forma, aut materia; quod compositum non sit, ex eo liquet, quod accidentis quod est in composito attingit simul suam unionem & materiam & formam per modum unius, at vero quantitas non potest ullo modo attingere animam rationalem, dum haec spiritualis sit, & effectus formalis quantitatis, hoc est extentionis quantitativae minime capax; porro quod forma non sit subjectum ejus, ex supradictis satis est perspicuum: restat igitur ut materia sola sit subjectum quantitatis, atque ita praeceditur omnis interitus illatio in quantitate. Quod pertinet ad id quod vulgo affertur de cicatrice, argumentum efficacissimum esse centeo; quis enim mihi fidem adeo extorqueat, ut credam eam in cadavere plane diversam esse ab ea quae fuit nuperrime in vivo, cum nulla subsit ratio, nulla necessitas corrigendi sensus nostri, qui raro quidem hallucinatur circa proprium objectum; citiusque ego & facilius audirem de Larvis, deque Eimpulis mira commemorantem, quam cerebrosos hosce Philosophastros de accidentibus suis de novo procreatis stulte & insubide obgannientes. Etenim calorem, ceterasque animalis qualitates intensibiles & remissibiles easdem prorsus pernovimus in ipso mortis articulo, & post mortem itidem; quorsum enim destruerentur haec, cum aliæ similes sint producendæ? buc accedit, quod si de novo procrearentur, ad tempus non adeo exiguum durarent, neque etiam repente ad summum pervenirent intentionis gradum, sed paulatim & quasi pedetentim. Adde quod vetustissimum sit axioma, quantitatem sequi materiali, & qualitatem formam. Potui quidem, immo ac debui huic rei diutius immorari, ac profecto nescio an vobis, mihi met certe ipse maximopere sum tandem. Supereft ut jam ad adversiorum argumenta descendamus, quae faxint Musæ, ut ego in materiam primam si fieri potest, vel potius in nihilum redigam. Quod ad primum attinet, Aristoteles testimonium, quod dixerit in generatione non manere subjectum sensibile, occurrimus illud intelligi debere de subiecto completo & integro (i.e.) de substantiali composito, quod testatur Philoponus antiquus & eruditus Scriptor. 2. Quod inquit Arist. materia est nec quid, nec quantum, nec quale; hoc non dicitur quod nullam quantitatem aut qualitatem afficiatur, sed quia ex se, & in entitate sua nullam aut quantitatem aut qualitatem includat. Tertio, ait Arist. destructis primis substancialibus destrui omnia accidentia, quod sane futurum non inficiamur si ipsi corruptæ subinde succederet alia. Postremo, Formam inquit recipi in materiam nudam; hoc est, nuditate formæ substantialis. Adhuc incrudescit pugna, & nutat victoria, sic enim instaurato prælio incurvant, materia quandoquidem sit pura potentia, nullam habet esse præterquam illud quod emendicata formam, unde non satis ex se valet ad sustentanda accidentia, nisi prius ad minimum naturam conjungatur formam à qua τὸ εἶναι acceptum ferat; huic errori sic mederi solent, materiam primam suum habere proprium esse, quod licet in genere substanciali sit incompletum, cum accidente tamen si conferatur esse simpliciter haud incommodo dici potest. Quinetiam objiciunt materiam respicere formam substanciali ut actum primum, at accidentia ut actus secundarios. Respondeo, materiam respicere formam prius ordine intentionis, non generationis aut executionis. Gliscit jam atque effervescit contentio, & tanquam ad internacionem dimicaturi urgent nos acrius hunc ad modum: omnis proprietas manat active ab essentia ejus cuius est proprietas; quantitas autem hoc nequit, quia haec dimensione est aliqua efficientia, materia autem secundum se nullam habet efficientiam, cum sit mere passiva; ergo, &c. Respondeo, duabus modis posse intelligi naturalem conjunctionem materiarum cum quantitate, ratione solum potentiae passivæ intrinsecus naturam suam postulantis talem affectionem; neque enim ulla impellit necessitas, ut omnis innata proprietas sit debita subiecto ratione principii activi; namque interdum sufficit passivum, quo modo multi opinantur motum esse naturalem cœlo. Secundo potest & intelligi per intrinsecam dimensionem activam, cum in se habeat veram & actualem essentiam. Sed nec adhuc omnis amissa spes victoria; iterum enim facto imperio adoruntur, inferentes ideo formam mediæ quantitate in materiam recipi, quoniam inest materiarum prius: nos è contra aperte reclamamus huic sequelæ, & nihilominus quo omnia possimus salva reddere, hac utimur distinctione, recipi formam in materiam mediæ quantitate ut dispositione, seu conditione necessariâ, verum nullo modo tanquam potentiam proxime receptivam formam. Ultimo, sic arguunt, si quantitas inest materiarum soli sequitur esse ingenerabilem & incorruptibilem;

bilem; quod videtur repugnare, quia motus per se sit ad quantitatem. At nos utique largimur consequentiam, quippe revera quantitas est incorruptibilis quoad suam entitatem, licet quoad varios terminos possit incipere & definere esse per conjunctionem & divisionem quantitatis, neque enim est per se motus ad quantitatis productionem, sed ad accretionem; & nec eo sit quasi nova quantitas incipiat esse in rerum natura, sed eo quod una quantitas adjungatur alteri, & quae erat aliena sit propria. Postrem equidem plura argumenta ultro citroque proferre, quae tamen tædii levandi gratia prætermitto; hic igitur satius erit receptui canere.

## In Scholis Publicis.

*Non dantur formæ partiales in animali præter totalem.*

**R**omani rerum olim Domini altissimum imperii fastigium adepti sunt, quale nec *Affria Magnitudo*, nec *Virtus Macedonica*, unquam potuit attingere, quo nec futura Regum Majestas efferre se olim valebit: sive ipse *Jupiter* annis jam gravior, cœloque contentus suo in otium se tradere voluerit, commissis Populo Romano tanquam Diis terrestribus rerum humanarum habenis; sive hoc *Saturno* Patri in *Italianam* detruso ad amissi cœli solatium concesserit, ut *Quirites* ejus nepotes, quicquid uspiam est, terræ, marisque potirentur. Utcunq; certe non ultro largitus est hoc illis beneficium, sed per assidua bella, perque longos labores ægre dedit, exploratus opinor, an *Romani* soli digni viderentur, qui summi vices *Jovis* inter mortales gererent; itaque parce duriterque vitam degere coacti sunt, quippe inchoatas pacis blanditiæ abruperit semper belli clamor, & circumcirca strepitus armorum. Ad hæc, devictis quibusque urbibus & provinciis præsidia imponere & saepius renovare necesse habuere, omnemque pene juventutem nunc in longinquam militiam, nunc in colonias mittere. Cæterum non incruentam semper victoriam domum reportarunt, immo saepe funestis cladibus affetti sunt. Siquidem *Brennus* Gallorum Dux virescentem modo *Romanam* gloriam pene delevit; & parum absuit, quo minus divinitus creditum orbis moderamen abripuerit *Roma Carthago* urbs nobilissima. Denique *Gothi* & *Vandalici* sub *Alarico* Rege, *Hunni* & *Panoni* *Attyla* & *Bleda* Ducibus totam inundantes *Italianam*, florentissimas imperii opes, ex tot bellorum spoliis aggestas, misere, diripiure, *Romanos* paulo ante Reges hominum turpi fugâ stravere, ipsamque urbem, ipsam inquam *Romam*, solo nominis terrore ceperunt; quo facto nihil dici aut singi potuit glorioius, plane quasi ipsam victoriam aut amore captant, aut vi & armis exterrefactam in suas traxissent partes. Satis admirati estis Auditores, quorsum hæc omnia protulerim, jam accipite. Hæc ego quoties apud me recolo animoque colligo, toties cogito quantis viribus de tuenda veritate certatum sit, quantis omnium studiis, quantis vigiliis contenditur labantem ubique, & profigatam veritatem ab injuriis hostium afferere. Nec tamen prohiberi potest, quin foedissima colluvies errorum invadat indies omnes disciplinas, quae quidem tanta vi aut veneno pollet, ut vel niveæ veritati suam imaginem inducere valeat, aut sydeream veritatis speciem nescio quo fuso sibi adsciscere, quâ, ut videtur, arte & magnis Philosophis frequenter imposuit, & honores, venerationemque uni veritati debitam sibi arrogavit. Quod in hodierna questione videre poteritis, quae quidem non intrenuos naæta est pugiles, eosque clari nominis, si relictis hisce partibus veritatem demereri mallent: Itaque nostræ nunc erit opera, ut nudatum, plumisque emendicatis exutum errorum deformitati nativæ reddamus; quod ut expeditius fiat gravissimorum vestigiis Authorum insistendum esse mihi existimo, neque enim expectandum est, ut ego quicquam de meo adjiciam quod utique tot viros ingenio præstabilis fugit & præterit: idcirco quod sufficit ad rem dilucidandam, expromam brevi, argumento uno atque altero tanquam aggere vallabo; tum si quid reclamat, atque obstat nostræ sententiae diluam, ut potero; quæ tamen omnia paucis perstringam, & quasi extremis alis radam. Contra unitatem formæ, quam in una eademque materia statuere semper emunctiores Philosophi solent, varias opiniones subortas esse legimus, quidam enim plures in animali formas totales dari

pertinaciter contendunt, idque pro suo quisque captu varie defendunt; alii totalem unicam, partiales vero multiplices ejusdem materiae hospitio excipi importunius asseverant. Cum illis ad tempus more bellico pacis cemur inducias, dum in hos omnem prælii viam atque impetum transferimus. Ponatur prima in acie Aristoteles, qui noster plane est, quique sub finem primi Libri de Anima, non occulite faverit nostræ Assèrtioni. Huic authoritati aliquor attexere argumenta non est longæ disquisitionis opus: præbet se mihi imprimis *Chrysostomus Favellus*, cuius è stercorio, nimirum horridulo & incompto stylo, Aurum & Margaritas effodere possimus, quæ si quis delicatus aspernetur, in illum sane aliquatenus belle quadrabit ille *Aëspici* Galli Apologus. In hunc ferme modum argumentatur; Distinctio illa & Organizatio partium dissimilarium præcedere debet introductionem animæ, utpote quæ sit actus corporis non cuiuslibet, sed Physici organici; quapropter immediate ante productionem totalis formæ, necesse est corrupti partiales illas nisi corruat penitus receptissimum illud Axioma, Generatio unius est alterius Corruptio; quarum productionem non sequitur similium præsentanea productio; id enim frustra foret, & ad Naturæ matris sapientiam parum conveniens. Deinde posteaquam omnis forma, sive perfecta sit, sive imperfecta, tribuat esse specificum, necesse est, ut quamdiu manet ista forma, tamdiu res illa maneat eadem non variata secundum substantiam suam, proindeque superveniet forma totalis tanquam accidens, non per generationem sed per alterationem. Sequitur porro animam totalem sive divisibilem, sive indivisiblem, non sufficere ad omnes partes animantis plene perfecteque informandas, quod ut largiamur nulla suadet ratio. Sequitur itidem unam formam substantialem esse quasi dispositionem proximam & permanentem ad aliam, quod veritatis absonum est, quandoquidem unaquæque forma constituit essentiam completam in genere substantiæ. Postremo, si in omnibus partibus puta hominis plurifientur formæ partiales, ex illis certe consurget una integra distincta ab anima rationali, unde illa erit, aut forma inanimati seu corporeitatis, aut misionis (quam præter animam in homine dari sane ultra quam credibile est) vel erit anima sensitiva, aut vegetativa, hoc autem affirmantem nullo modo audiat eruditior chorus Philosophantium; cuius rei ampliori probatione superfedeo, quoniā in confessu est, nec admodum accedit ad apicem causæ. Verum, quod caput est controversiæ, objiciunt adversarii, partem ab animali amputatam remanere actu post separationem, non per formam totius cum sit extra totum, nec per formam recens acquisitam, cum nullum adsit agens, nulla perceptibilis actio, nulla prævia alteratio; ergo, actu existit per formam propriam quam prius habebat, dum erat una in toto. Atque hoc argumento arietare se putant causam nostram & funditus evertere: Cæterum non minus vere quam vulgariter solet responderi, formam de novo genitam, cum vilissima sit utpote cadaveris, & quasi via ad resolutionem, certe nec multum temporis, nec dispositiones multas, nec ordinatam alterationem efflagitare. Quid si etiam cœla aliqua universalis concurrat cum proximo temperamento ad inducendam qualemcumque formam ne materia reperiatur vacua? Quod autem multiplices videntur in animali operationes, id non à formis distinctis partialibus petendum est, sed ab animæ totalis eminentiâ, quæ quidem æquipollit formis specie distinctis. Cæteras quæ occurrunt, levioris momenti objectiones ex composito præterire libet, neque enim jugulant; faciliusque amoveri, & luculentius redargui poterunt, si forte inter disputandum prolatæ fuerint in medium. Quocunque res redeat tametsi ego causâ cadam, causa non cadet: satis enim superque suo Marte valet ad se defendendam invicta semper Veritas; nec ad id alienis indiget adminiculis; & licet nobis aliquando superari, & pessum premi videatur, inviolatam tamen perpetuò servat se, & intactam ab erroris unguibus; in hoc Soli non absimilis, qui sæpe involutum se, & quasi inquinatum nubibus ostendit humanis oculis, cum tamen collectis in se radiis, totoque ad se revocato splendore purissimus ab omni labe colluceat.

In Fériis æstivis Collegii, sed concurrente, ut solet, tota fere Academiæ juventute.

### O R A T I O.

*Exercitationes nonnunquam Ludicras Philosophiae studiis non obesse.*

C U M ex ea Urbe quæ caput urbium est, huc nuper me reciperem, Academici, deliciarum omnium, quibus is locus supra modum affluit, usque ad saginam, prope dixerim, satur, sperabam mihi iterum aliquando otium illud Literarium, quo ego vitæ genere etiam coelestes animas gaudere opinor; eratq; penitus in animo jam tandem abdere me in Literas, & jucundissimæ Philosophiæ perdius & pernox assidere; ita semper assolet Laboris & Voluptatis vicissitudo amovere satietatis tedium, & efficere, ut intermissa repetantur alacritus. Cum his me incalentem studiis repente avocavit, atque abstraxit perversi moris fere annua celebritas, jussusque ego sum eam operam quam acquirendæ sapientiæ primò destinaram, ad nugas transferre, & novas ineptias excogitandas: quasi jam nunc non essent omnia stultorum plena, quasi egregia illa, & non minus Argo decantata navis stultifera fecisset naufragium, plane denique ac si ipsi Democrito materia jam ridendi deesset. Verum date quæso veniam, Auditores; hic enim hodiernus mos, utut ego liberius paulo sum locutus, sane qui-demi non est ineptus, sed impense potius laudabilis, quod quidem ego jam mihi proposui statim luculentius patefacere. Quod si Junius Brutus secundus ille rei Romane conditor, magnus ille ulti regiæ libidiñis, animum prope Diis immortibus parem, & mirificam indolem simulatione vecordiæ suppressimere sustinuit; certe nihil est, cur me pudeat aliquantis per μεροσφάς nugari, ejus præsertim jussu, cuius interest, tanquam ædilis hos quasi solennes ludos curare. Tuni nec mediocriter me pellexit, & invitavit ad has partes subeundas vestra, vos qui ejusdem estis mecum Collegii, in me nuperrime comperta facilitas, cum enim ante præteritos menses aliquam multos oratorio apud vos munere perfuncturus essem, putaremque lucubrationes meas qualescunque etiam ingratas propemodum futuras, & mitiores habituras judices Æacum & Minoa, quam è vobis fere quemlibet, sane præter opinionem meam, præter meam si quid erat speculæ, non vulgari sicuti ego accepi, imo ipse sensi, omnium plausu exceptæ sunt, immo eorum, qui in me alias propter studiorum dissidia essent prorsus infenso & inimico animo: generosum utique simultatis exercenda genus, & regio pectore non indignum; siquidem cum ipsa amicitia plerumque multa inculpate facta detegere soleat, tunc profecto acris & infesta inimicitia errata forsitan multa, & haud pauca sine dubio indiserte dicta, leniter & clementius quam meum erat meritum interpretari non gravabatur. Jam semel unico hoc exemplo vel ipsa demens ira mentis compos suis videbatur, & hoc facto furoris infamiam abluisse. At vero summopere oblector, & mirum in modum voluptate perfundor, cum videam tantâ doctissimorum hominum frequentiâ circumfusum me, & undique stipatum: Et rursus tamen cum in me descendeo, & quasi flexis introrsum oculis meam tenuitatem secretus intueor, equidem saepius mihi metu soli conscius erubesco & repentina quedam ingruens mœstitia subtiliorem deprimit & jugulat lætitiam. Sed nolite Academici, sic me jacentem & consternatum, & acie oculorum vestrorum tanquam de celo tactum, nolite quæso sic deserere; erigat me semianimum, quod potest, & refocillet vestri favoris aura, ita fiet, ut, vobis authoribus, non admodum grave sit hoc malum; at remedium mali vobis exhibentibus, eo jucundius & acceptius; adeo ut mihi fuerit perquam gratum sic saepius examinari, modo liceat à vobis recreari me toties & refici. At ô interim singularem in vobis vim, atque eximiam virtutem, quæ tanquam hasta illa Achillea, Vulcani munus, vulnerat & medicatur! Cæterum nec miretur quispiam, si ego tot eruditione insignes viros, totumque pene Academiæ florem huc confluxisse, tanquam inter astra positus triumpheim; vix etenim opinor plures olim Athenas adventasse ad audiendum duos Oratores summos Demosthenem & Æschinem de principatu eloquentiæ certantes,

nec

nec eam unquam fœlicitatem contigisse peroranti *Hortensio*, nec tot tam egregie literatos viros condecorâsse orantem *Ciceronem*; adeo ut quamvis ego hoc opus minus fœliciter absolvero, erit tamen mihi honori non aspernando in tanto concursu conventuque præstantissimorum hominum vel verba fecisse. Atque hercle non possum ego nunc, quin mihi blandiuscule plaudam qui vel *Orpheo*, vel *Amphione* multo sim meo judicio fortunatior: hi enim chordulis suavi concentu adsonantibus digitos tantum doce & perite admovebant; eratque in ipsis fidibus, & in apto dextroque manuum motu æqualis utrinque pars dulcedinis: atqui ego si quid hodie laudis hinc reportavero, ea sane & tota erit & vere mea, tantoque nobilior, quanto ingenii opus vincit ac præstat manuum artificium. Deinde hi saxa, & feras, sylvasque ad se trahebant, & si quos homines, rudes illos, & agrestes: at ego doctissimas mihi deditas aures, & ab ore meo pendentes video. Novissime agrestes illi, & feræ jam satis noram & complures exauditam sequebantur nervorum harmoniam; vos vero hoc rapuit, & jam detinet sola expectatio. Sed tamen Academici, hic vos imprimis commonefactos volo, me non hæc gloriosius crepuisse; utinam enim mihi vel in præsentia concederetur melleum illud, seu verius Nectareum Eloquentiae flumen quicquid unquam *Attica* vel *Romana* ingenia imbuebat olim, & quasi coelitus irrorabat, utinam mihi liceret omnem penitus *Suadæ* medullam exugere, & ipsius etiam *Aternum* scinia suffurari, omnesque elegantiarum loculos funditus exinanire, quo possim aliquid tanta expectatione, tam præclaro cœtu, tam denique terfis & delicatis auribus dignum adserre. Ecce, Auditores, quo me raptat & impellit vehementissimus ardor & prolubrum placendi vobis, quippe de improviso me proiectum sentio in ambitionem quandam, sed eam sane piam, & honestum, si hoc fieri potest, Sacrilegium. Et certè existimo haudquaquam mihi opus esse Musarum auxilium implorare & exposcere, iis enim me circumseptum puto, qui Musas omnes spirant & Gratias, totumque reor *Heliconi*, & quæcunque sunt alia Musarum delubra ad hunc diem celebrandum omnes suos effudisse alumnos; adeo ut credibile sit jam nunc propter eorum absentiam lugere & deflorescere *Parnassi* Lauros; unde profecto frustra erit Musas, & Charites, & Libentias usquam terrarum queritare, quam in hoc loco; quod si ita sit, necesse est protinus ipsam Barbariem, Errorem, Ignorantiam, & omne illud Musis invisum genus quam celerrime aufugere ad aspectum vestrum, & sub diverso longe cœlo abscondere sese; atque deinde quidem quid obstat, quo minus quicquid est barbaræ, incultæ & obsoletæ locutionis abigatur exemplò ab Oratione mea, atque ego afflatus vestro, & arcano instinctu disertus & politus subito evadam. Utcunque tamen vos, Auditores, obtestor, ne quem vestrum poeniteat meis paulisper vacâsle nugis; ipsi enim Dii omnes, coelestis politiæ curâ ad tempus depositâ, depugnantium hominumcotorum spectaculo saepius interfusse perhibentur; aliquoties etiam humiles non dignatai casus, & paupere hospitio excepti, fabas & olera narrantur esistasse. Obscro itidem ego vos, atque oro, Auditores optimi, ut hoc meum quale quâlè conviviolum ad subtile vestrum & sagax palatum faciat. Verum etiamsi ego permultos noverim Sciolos quibus usitatissimum est, si quid ignorârunt, id superbe & inscite apud alias contemnere, tanquam indignum cui operam impendant suam; quemadmodum hic Dialecticam insulse vellicat, quam nunquam assequi potuit; ille Philosophiam nihil facit, quia scilicet formosissima Dearum Natura nunquam illum tali dignata est honore, ut se nudam illi præbuerit intuendam: Ego tamen Festivitates & Sales, in quibus quoque per exiguum agnosco facultatem meam, non gravabor, ut potero, laudare; si prius hoc unum addidero, quod sane arduum videtur, & minime proclive, me jocos hodie seriò laudaturum. Atque id non immerito quidem, quid enim est quod citius conciliet, diutiusque retineat amicitias, quam amicum & festivum ingenium? & profecto cui desunt sales, & lepores, & politulæ facetiæ, haud temere inventis cui sit gratus & acceptus. Nobis autem, Academici, si quotidiani moris esset indormire & quasi immori Philosophiæ, & inter dumos & spinas Logicæ consenescere citra ullam enim relaxationem, & nunquam concesso respirandi loco, quid, quæso, aliud esset philosophari, quam in *Trophonii* antro vaticinari, & *Catonis* plus nimio rigidi Sectam sectari; immo dicerent vel ipsi rusticani, sinapi nos visitare. Adde quod, quemadmodum qui luctæ & campestri ludo assuescant se, multo cæteris valentiores redduntur, & ad omne opus paratores; ita pariter usuvenit, ut per hanc ingenii palæstram corroboretur.

retur nervus animi, & quasi melior sanguis & succus comparetur, utque ipsa  
 indoles limatior fiat acutiorque, & ad omnia sequax & versatilis. Quod si  
 quis urbanus & lepidus haberi nolit, ne sis hoc illi stomacho si paganus & sub-  
 rusticus appelletur ; & probe novimus illiberale quoddam genus hominum, qui  
 cum ipsi prorsus insulti sint & infestivi, suam tacite secum aestimantes vilitatem  
 & infidem, quicquid forte urbanius dictatum audiunt, id statim in se dici  
 putant ; digni sane quibus id vere eveniat, quod injuria suspicantur, ut scilicet  
 omnium dictuū everberantur, pene usquedum suspendium cogitent. Sed non  
 valent istae hominum quisquiliæ urbanitatis elegantulæ licentiam inhibere. Vul-  
 tis itaque me Auditores, rationis fundamento fidem exemplorum superstruere ?  
 ea utique mihi abunde suppetunt, primus omnium occurrit *Homerus* ille oriens,  
 & *Lucifer* cultioris literaturæ, cum quo omnis eruditio tanquam Gemella nata  
 est, ille enim interdum à Deorum consiliis & rebus in Cœlo gestis divinum  
 revocans animum, & ad facetias divertens, murium & ranarum pugnam iepidil-  
 sime descriptis. Quinetiam *Socrates*, teste *Pythio*, sapientissimus ille mortalium,  
 jurgiosam uxoris morositatem sèpenumero quam urbane perstrinxisse fertur.  
 Omnia deinde veterum Philosophorum diverbia sale sparsa, & lepore venusto  
 passim legimus referta ; & certe hoc unum erat quod antiquos omnes *Comœdi-*  
*arum* & *Epigrammatum Scriptores*, & *Græcanicos* & *Latinos*, æternitate no-  
 minis donavit. Quinimo accepimus, *Ciceronis* jocos & facetias tres Libros à *Ty-*  
*rone* conscriptos implevisse. Et cuique jam in manibus est ingeniosissimum  
 illud *Moria* encomium non insimi Scriptoris opus, multæque alia clarissimo-  
 rum hujus memoriæ Oratorum de rebus ridiculis extant haud infaceræ prolusi-  
 ones. Vultis summos Imperatores, & Reges, & fortes viros ? Accipite *Peri-*  
*clem*, *Epaminondam*, *Ageſilaum*, & *Philippum Maccōnēm*, quos ( ut *Gelliano* more  
 loquar ) festivitatum & falsè dictorum scatuisse memorant Historici : Ad hos  
*Caium Lelium*, *Pub. Cor. Scipionem*, *Cneium Pompeium*, *C. Julium* & *Ostavium Cæ-*  
*sares*, quos in hoc genere omnibus præstissime coætaneis author est *M. Tullius*.  
 Vultis adhuc majora nomina ? ipsum etiam *Jovem* reliquosque Cœlites inter  
 epulas & pocula jucunditatí se dantes inducunt Poetæ sagacissimi veritatis adum-  
 bratores. Vestrâ demum, Academicī, utar tutelâ & patrocinio, quod mihi  
 erit omnium adinstar ; quippe quam non displiceant vobis sales & joculi ; indi-  
 cat satis tantus hodie vestrūm factus concursus, & hoc sane unumquodque ca-  
 put mihi annuere videtur ; nec mihi est mehercle festam hanc & mundulam  
 urbanitatem omnes probos, simulque claros viros sic oblectare, cum & ipsa in-  
 ter splendidos virtutum *Aristotelicarum* ordines sublimis sedeat, & velut in *Pan-*  
*theo* quodam Diva cum Divis Sororibus colluceat. Sed forte non desunt qui-  
 dam Barbatī Magistri tetrici oppido & difficiles, qui se magnos *Catones*, nedum  
 Catunculos putantes, vultu ad severitatem *Stoicam* composito, obstipo nutantes  
 capite anxie querantur omnia nunc dierum commisceri, & in deterius perverti  
 & loco Priorum *Aristotelis* ab initiatīs recens baccalaureis exponendorum, scom-  
 mata & inanes nugas inverecunde & intempestive jactari ; hodiernum quoque  
 exercitium à majoribus nostris sine dubio recte & fideliter institutum ob in-  
 signem aliquem, sive in Rhetorica, sive in Philosophia fructum inde percipi-  
 endum, nunc nuper in infipidos sales perperam immutari. At vero his quod  
 respondeatur ad manum mihi est, & in procinctu ; Sciant enim illi, si nesciant,  
 Literas, cum leges Reipub. nostræ Literariæ primum essent lateæ, ab exteris re-  
 gionibus vix has in cras suisse advectas : idcirco cum Græcae & Latinæ Linguæ  
 peritia impendio rara esset & insolens, expediebat eò acriori studio, & magis  
 assiduis exercitationibus ad eas eniti & aspirare : nos autem quandoquidem su-  
 perioribus nostris pejus sumus morati, melius eruditii, oportebit relicti quæ  
 haud multam habent difficultatem ad ea studia accedere, ad quæ & illi contu-  
 lissent se, si per otium licuisset ; nec vos præteriit primos quosque legumlatores  
 duriora paulo scita, & severiora quam ut ferri possint semper edere solere, ut de-  
 flectentes & paululum relapsi homines in ipsum rectum incident. Denique  
 mutatâ nunc omnino rerum facie, necesse est multas leges, multasque consuetu-  
 dines si non antiquari & obsolescere, coangustari saltem nec per omnia servari.  
 Verum si leves istiusmodi nugæ palam defensitatæ fuerint & approbatæ, pub-  
 licamque demeruerint laudem ( sic enim arduis superciliis solent dicere ) nemo  
 non averso ab sana & solida eruditione animo eum ad ludicra statim & histrio-  
 nalem prope levitatem adjunget, adeo ut ipsa Philosophorum spatia pro doctis  
 & cordatis nugatores emissura sint vel nimis & scurris proterviores. At vero  
 ego

ego existimo eum qui jocis insubidis sic solet capi, ut præ iis seria & magis utilia plane negligat, eum inquam, nec in hac parte, nec in illa posse admodum proficere: non quidem in seriis, quia si suisset ad res serias tractandas naturâ comparatus, factusque, credo non tam facile pateretur se ab iis abduci; nec in nugatoriis, quia vix queat ullus belle & lepide jocari, nisi & serio agere prius addidicerit. Sed vereor, Academicus, ne longius æquo deduxerim Orationis filum; nolo excusare quod potui, ne inter excusandum ingravescat culpa. Jam oratoriis soluti legibus profiliemus in Comicam licentiam. In qua si forte momen meum, si rigidas verecundiae leges transversum, quod aiunt, digitum egresus fuero, sciatis Academicus, me in vestram gratiam exuisse antiquum meum, & parvum per depositisse: aut si quid solute, si quid luxurianter dictum erit, id quidem non mentem & indolem meam, sed temporis rationem & loci genium mihi suggestisse putetis. Itaque, quod simile solent exeuntes implorare Comœdi, id ego inceptans flagito. Plaudite, & ridete.

## Prolusio.

**L**aboranti, ut videtur, & pene corruenti stultorum rei summae, equidem nescio quo merito meo Dictator sum creatus. At quorsum ego? cum Dux ille, & Antesignanus omnium Sophistarum & sedulò ambiverit hoc munus, & fortissime potuerit administrare; ille enim induratus Miles ad quinquaginta pridem Sophistas sudibus breviculis armatos per agros *Barnellianos* strenue duxit, & obsecurus oppidum satis militariter aqueductum disjecit, ut per sitim posset oppidanos ad ditionem cogere; at vero abiisse nuper hominem valde doleo, si quidem ejus discessu nos omnes Sophistas non solum ἀκεφάλες reliquit, sed & decollatos. Et jam finge, Auditores, quamvis non sint *Aprilis* Calendæ, festa adesse *Hilaria*, matri Deum dicata, vel Deo Risui rem divinam fieri. Ridete itaque & petulanti splene sustollite cachinnum, exporrigit frontem, & uncis indulgete naribus, sed naso adunco ne suspendite; profusissimo risu circumsonent omnia, & solutior cachinnus hilares excutiat lachrymas, ut iis risu exhaustis ne guttulam quidem habeat dolor quâ triumphum exornet suum. Ego profecto si quem nimis parce diducto rictu ridentem conspexero, dicam eum scabros & cariosos dentes rubigine obductos, aut indecoro ordine prominentes abscondere, aut inter prandendum hodie sic opplevisse abdomen, ut non audeat ilia ulterius distendere ad risum, ne præcinenti ori succinat, & ænigmata quædam nolens effutiat sua non *Sphinx* sed *Sphincter* anus, quæ medicis interpretanda non *Oedipo* relinquo; nolim enim hilari vocis sono obstrepat in hoc coetu posticus gemitus: Solvant ista Medici qui alvum solvunt. Si quis strenuum & clarum non ediderit murmur, eum ego asseverabo tam gravem & mortiferum faucibus exhalarare spiritum, ut vel *Aetna*, vel *Avernus* nihil spiret tetrius; aut certe allium aut porrum comedisse dudum, adeo ut non audeat aperire os, ne vicinos quosque fœtido halitu enecet. At vero absit porro ab hoc coetu horrendus & tartareus ille sibili sonus, nam si hinc audiatur hodie, credam ego Furias & *Eumenides* inter vos occulte latitare, & angues suos colubrosque pectoribus vestris immississe, & proinde *Athamanteos* Furores vobis inspiravisse. At enimvero, Academicus, vestram ego in me benevolentiam demiror atque exoscular, qui me audituri per flamas & ignes irrupistis in hunc locum. Hinc enim in ipso limine: scintillans ille noster *Cerberus* astat, & sumido latratu horribilis, flammeoque coruscans baculo favillas pleno ore egerit; illinc ardens & voracissimus *Fornax* noster luridos eruat ignes, & tortuosos fumi globos evolvit, adeo ut non sit difficultius iter ad inferos vel invito *Plutone*; & certe nec ipse *Jason* minori cum periculo boves illos *Martis πυριτιώνας* aggressus est. Jamque Auditores, credite vos in cœlum receptos, poste aquam evasistis purgatorium, & nescio quo novo miraculo ex fornace calida salvi prodijisti, neque sane mihi in mentem venit ullius Herois cuius fortitudinem commode possim vestrae æquiparare, neque enim *Bellerophontes* ille ignivomam *Chimeram* animosius debellavit, nec validissimi illi Regis *Arthuri* pugiles, igniti & flammigerantis Castelli incantamenta vicerunt facilius & dissiparunt; atque hinc subit, ut prius milii Auditores & lectissimos pollicear, si quid enim facis hic advenerit post explorationem camini, ego statim

dixero ignes nostros janitores esse satuos. At siccices nos & incolumes perpetuo futuros! *Romæ* enim ad diuturnitatem imperii sempiternos ignes sollicito & religiose servabant, nos vigilibus & vivis ignibus custodimur: Quid dixi vivis & vigilibus? id sane improviso lapsu prætervolavit, quippe nunc melius commen-  
mini, eos primo crepusculo extinguere sese, & non nisi claro fudo sese resuscita-  
re. Attamen spes est, tandem iterum domum nostram posse inclarescere,  
cum nemo inficias iverit duo maximi Academiæ Luminaria nostra collegio præ-  
sidere; quamvis illi nusquam majori forent in honore quam *Romæ* ibi enim vel  
virgines Vestales inextinctos eos, & insomnes totas noctes servarent, vel forte  
ordini Seraphico initiantur flammei fratres. In hos deniq; optime quadrat He-  
mistichion illud *Virgilianum*, Igneus est ollis vigor: immo pene inductus sum ut  
credam *Horatium* horum nostrorum ignium mentionem fecisse, major enim ho-  
rum, dum stat inter conjugem & liberos, micat inter omnes velut inter ignes  
Luna minores. Non possum autem præterire fædum *Ovidii* errorem, qui sic  
cecinit, Nataque de flamina corpora nulla vides. Videmus enim passim ober-  
rantes igniculos hoc nostro igne genitos, hoc si negaverit *Ovidius*, necessum ha-  
bebit uxoris pudicitiam vocare in dubium. Ad vos redeo, Auditores; Ne vos  
poeniteat tam molesti & formidolosi itineris, ecce convivium vobis apparatum!  
eccas mensas ad luxum *Persicum* extructas, & cibis conquisitissimis onustas, qui  
vel *Apicianam* gulam oblectent & deliniant! Ferunt enim *Antonio* & *Cleopatra* octo  
integros apros in epulis appositos, vobis autem primo ferculo hem quinquaginta  
faginatos apros cervisiâ conditaneâ per triennium maceratos, & tamen adhuc  
adeo callosos, ut vel caninos dentes delassare valeant. Dein totidem optimos  
boves insigniter caudatos famulari nostro igni præ foribus recens assos; sed vere-  
or ne omnem succum in patinam exudaverint. Ab his tot etiam en vitulina ca-  
pita, sane crassa & carnosa, sed adeo pertenui cerebro, ut non sufficiat ad condi-  
mentum. Tuni quidem & hoedos plus minus centum, sed puto crebriori *Veneris*  
usu nimium macros: Arietes aliquot expectavimus speciosis & patulis cornubus,  
sed eos Coqui nostri nondum secum attulerunt ex oppido. Si quis aves mavult,  
habemus innumeræ, turundis, & offis, & scobinato caseo diu altiles: Inprimis,  
nescio quod genus avium tam ingenio, quam plumâ viride, unde eas è regione  
*Psittacorum* suspicor asportatas; quæ quia gregatim semper volitant, & eodem  
fere loco nidulantur, eodem etiam disco apponentur; iis vero parce velim vesca-  
mini, quia præterquam quod admodum crudi sint, & nihil in se habeant solidi  
nutrimenti, scabiem etiam comedentibus protrudunt (modo vera tradit *Come-  
stori*). Jam vero libere & genialiter epulamini; hic enim præsto est missus quem  
vobis præ omnibus commendo, prægrandis scilicet *Gallinago*, per triennalem fagi-  
nam adeo unguinosa pinguedinis, ut illi vix satis largum sit unum ferculum am-  
plissimum, rostro eouloq; prælongo & eduro, ut impune possit eum *Elephante* aut  
*Rhinocerote* certamen ingredi; eam autem in hunc diem commode obruncavi-  
mus, propterea quod prægrandium *Simiorum* more incepit puellis insidiari, & vim  
in erre mulieribus. Hunc subsequuntur aves quædam *Hibernice*, nescio quo no-  
mine; sed incesu & corporis filo gruibus persimiles, quamvis ut plurimum so-  
leant in postremam mensam asservari; hic quidem est novus & rarus magis  
quam salutaris cibus: his itaque abstineatis moneo, sunt enim efficacissimi (mo-  
do vera tradit *Comestori*) ad generandos pediculos inguinales: has igitur arbitror  
ego agasonibus utiliores futuras; nam cum sint naturæ vividæ, vegetæ, & sal-  
taturientes, si equis strigosis per podicem ingerantur, reddent eos protinus vi-  
vaciores & velociores quam si decem vivas anguillas in ventre haberent. An-  
seres etiam complures aspice, & hujus anni & superiorum argutos valde, &  
ranis *Aristophanicis* vocaliores; quos quidem facile dignoscetis; mirum enim  
est ni se jam prodiderint sibilando, statim fortasse audietis. Ova insuper aliquot  
habemus, sed ea *xox& κόρην*; Frugum vero nihil præterquam mala & mespi-  
la, eaque insœlicis arboris, nec satis matura, præstabat itaque iterum ad Solem  
suspendi. Videtis apparatus nostros, quæ vos, quibus palato sunt, commes-  
samini. Verum hariolor dicturos vos, epulas hasce, veluti nocturnæ illæ dapes  
quæ à Dæmone beneficis apparantur, nullo condiri sale, vereorque ne discedat-  
is jejuniiores quam venistis. Verum ad ea pergo quæ ad me proprius attinent.  
*Romani* sua habuere *Floralia*, *Rustici* sua *Palilia*, *Pistores* sua *Fornacula*, nos  
quoque potissimum hoc tempore rerum & negotiorum vacui, *Socratico* more  
ludere solemus. Itaque hospitia Leguleiorum suos habent, quos vocant Domi-  
nos, vel hinc indicantes quam sint honoris ambitiosi. Nos autem, Academicici,

ad paternitatem quamproxime accedere cupientes id ficto nomine usurpare gestimus, quod vero non audemus saltem nonnisi in occulto; quemadmodum pueræ nuptias lusorias & puerperia solenniter fingunt, earum rerum quas anhellant & cupiunt, umbras captantes & amplectentes. Quorsum autem eo, qui proxime se circumegit, anno intermissa fuerit hæc solennitas, ego sane haud possum divinare; nisi quod ii qui patres futuri erant, adeo strenue se gesserint in oppido, ut is cui id negotii dabatur, tantorum misertus laborum ultiro jussicerit eos ab hac cura otiosos esse. At vero unde est quod ego tam subito factus sum Pater? Dii vestram fidem! Quid hoc est prodigii *Pliniiana* exuperantis portenta! numniam ego percullo angue *Tyrsia* fatum expertus sum? ecqua me *Thessala* saga magico perfudit unguento? an denique ego à Deo aliquo viciatus, ut olim *Cnæsus*, virilitatem pactus sum stupri pretium, ut sic repente ēn *Dræsus* as ἀρρενία & Λλω χθελω ἦ? A quibusdam, audivi nuper Domina. At cur videor illis parum masculus? Ecquis *Prisciani* pudor? itane propria quæ maribus foemineo generi tribuant insulsi Grammaticastri! scilicet quia *Scyphos* capacissimos nunquam valui pancratice haurire; aut quia manus tenendā stivā non ocaluit, aut quia nunquam ad meridianum Solem supinus jacui septennis bubulus; fortasse demum quod nunquam me virum præsteti, eo modo quo illi *Ganeones*: verum utinam illi possint tam facile exuere afinos, quam ego quicquid est fœminæ; at videte quam insubide, quam incogitate mihi objecerint id, quod ego jure optimo mili vertam gloriae. Namque & ipse *Demosithenes* ab æmulis adversariisque parum vir dictus est. Q. itidem *Hortensius* omnium Oratorum post *M. Tullium*, clarissimus, *Dionysia Psaltria* appellatus est à *L. Torquato*. Cui ille, *Dionysia*, inquit, malo equidem esse, quam quod tu *Torquate*, αὐτος οὐ, ἀγοδιατός, ἀπέφεντος. Ego vero quicquid hoc Domini aut Dominæ est à me longe amolior atque rejicio, nisi in rostris atque subsellis vestris, Academicis, dominari non cupio. Quis jam prohibebit me quin lætar tam auspicato & felici omni, exultemque gaudio me tantis viris ejusdem opprobrii societate conjunctum! Interea ut bonos omnes & præstantes supra invidiam positos arbitror, ita hos lividos adeo omnium infimos puto, ut ne digni sint qui maledicant. Ad filios itaque pater me converto, quorum cerno speciosum numerum, & video etiam lepidulos nebulones occulto nutu me patrem fateri. De nominibus queritis? Nolo sub nominibus ferculorum filios meos epulandos vobis tradere, id enim *Tantali* & *Lycaonis* feritati nimium esset affine; nec membrorum insignib[us] nominibus, ne putetis me pro integris hominibus tot frusta hominum genuisse; nec ad vinorum genera eos nuncupare volupe est, ne quicquid dixero, sit ἀποσθοντος, & nihil ad *Bacchum*; volo ad prædicamentorum numerum nominatos, ut sic & ingenuos natales & liberalem vitæ rationem exprimam; & eadem opera curabo, uti omnes ad aliquem gradum ante meum obitum provecti sint. Quod ad Sales meos nolo ego edentulos, sic enim tritos, & veteres dicatis, & aniculam aliquam tussientem eos expuisse: proinde credo neminem sales meos dentatos inculpaturum, nisi qui ipse nullos habet dentes, ideoque reprehensurum, quia non sunt ipsius similes. Et certe in præsens ego exoptarem obtigisse mihi *Horatii* sortem, nempe ut essem falsamentarii filius, tunc enim sales mihi essent ad unguem, vos etiam sale ita pulchre defricatos dimitterem, ut nostros milites qui nuper ab *Insula Reana* capessere fugam non magis poeniret salis petiti. Non libet mili in consilio vobis exhibendo, mei gnati, gnavoriter esse operoso, ne plus operæ vobis erudiendis quam gignendis insumpsisse videar, tantum caveat quisque ne ex filio fiat nepos: liberique mei ne colant liberum, si me velint patrem. Si qua ego alia præcepta dedero, ea lingua vernacula proferenda sentio; conaborque pro viribus ut omnia intelligatis. Cæterum exorandi sunt mihi *Neptunus*, *Apollo*, *Vulcanus*, & omnes Dii Fabri, uti latera mea vel tabulatis corroborare, vel ferreis laminis circumligare velint. Quinetiam supplicanda mihi est Dea *Ceres*, ut quæ humerum eburneum *Pelopi* dederit, mihi pariter latera pene absunta reparare dignetur. Neque enim est cur miretur quislibet, si post tantum clamorem & tot filiorum genituram paulo infirmiora sint. In his itaque sensu *Neroniano* ultra quam satis est, moratus sum: nunc Leges Academicas veluti *Romuli* muros transiliens à Latinis ad Anglicana transcurro. Vos quibus istæc arrident, aures atque animos nunc mihi attentos date.

## In Sacrario habita pro Arte

## O R A T I O.

*Beatores reddit Homines Ars quam Ignorantia.*

TAmetsi mihi, Auditores, nihil magis jucundum sit atque optabile aspectu vestro assiduâque togatorum hominum frequentiâ, hoc etiam honorifico dicens munere, quo ego vice unâ atque alterâ apud vos non ingratâ operâ perfundus sum; tamen, si quod res est fateri liceat, semper ita sit, ut, cum neque meum ingenium, nec studiorum ratio ab hoc Oratorio genere multum abhorreat, ego vix unquam meâ voluntate, aut sponte ad dicendum accedam; mihi si tuisset integrum, vel huic vespertino labori haud illibenter equidem partissim: nam quoniam ex Libris & Sententiis doctissimorum licet inum sic accepi, nihil vulgare, aut mediocre in Oratore, ut nec in Poeta posse concedi, eumque oportere, qui Orator esse meritò & haberri velit, omnium Artium, omnesque Scientiarum circulari quodam subsidio instructum & consummatum esse; id quando mea ætas non fert, malui jam prius ea mihi subsidia comparando, longo & acri studio illam laudem veram contendere, quam properato & præcoci stylo falsam præripere. Quâ animi cogitatione & consilio dum æstuo totus indies, & accendor, nullum unquam sensi gravius impedimentum & moram, hoc frequenti interpellationis damno; nihil vero magis aluiisse ingenium, &, contra quam in corpore sit, bonam ei valetudinem conservasse eruditio & liberali otio. Hunc ego divinum *Hesiodi* somnum, hos nocturnos *Endymionis* cum Luna congressus esse crediderim; hunc illum duce *Mercurio Promethei* secessum in altissimas Montis *Caucasi* solitudines ubi sapientissimus Deûm atque hominum evasit, utpote quem ipse *Jupiter de Nuptiis Thetidis* consultem esse dicatur. Testor ipse lucos, & flumina, & dilectas villarum ulmos, sub quibus æstate proxime prateritâ ( si Dearum arcana eloqui liceat ) sumمام cum Musis gratiam habuisse me jucundâ memoriâ recolo; ubi & ego inter rura & semotos saltus velut occulto ævo crescere mihi potuisse visus sum. Hic quoq; eandem mihi delitescendi copiam utique sperasse, nisi intempestive prorsus interposuisset se importuna haec dicendi molestia, quæ sic ingrate arcebat sacros somnos, sic torrit animum in aliis defixum, & inter præruptas Artium difficultates sic impedivit & oneri fuit, ut ego amissâ omni spe persequendæ quietis moestus cogitare cœperim, quam procul abestiem ab ea tranquillitate quam mihi primò Literæ pollicebantur, acerbam fore inter hos æstus & iactationes vitam, satius esse vel omnes Artes dedidisse. Itaque vix compos mei, temerarium cœpi consilium laudandæ Ignorantiarum, quæ nihil prorsus haberet harum turbarum; proposuique in certamen ultra suos cultores beatiores redderet Ars an Ignorantia? Nescio quid est, noluit meum sive fatum, sive genius ab incepto Musarum amore discedere; imo & ipsa cæca fors tanquam drepente prudens providensque facta hoc idem noluisse vitâ est; citius opinione meâ Ignorantia suum naecta est patronum, mihi Ars relinquitur defendenda. Gaudeo sane sic illusum me, nec me pudet vel cæcam Fortunam mihi restituisse oculos; hoc illi nomine gratias habeo. Jam saltem illam laudare licet, cuius ab amplexu divullus eram, & quasi absensis desiderium sermone consolari; jam haec non plane interruptio est, quis enim interpellari se dicat, id laudando & tuendo quod amat, quod approbat, quod magnopere asséqui velit. Verum, Auditores, sic ego existimo in re mediocreiter laudabili maxime elucere vim Eloquentiarum; quæ sumمام laudem habent, vix ullo modo, ullis limitibus Orationis contineri posse, in his ipsa sibi officit copia, & rerum multitudine comprimit & coangustat expandentem se elocutionis pompam; hac ego argumenti fecunditate nimia labore, ipsæ me vires imbecillum, anima inermem reddunt; deleetus itaque faciendus, aut certe enumeranda verius quam tractanda quæ tot nostram causam validis præsidiis firmam ac munitam statuunt: nunc illud mihi unice elaborandum video, ut ostendam quid in utraque re, & quantum habeat momentum ad illam in quam omnes ferimur, beatitudinem; in qua contentione facili certe negotio versabitur Oratio nostra, nec admodum esse puto inetuendum quid possit

fit Scientiae Inscitiae, Arti Ignorantia objicere; quamvis hoc ipsum quod objiciat, quod verba faciat, quod in hac celebritate Literatissimae Concionis vel hiscere audeat, id totum ab arte precario vel potius emendicato habet. Notum hoc esse reor, Auditores, & receptum omnibus, magnum mundi opificem, cætera omnia cum fluxu & caduca posuisset, homini præter id quod mortale esset, divinam quandam auram, & quasi parrem sui immiscuisse, immortalē, indelebilem lethi & interitus immunem; quæ postquam in terris alijs undiu tanquam cœlestis hospes, caste, sanæque peregrinata esset, ad nativum cælum sursum evibraret se, debitamque ad sedem & patriam reverteretur: proinde nihil merito recenseri posse in causis nostræ beatitudinis, nisi id & illam sempiternam, & hanc civilem vitam aliquâ ratione respiciat. Ea propemodum suffragiis omnium sola est contemplatio, quâ sine administristro corpore seducta & quasi conglobata in se mens nostra incredibili voluptate immortalium Deorum ævum imitatur, quæ tamen sine arte tota infrugitera est & injucunda, imo nulla. Quis enim rerum humanarum divinarumque *id est* intueri digne possit aut considerare, quarum ferme nihil nôssè queat, nisi animum per artem & disciplinam imbutum & excutum habuerit; ita prorsus ei cui Artes desunt, interclusus esse videtur omnis aditus ad vitam beatam: ipsam hanc animam altæ sapientiæ capacem & prope inexplicabilem, aut frustra nobis Deus, aut in pœnam dedisse videtur, nisi maxime voluisse nos ad excelsam earum rerum cognitionem sublimes eniti, quarum tantum ardorem naturâ humanæ menti injecerat. Circumspicite quæqua potestis universam hanc rerum faciem, illam sibi in gloriam tanti operis summus Artifex ædificavit; quanto altius ejus rationem insignem, ingentein fabricam, varietatem admirabilem investigamus, quod sine arte non possumus, tanto plus authorem ejus admiratione nostrâ celebramus, & veluti quodam plausu persequimur, quod illi pergratum esse, certum ac persuasissimum habeamus. Ecquid, Auditores, putabimus tanta immissiæ ætheris spatio æternis accensa atque distincta ignibus, tot sustinere concitatissimos motus, tanta obire conversio- num itinera ob hoc unum ut lucernam præbeant ignavis & pronis hominibus? & quasi faciem præferant nobis infra torpentibus & desidiosis? nihil inesse tam multiplici fructuum herbarumque proventui, præterquam fragilem viriditatis ornatum? Profecto si tam injusti rerum æstimatores erimus, ut nihil ultra crassum sensus intuitum persequamur, non modo serviliter & abjecte, sed inique & malitiose cum benigno numine egisse videbimus; cui per inertiam nostram, & quasi per invidiam titulorum magna pars, & tantæ potentiarum veneratio penitus intercidet. Si igitur dux & inchoatrix nobis ad beatitudinem sit eruditio, si potentissimo numini iusta & complacita, & ejus cum laude maxime conjuncta, certe non potest sui cultores non efficere vel summe beatos. Neque enim nescius sum, Auditores, contemplationem hanc quâ tendimus ad id quod summe expetendum est, nullum habere posse veræ beatitudinis gressum sine integritate vitæ, & morum innocentia; multos autem vel insigniter eruditos homines nefarios extitisse, præterea iræ, odio, & pravis cupiditatibus obedientes; multos è contra literarum rudes viros probos atque optimos se præstitisse; quid ergo? Num beator Ignorantia? minime vero. Sic itaque est, Auditores, paucos fortasse doctrinâ præstabilis suæ civitatis corruptissimi mores & illiteratorum hominum colluvies in nequitiam pertraxere, unius perdocti & prudentis viri industria multos mortales ab arte impolitos in officio continuit: nimirum una domus, vir unus arte & sapientia præditus, velut magnum Dei munus toti Reipub. satis esse possit ad bonam frugem. Ceterum ubi nullæ vigent Artes, ubi omnis exterminatur eruditio, ne illum quidem ibi viri boni vestigium est, grassatur immanitas atque horrida barbaries; hujus rei testem appello non civitatem unam, aut provinciam, non gentem, sed quartam orbis terrarum partem *Europam*, quâ totâ superioribus aliquot saeculis omnes bonæ Artes interierant. omnes tunc temporis Academias præfides diu Mulae reliquerant; perirent at omnia, & occuparant cæca inertia, nihil audiebatur in Scholis præter insulâ stupidissimorum Monachorum dogmata, togam scilicet naeta, per vacua nostra & pulchra, per squalentes Cathedras jactitavit se prophanum & informe monitrum, Ignorantia. Tum primum lugere Pietas, & exiungui Religio & perfidum ire, adeo ut ex gravi vulnere, fero atque ægre vix in hanc usque diem convaluerit. At vero, Auditores, hoc in Philosophia ratum. & antiquum esse satis constat omnis artis, omnisiq; scientiae perceptionem solius intellectus esse, virtutum ac probitatis domum atque delubrum esse voluntatem. Cum autem omnium judicio intellectus

tellectus humanus cæteris animi facultatibus princeps & moderator præluceat tum & ipsam voluntatem cæcam aliqui & obscuram suo splendore temperat & collustrat, illa veluti Luna, luce lucet alienâ. Quare demus hoc sane, & largiamur ultro potiorem esse ad beatam vitam virtutem sine arte, quam artem sine virtute; at ubi semel felici nexus invicem consociatae fuerint, ut maxime debent, & sapientissime contingat, tum vero statim vultu erecto atq; arduo superior longe apparer, atq; emicat scientia, cum rege & imperatore intellectu in excelsa locata se, inde quasi humile & sub pedibus spectat inferius quicquid agitur apud voluntatem; & deinceps in æternum excellentiam & claritudinem, majestatemq; divinæ proximam facile sibi afferit. Age descendamus ad civilem vitam, quid in privata, quid in publica proficiat utraq; videamus; taceo de arte quod sit pulcherrimum juventutis honestamentum, ætatis virilis firmum præsidium, fænestratus ornamentum atq; solatum. Prætero & illud multos apud suos nobiles, etiam P. & principes post egregia facinora, & rerum gestarum gloriam ex contentione & strepitu ambitionis ad literarum studium tanquam in portum ac dulce perfugium te recipisse; intellexere nimirum senes præstantissimi jam reliquam vitæ partem optimam optime oportere collocari; erant summi inter homines, volebant his artibus non postremi esse inter Deos; petierant honores, nunc immortalitatem; in debellandis imperii hostibus longe aliâ militiâ usi sunt, cum morte maximo generis humani malo conficituri, ecce quæ tela sumpserint, quas legiones conscripserint, quo commeatu instructi fuerint. Atqui maxima pars civilis beatitudinis in humana societate & contrahendis amicitiis fere constituta est; doctiores plerosque difficiles, inurbanos, moribus incompositis, nullâ fandi gratiâ ad conciliandos hominum animos multi queruntur: fateor eisdem, qui in studiis fere seclusus atque abditus est, multo promptius esse Deos alloqui quam homines, sive quod perpetuo fere domi est apud superos infrequens rerum humanorum & vere peregrinus, sive quod assiduâ rerum divinarum cogitatione mens quasi grandior facta in tantis corporis angustiis difficulter agitans se minus habilis sit ad exquisitiores salutationum gesticulationes; at si dignæ atque idoneæ contigerint amicitiae nemo sanctius colit; quid enim jucundius, quid cogitari potest beatius illis doctorum & gravissimorum hominum colloquiis, qualia sub illa platano plurima saepe fertur habuisse divinus *Plato*, digna certe quæ totius confluentis generis humani arrecto excipiantur silentio; at stolidæ confabulari, alios alii ad luxum & libidines morem gerere ea demum ignorantiae est amicitia, aut certe amicitiae ignorantia. Quinetiam si hæc civilis beatitudo in honesta liberaque oblectatione animi consistit, ea profecto doctrinæ & arti reposita est voluptas, quæ cæteras omnes facile superet; quid omnem cœli syderumque morem tenuisse? omnes aeris motus & vicissitudines, sive augusto fulminum sonitu, aut crinitis ardoribus inertes animos perterrefaciat, sive in nivem & grandinem obrigescat, sive denique in pluvia & rore mollis & placidus descendant; tum alternantes ventos perdidicisse, omnesque halitus aut vapores quos terra aut mare eructat; stirpium deinde vires occultas, metallorumque calluisse, singulorum etiam animantium naturam, & si fieri potest, sensus intellexisse; hinc accuratissimam corporis humani fabricam & medicinam; postremo divinam animi vim & vigorem, & si qua de illis qui Lares, & Genii, & Dæmonia vocantur ad nos pervenit cognitio? Infinita adhæc alia, quorum bonam partem didicisse licuerit, antequam ego cuncta enumeraverim. Sic tandem, Auditores, cum omnimoda semel eruditio suos orbes consecerit, non contentus iste spiritus tenebrioso hoc ergastulo eousque late ager se, donec & ipsum mundum, & ultra longe divinâ quadam magnitudine expatiata compleverit. Tum demum plerique causus atque eventus rerum ita subito emergent, ut ei, qui hanc arcem sapientiae adeptus est, nihil pene incautum, nihil fortuitum in vita possit accidere; videbitur sane is esse, cuius imperio & dominationi astra obtemperent, terra & mare obsecudent, venti tempestatesque morigeræ sint; cui denique ipsa Parens Natura in ditionem se tradiderit, plane ac si quis Deus abdicato mundi imperio, huic jus ejus, & leges, administrationemque tanquam praefectori cuidam commisisset. Huc quanta accedit animi voluptas, per omnes gentium historias & loca pervolare Regnum, Nationum, Urbium, Populorum status mutationesque ad prudentiam, & mores animadvertere: hoc est, Auditores, omni ætati quasi vivus interesse, & velut ipsius temporis nasci contemporaneus; profecto cum nominis nostri gloriæ in futurum prospeximus, hoc erit ab utero vitam retro extendere & porrigitur, & nolenti fato anteactam quandam immortalitatem extor-


extorquere. Mitto illud cui quid potest æquiparari? Multarum Gentium cratulum esse, domum quali templum habere, esse quos Reges & Republicæ ad se invitent, cujus visendi gratia finitimiæ exterique concurrant, quem alii vel semel vidisse quasi quoddam bene meritum glorientur; hæc studiorum præmia, hos fructus eruditio suis cultoribus in privata vita præstare, & potest, & saepe solet. At quid in publica? Sane ad Majestatis fastigium paucos evexit laus doctrinæ, nec probitatis multò plures. Nimirum, illi apud se regno fruantur, omni terrarum ditione longe gloriiori: & quis sine ambitionis, infamia geminum affectat regnum? addam hoc tamen amplius, duos tantum adhuc fuisse qui quasi cœlitus datum universum terrarum orbem habuere, & supra omnes Reges & Dynastas æquale Diis ipsis partiti sunt imperium, *Alexandrum* nempe magnum & *Ottavium Cesarem*, eosque ambos Philosophiæ alumnos. Perinde ac si quoddam electionis exemplar divinitus exhibitum esset hominibus, quali potissimum viro clavum & habenas rerum credi oporteret. At multæ resp. sine literis, rebus gestis & opulentia cœlare. *Spartanorum* quidem, qui ad literarum studium contulerint se, pauci memorantur; *Romani* intra urbis mœnia Philosophiam sero receperunt; at illi Legislatore usi sunt *Lycuro*, qui & philosophus fuit & Poëtarum adeo studiosus, ut *Homeri* scripta per *Ioniam* sparsa summâ curâ primus collegerit. Hi post varios in urbe motus & perturbationes ægre se sustentare valentes, ab *Athenis* eà tempestate artium studio florentissimis, Leges Decemvirales, quæ & daodecum tabulae dictæ sunt, missis legatis emendarunt. Quid si hodiernos *Turcas* per opima *Asia* regna rerum late potitos omnis literaturæ ignaros nobis objiciant? Evidem in ea repub. (si tamen crudelissimorum hominum per vim & cædem arreptâ potentiam, quos unum in locum sceleris consensu convocabat, continuo respub. dicenda sit) quod in ea ad exemplum insigne sit nil audivi, parare vitæ commoda, tueri parta, id Naturæ debemus, non Arti; aliena libidinose invadere, sibi mutuo ad rapinam auxilio esse, in scelus conjurare, id Naturæ pravitati. Jus quoddam apud eos exerceatur; nec mirum: cæteræ virtutes facile fugantur, justitia vere regia, ad sui cultum impellit, sine qua vel injustissimaræ societates cito dissolverentur. Nec omiserim tamen, *Saracenos* *Turcarum* propemodum conditores non *armis magis quam bonarum literarum* studiis imperium suum propagasse. Sed si antiquitatem repetamus, inveniemus non institutas modo ab Arte, sed fundatas olim fuisse respæblicas. Antiquissimi quique gentium indigenæ in sylvis & montibus errasse dicuntur, ferarum ritu pabuli commoditatem sequuti, vultu erecti, cætera proni, putâsles præter formæ dignitatem nihil non commune cum bestiis habuisse; eadem antra, iidem specus cœlum & frigora defendebant; nullâ tunc urbs, non ædes marmoreæ, non aræ Deorum, aut fana collucebant, non illic fas sanctum, nondum jura in foro dicebantur, nulla in nuptiis tæda, non chorus, nullum in mensa geniali carmen, nullum solenne funeris, non luctus, vix tumulus defunctos honestabat; nulla convivia, nulli ludi, inauditus citharae sonus; ipsa tunc omnia aberant, quibus jam inertia ad luxum abutitur. Cum repente Artes & Scientiæ, agrestia hominum pectora cœlitus afflabant, & imbutos notitiâ sui in una mœnia pellexere. Quamobrem certe quibus authoribus urbes ipsæ primum conditæ sunt, dein stabilitæ legibus post consiliis munitæ poterunt iidem etiam gubernatoribus quam diutissime felicissimeque consistere. Quid autem ignorantia? sentio, Auditores, caligat, stupet, procul est, effugia circumspicit, vitam brevem queritur, artem longam; immo vero tollamus duo magna studiorum nostrorum impedimenta, alterum artis male traditæ, alterum nostræ ignaviæ, pace *Galeni*, seu quis alias ille fuit; totum contra erit, vita longa ars brevis; nihil arte præstabilius, adeoque laboriosius, nihil nobis segnus, nihil remissius; ab operariis & agricolis nocturnâ & antelucanâ industria vincimus patimur; illi in re sordida ad vilem victum magis impigri sunt, quam nos in nobilissima ad vitam beatam; nos cum ad altissimum atque optimum in humanis rebus aspiremus, nec studium ferre possumus, nec inertiae dedecus; immo pudet esse id, quod non haberi nos indignamur. At valetudini cavemus à vigiliis & acri studio: turpe dictu, animum incultum negligimus, dum corpori metuimus, cuius vires quis non imminuat, quo majores acquirantur animo? quanquam certe qui hæc causantur perditissimi plerique, abjecta omni temporis, ingenii, valitudinis curâ, comedendo, belluæ marinæ ad morem potando, inter scorta & aëram pernoctando, nihilo se infirmiores factos queruntur. Cum itaque sic se afficiant atque assuescant, ut ad omnem turpidinem strenui atque

alacres ; ad omnes virtutis actiones & ingenii hebetes & languidi sint, culpam in naturam aut vitae brevitatem falso & inique transferunt. Quod si modeste ac temperanter vitam degendo, primos ferocientis ætatis impetus ratione & pertinaci studiorum assiduitate mallemus edomare, coelestem animi vigorem ab omni contagione & inquinamento purum & intactum servantem ; incredibile esset, Auditores, nobis post annos aliquot respicientibus quantum spatum confecisse, quam ingens æquor eruditionis cursu placido navigasse videremur. Cui & hoc egregium afferet compendium, si quis nōrit & artes utiles, & utilia in artibus recte feligere. Quot sunt imprimis Grammaticorum & Rhetorum nugae alpernabiles ? audias in tradenda arte sua illos barbare loquentes, hos infantissimos. Quid Logica ? Regina quidem illa artium si pro dignitate tractetur : At heu quanta est in ratione insania ! non hic homines, sed plane Acanthides carduis & spinis vescuntur. O dura *Messorum* ilia ! Quid repetam illam, quam Metaphysicam vocant *Peripatetici*, non artem, locupletissimam quippe me ducit magnorum virorum authoritas, non artem inquam plerumque, sed infames scupulos, sed *Lernam* quandam Sophismatum ad naufragium & pestem excogitatam ? hæc illa quæ supra memini togatae ignorantiae vulnera sunt ; hæc eadem cucullorum scabies etiam ad Naturalem Philosophiam late permanavit : vexet Mathematicos demonstrationum inanis gloriola ; his omnibus quæ nihil profutura sunt merito contemptis & amputatis, admirationi erit quot annos integros lucrabimur. Quid ! quod Jurisprudentiam præsertim nostram turbata methodus obscurat, & quod pejus est, sermo nescio quis, *Americanus* credo, aut ne humanus quidem, quo cum saepe Leguleios nostros clamitantes audiverim, dubitare, subiit quibus non esset humanum os & loquela, an & his ulli affectus humani aedessent ; vereor certe ut possit nos sancta Justitia respicere, vereor ut quarelitas ullo tempore nostras aut injurias intelligat, quorum lingua loqui nesciat. Quapropter, Auditores, si nullum a pueritia diem sine præceptis & diligenti studio vacuum ire sinamus, si in arte, aliena supervacanea otiosa sapienter omittamus, certe intra ætatem *Alexandri* magni majus quiddam & glorioius illo terrarum orbe subegerimus : tantumque aberit quo minus brevitatem vitae, aut artis tedium incussum, ut flere & lachrymari promptius nobis futurum credam, ut illi olim, non plures superesse mundos de quibus triumphemus. Expirat Ignorantia, jam ultimos videte conatus & morientem luctam ; Mortales præcipue gloriam tangi, antiquos illos illustres longa annorum series atque decursus cum celebrarit, nos decrepito mundi senio, nos properante rerum omnium occasu premi, si quid prædicandum æterna laude reliquerimus, nostrum nomen in angusto versari, cuius ad memoriam vix ulla posteritas succedat, frustra jam tot Libros & præclarar ingenii monumenta edi quæ vicinus mundi rogos cremarit. Non inficior illud esse posse verisimile ; at vero non morari gloriam cum bene feceris, id supra omnem gloriam est. Quam nihil beavit istos inanis hominum sermo cuius ad absentes & mortuos nulla voluptas, nullus sensus pervenire potuit ? nos semper eternum ævum expectemus quod nostrorum in terris saltem benefactorum memoriam nunquam delebit ; in quo, si quid hic pulchre meruimus, præsentes ipsi audiemus, in quo qui prius in hac vita continentissime acta omne tempus bonis artibus dederint, iisque homines adjuverint, eos singulari & summam supra omnes scientiam auctos esse futuros multi graviter philosophati sunt. Jam cavillari desinant ignavi quæcumque adhuc nobis in scientiis incerta atque perplexa sint, quæ tamen non tam scientiae, quam homini attribuenda sunt ; hoc est, Auditores, quod & illud nescire *Socraticum* & timida Scepticorum hæsitationem aut refellit, aut consolatur, aut compensat. Jam vero tandem aliquando quænam Ignorantiae beatitudo ? sua sibi habere, à nemine lædi, omni curâ & molestia supersedere, vitam secure & quiete, quoad potest, traducere ; verum hæc ferre aut volucris cuiuspiam vita est quæ in altis & penitissimis sylvis in tuto nidulum cœlo quamproximum habet, pullos educit, sine aucupiis metu in pastum volat, diluculo, vesperique suaves modulos emodulatur. Quid ad hæc desideratur æthereus ille animi vigor ? Exuat ergo hominum, dabitur sane *Circum* poculum, ad bestias prona emigret : Ad bestias vero ? at illæ tam turpem hospitem excipere nolunt, si quidem illæ sive inferioris cujusdam rationis participes, quod plurimi disputarunt, sive pollenti quodam instinctu sagaces, aut artes, aut artium simile quoddam apud se excent. Namque & Canes in persequenda fera Dialecticæ non ignaros esse narratur apud *Plutarchum*, & si ad trivia forte ventum sit, plane disjuncto uti Syllogismo. Lusciniam veluti præcepta quædam

dam Musices pullis suis tradere solere refert *Aristoteles*; unaquæque fere bestia sibi medica est, multæ etiam insignia medicinæ documenta hominibus dedere. *Ibis Ægyptia* alvi purgandæ utilitatem, *Hippopotamus* detrahendi sanguinis ostendit. Quis dicat Astronomiæ expertes à quibus tot ventorum, imbrum, inundationum serenitatis præfigia petantur? Quam prudenti & severa Ethica super-volantes montem *Taurum* anseres obturato lapillis ore periculose loquacitati moderantur; multa formicis res domestica, civitas apibus debet; excubias habendi, triquetram aciem ordinandi rationem ars militaris gruum esse agnoscit. Sapiunt altius bestiæ, quam ut suo coetu & consortio ignorantiam dignentur; inferius detrudunt. Quid ergo? ad truncos & saxa. At ipsi trunci, ipsa arbusta, totumque nemus ad doctissima *Orphei* carmina solutis quondam radicibus festinavere. Sæpe etiam mysteriorum capaces, ut quercus olim *Dodonea*, divina Oracula reddidere. Saxa etiam sacræ Poetarum voci docilitate quâdam respondent: an & hæc aspernantur à se Ignorantiam? Num igitur infra omne Brutorum genus, infra Stipites & Saxa, infra omnem Naturæ ordinem licebit in illo Epicureorum nonesse requiescere? Ne id quidem: quandoquidem necesse est, quod pejus, quod vilius, quod magis miserum, quod infimum est, esse Ignorantiam? Ad vos venio, Auditores intelligentissimi, nam & ipse si nihil dixisse, vos mihi tot non tam Argumenta, quam tela video, quæ ego in Ignorantiam usque ad perniciem contorquebo. Ego jam Classicum cecini, vos ruite in prælium; summovete à vobis hostem hanc, prohibete vestris porticibus & ambulacris; hanc si aliquid esse patiamini, vos ipsi illud eritis, quod nostis omnium esse miserrimum. Vestra itaque hæc omnium causa est. Quare si ego jam multo fortasse prolixior fuerim, quam pro consuetudine hujus loci liceret, præterquam quod ipsa rei dignitas hos postulabat, dabitis & vos mihi veniam, opinor, Judices, quandoquidem, tanto magis intelligitis in vos quo sim animo, quam vestri studiosus, quos Labores, quas Vigilias vestrâ causâ non recusâtim. *Dixi.*







John Adams  
Library.



IN THE CUSTODY OF THE  
BOSTON PUBLIC LIBRARY.



SHELF N<sup>O</sup>.  
**ADAMS**  
22.3  
U.3

